SCRIPTA HISTORICA ISLANDORUM

DE REBUS GESTIS

VETERUM BOREALIUM,

LATINE REDDITA

ET

APPARATU CRITICO INSTRUCTA,

CURANTE

SOCIETATE REGIA ANTIQUARIORUM SEPTENTRIONALIUM.

VOLUMEN DECIMUM.

CONTINENS ULTIMAM PARTEM HISTORIÆ HAKONIS HAKONIDÆ; FRAGMENTA HISTORIÆ MAGNI HAKONIDÆ; PARTICULAS: DE HALVDANE NIGRO, DE INITIIS IMPERII HARALDI PULCHRICOMI, DE HÖKO HABROKA ET DE OLAVO GEIRSTADALVO; HISTORIAM BREVIOREM OLAVI TRYGGVIDÆ N. R.; EPITOME HISTORIÆ REGUM NORVEGICORUM ET CARMEN NOREGS KONÚNGATAL.

HAFNIÆ, 1841.

TYPIS EXCUDEBAT S. L. MÖLLERUS.

HISTORIÆ
HAKONIS HAKONIDÆ

PARS ULTIMA;

FRAGMENTA

HISTORIÆ MAGNI HAKONIDÆ;

PARTICULÆ

DE HALVDANE NIGRO, DE INITIO IMPERII HARALDI PULCHRICOMI, DE HÖKO HABROKA ET DE OLAVO GEIRSTADALVO;

HISTORIA BREVIOR OLAVI TRYGGVIDÆ;

EPITOME HISTORIÆ REGUM NORVEGICORUM; CARMEN NOREGS KONÚNGATAL.

EX VETERE SERMONE LATINE REDDITA

ET

APPARATU CRITICO INSTRUCTA,

CURANTE

SOCIETATE REGIA ANTIQUARIORUM SEPTENTRIONALIUM.

OPERA ET STUDIO

SVEINBJÖRNIS EGILSSONII,

COLLEGÆ SCHOLÆ BESSASTADENSIS IN ISLANDIA.

HAFNIÆ, 1841.

TYPIS EXCUDEBAT S. L. MÖLLERUS.

Decimo hocce Scriptorum historicorum Islandorum volumine continentur:

A) Ultima pars historiæ, 23 postremos annos imperii Hakonis Hakonidæ, vulgo Senioris dicti, describentis. De antiquis illis Codicibus et fragmentis membraneis hujus historiæ, quæ adhuc supersunt, quæque in edenda hac historia sunt adhibita, adeunda est præfatio Voluminis noni.

B) Exiguæ, quæ adhuc supersunt, reliquiæ historiæ regis Magni Hakonidæ, dicti *Legum emendatoris*, quas servarunt duo folia membranea, forma maxima, inter Codd. Collectionis Arnamagnæanæ, in capsula not. num. 325; nam ipse codex, ad quem hæc folia olim pertinuerunt, jam dudum interiit. Auctor hujus historiæ fuit Sturla Thordi filius († 1284), celeberrimi Snorrii Sturlæi ex fratre nepos. De tempore, quo hanc historiam Sturla composuerit, sequentem conjecturam, quæ peregrinationibus Sturlæ in Norvegiam maximam partem nititur, afferre libet. Ter in Norvegiam trajecit Sturla: 1) ab adversariis patria excedere coactus, anno 1263; quamdiu ibidem se ea vice continuerit, disertis quidem verbis notatum non reperimus, sed ex cap. 275 historiæ regis Hakonis Senioris concludimus, eum per biennium (1263-4 —1264-5) in Norvegia versatum esse, eoque tempore historiam regis Hakonis conscripsisse; anno 1265 dynastam Birgerem Bjelboensem (qui obiit 1266) convenit, eodemque anno in Islandiam rediit (Sturl. hist. lib. 10. p. 306-7). 2) Quando iterum in Norvegiam trajecerit, non expresse scriptum invenio. Sturlæorum historia (l. c. var. lect. 3.) memorat, Sturlam "aliquanto post" (ɔ: annum

1265) peregre profectum, quod puto accidisse 1269, eumque per biennium in Norvegia mansisse; nam certum est, eum anno 1271 Codicem legum Norvegicum (*lögbók norræna*), ɔ: Jarnsidam s. Codicem Hakonianum, in Islandiam transtulisse (Sturl. hist. l. c. pag. 307, Vitæ Arnii episcopi p. 13). In hac altera peregrinatione historiam Magni regis composuit (Sturl. hist. lib. 10. p. 306), quam tum non ulterius, quam ad annum 1271, persequi potuit. 3) anno 1278 in Norvegiam proficiscens, nave ad insulas Feroas fracta, ibidem hiemem 1278-9 consumsit, anno 1279 in Norvegiam venit, ejusdemque anni æstate in Islandiam rediit (vitæ Arnii episc. p. 35). Tam brevi commoratione eum tantum acta publica, materiem historiæ octo annorum imperii Magni regis, ab anno 1271 ad 1279, perlustrasse, totumque deinceps opus in Islandia ad umbilicum perduxisse, vero simile existimamus. Memorat Sturl. hist. lib. 10. p. 306, historiam regis Magni secundum acta publica et ex ipsius regis auctoritate ab eo compositam fuisse. Hujus igitur historiæ, earum, quas constet in Islandia de rebus Norvegicis scriptas esse, ultimæ, fragmenta in præsenti Volumine repræsentata seriem historiarum de regibus Norvegicis, huic operi destinatam, claudunt. Additæ sunt sequentes partim breviores historiæ, partim membra et carmina historica, ad res Norvegicas pertinentia:

1) Membrum historicum de Halvdane Nigro, N. R., ex Codice Flatoensi, in quo solo extat, desumtum; continet quædam in ceteris historiis rerum Norvegicarum, quod a veritate aut etiam a veri similitudine plus justo recedere viderentur, omissa, neque tamen omnino contemnenda, quum communi per multa retro secula traditioni Norvegorum superstructa videantur.

2) Initia imperii Haraldi pulchricomi, sive potius epitome vitæ ejusdem regis, ex eodem Cod. membr., superiori membro haud absimile. Collatum est hoc membrum

cum duobus Codd. chartaceis: num. 52. Coll. Arnæmagn. in Folio (notato *Æ*, i. e. *æfi Noregskonunga*), et num. 303. A.'M. in 4to (notato *T*, i. e. *Tal Noregskonunga*).

3) Particula de Höko Habroka (alticincto), satellite et poeta regis Haraldi Pulchricomi, ex eodem Cod. membr., rebus quidem haud dubie aliqua ex parte veritatis fundamento superstructis, sed majorem in modum exaggeratis.

4) Membrum historicum de Olavo Geirstadensi, N. R., ex eodem Cod. membr., quod ad duos fontes referri posse videtur: a) traditiones, obitu memorati regis haud inferiores; b) ad alias, post obitum demum regis Olavi Sancti conflatas.

5) Historia regis Olavi Tryggvii filii primum latino sermone conscripta ab Oddo Snorrii filio, olim monacho et sacerdote monasterii Thingorani in Islandia. In Islandicum sermonem translata putatur a sacerdote Styrmere Polyhistore (qui obiit 1245). Ex auctoribus illis, a quibus notitiam de rege Olavo se hausisse fatetur Oddus monachus (cap. 76), Abbas Asgrimus Vestlidii filius obiit 1161, sacerdos Bjarnius Bergthoris 1173. Affert Oddus judicium regis Sverreris de Olavo Tryggvii filio (cap. 69), quæ verba, si ab Oddo monacho profecta, neque a Styrmere addita sunt, ex scripto aliquo historico regis Sverreris (conf. Vol. 7. p. 244) excerpta videntur. Quum vero regem Sverrerem post annum demum 1181 animum ad res literis consignandas adjecisse putemus, hanc de rege Olavo historiam sub finem seculi 12i ab Oddo ad umbilicum perductam existimamus. Ceterum autographum latinum dudum interiit; versionis islandicæ unus tantum superest Codex membraneus, num. 310 in Coll. Arnæmagn. forma 4ti, sec. 13 in Norvegia exaratus (teste Doct. *P. A. Munch*, *Fornms.* 12, 457), aliquot foliis in principio et fine mancus. Particulam hujus historiæ de prœlio Svoldræo edidit O. Verelius, Holmiæ 1665, ipsam historiam, secundum

eundem cod. membr., I. I. Renhjelmius, Upsaliæ 1691, in 4to, cum versione svecica et latina.

6) epitome historiæ Norvegicæ capite et calce truncata, ex fragmento cod. membr. in Norvegia scripti (num. 325, 2, Coll. Arnæmagn.). Norvegicam originem prodit orthographia, cujus maxime notabilia sunt, quod diphthongi ꜵ et ǫ frequenter usurpantur pro hodiernis a, á, o, ó, ö, œ (ɔ: ø ex ó derivato); c non solum pro k, sed etiam pro s, ut in alphabeto slavonico. Hanc epitomen nuper edidit cum versione danica *P. A. Munch* in *Samlinger til det norske Folks Sprog og Historie* 2 Vol. p. 273-335, Christianiæ 1834.

7) Carmen, continens seriem regum Norvegiæ ab Haraldo Pulchricomo ad Sverrerem, antea editum a Joh. Ericio, a consiliis Conferentiarum, Havn. 1787. Exstat in Cod. Flatoensi, secundum quem a Societate nostra editum est, et collatum cum duobus exscriptis chartaceis, ex quibus *B* exscriptum est in Islandiæ quadrante orientali secundum vetustum apographum; *C* exscriptum est Anno 1719; *D* est editio Ericiana. Componendo hoc carmine auctor ignotus antiquitatem generis viri celeberrimi et nobilissimi Jonis Lopti filii (nati 1124, den. 1197), regis Magni Nudipedis ex filia nepotis, nobilitavit; quam ob rem a Joh. Ericio appellatur Jonis Loptidæ *Encomiastes*. Vivente adhuc Jone Loptida compositum esse, ex carminis vers. 78. 81. 83. apparet; scriptum igitur est ante 1197 et post 1184, quo anno rex Magnus Erlingi filius in prœlio Sognensi cecidit. Præter quam quod in hoc carmine genealogia Jonis Loptidæ ab ejusdem ætatis auctore recensetur, etiam eo idem carmen memorabile est, quod annos imperii regum Norvegiæ ab Haraldo Pulchricomo ad mortem Magni Boni, secundum computandi rationem Sæmundi Polyhistoris († 1133), servavit, quam rationem secuti sunt Oddus monachus in historia Olavi

Tryggvidæ et auctor Fagurskinnæ[1]. De qua chronologia pauculas adnotatiunculas subjungam. 1) In universum tenendum est, auctorem hujus carminis chronologici, ut et Sæmundum polyhistorem, de annis imperii, non successionis, cogitasse; id quod in chronologicis non parvam habet cautionem. Quod quum scriptores seculi 12mi vergentis et 13ii ineuntis, Sæmundum ut antiquissimum chronologum secuti, non animadvertissent, sequentes sec. 13ii scriptores, ad normam Arii Polyhistoris, computationem annorum in ordinem successionis magno studio cogere conati sunt, qua re sublata ambiguitate chronologiam certiorem reddiderunt. 2) specialiter de chronologia Encomiastæ: quod regi Magno Erlingidæ tantum septemdecim annos adsignat, id primo sic intellexeram (*Fornms.* 12, 1 not. 5), ut si auctor imperium Magni regis non longius quam ad casum Erlingi produxisset. Quæ ratio quum verbis poetæ aperte repugnet, tandem sum suspicatus, hunc locum mendo laborare, et sic haud dubie restituendum esse; *var sokndjarfr — sun Kristinar — sjötján vetr — ok sex* (pro *í samt*)[2] *konungr;* quos 23 annos numerat ab anno 1161, quo anno Magnus Erlingi filius rex totius Norvegiæ creatus est. Nequaquam enim probabile est, annos imperii regis scriptorem ejusdem

[1]) Oddus monachus (in hist. Olavi Tryggvidæ c. 23) ab initio Haraldi Pulchricomi ad secundum annum imperii Olavi Tryggvidæ 148 annos numerat, Encomiastes 147, unius anni discrimine. Auctor Fagurskinnæ, cui laudatum carmen encomiasticum notum fuit (adfert enim dimidiam stropham 33 sic: *bar kappsamr — Knútr hinn ríki bjartan seim — und bændr,* quam prave Sigvato tribuit) a morte Haraldi Pulchricomi ad initium imperii Haraldi Severi (*hundrað vetra tólfrætt ok tveir vetr* =) 122 annos numerat, Encomiastes 124, duorum annorum discrimine. Vide de hac chronologia doctam adnotationem G. Brynjulvsonii, a me in præf. Vol. I. propositam, quam mihi tantum non tribui video a viro doctissimo *N. M Petersen,* in *Annaler for nordisk Oldkyndighed* 1836, pag. 95-96. [2]) nescio quidem, quomodo *samt* ex *sex* depravari potuerit; id vero sæpissime expertus sum, voculas *ok* (Z) et *i* a librariis confundi. Memento, Codicem Flatoensem ducentis annis post, quam compositum carmen est, exaratum esse.

ætatis ignorasse. Quod autem idem auctor Hakonem Humeros-latum civibus et regno per breve tempus (*litla stund*) imperasse dicit, patet, ei nonnisi aliquot menses anni 1161 adsignare, scil. a die 3. Febr. usque ad creationem Magni regis. Recepta, quam supra proposuimus, correctione, computatio annorum imperii usque ad Magnum Bonum (in quo chronologia Sæmundiana desinit), cum annis successionis bene congruit, excepto, quod auctor regi Haraldo Sigurdi filio viginti annos tribuit, quos haud dubie numerat ab reditu Haraldi in Norvegiam et communicato cum nepote imperio 1046. Venimus jam ad chronologiam Sæmundianam, in qua anni plus divergunt a recepta (Arii Polyhistoris) computatione. De annis imperii Sveinis Hakonidæ, cui Sæmundus 2 annos adtribuit, satis erit, lectorem studiosum ad cap. 189 historiæ Olavi Sancti, qualem Heimskringla exhibet (coll. vita Björnis Hitdalensium athletæ, cap. 7) delegare. Maximam diversitatem et difficultatem crearunt anni, Haraldo Grafeldo et dynastæ Hakoni Sigurdi filio adsignati, quorum illi novem, huis triginta tres annos Sæmundus adtribuit. Sed ex verbis Encomiastæ (*Konungatal*, 20) non continuo sequitur, Hakonem dynastam 33 annos a morte Haraldi Grafeldi Norvegiæ præfuisse; dicit tantum poeta, Hakonem dynastam, post obitum Haraldi, regnum capessivisse, eundemque 33 annos imperium regni exercuisse; hos 33 annos numerandos esse, non a morte Haraldi, sed ab eo anno, quo Sigurdo patre interemto, dynastiam Thrandheimiæ suscepit filius Hakon, docente Ario perspexerunt seculi 13tii scriptores (vide Vol. 1, 247), quod magnam habet probabilitatem. Non moror Fagurskinnam, quæ dynastiam Hakonis ante mortem Haraldi ignorare videtur, nec Oddum monachum, qui (*Fms.* 10, 276) diversas Arii Sæmundique de annis vitæ Olavi Tryggvii filii relationes conciliare studet, sumendo, Hakonem dynastam 33 annos a morte Haraldi imperasse; qua in re

Oddus sibi ipse non constat, quum cap. 15. dicat, a morte Haraldi ad expugnationem munimenti Danici 13 annos intercessisse, postque annis aliquot (*nocqvorum vetrom síþarr*) pugnatum esse in sinu Hjörungorum adversus piratas Jomenses; nam et satis constat, pugnam in sinu Hjörungico factam esse 995, tum quod eodem anno rex Olavus Sanctus natus est, tum quod Annales vetusti, qui Olavum Tryggvii f. anno 999 cecidisse dicunt, eam ad 994 referunt: neque viginti anni *aliquot anni* vulgo dici solent. Sed quæritur, cur Sæmundus Haraldo Grafeldo, quem Arius eumque secuti, auctor historiæ piratarum Jomensium (*Fms.* 11.) et epitomator historiæ Norvegicæ (supra sub num. 6.), 15 annos regnasse dicant, novem tantum annos tribuerit. Debet esse tempus aliquod, quum Hakon dynasta, acerrimus et tandem unicus Haraldi Grafeldi adversarius, tantum prævaluit, ut illa populo invisa Gunnildidarum dominatio tantum non profligata videretur. Hoc factum esse videmus anno 969, quum post trium annorum infidam pacem, sublatis per fraudem Gunnildæ Tryggvio ac Gudrodo, bellum, quod per sex annos duravit, inter Hakonem dynastam et Haraldum recruduit, in quo ille jam cedendo, jam instando effecit, ut Gunnildidæ a Thrandheimicis provinciis, regni parte validissima, penitus exclusi, ne ultra Stadum quidem penetrare auderent. Igitur vero simile videtur, Sæmundum finem imperii et dominationis Haraldi Grafeldi ad annum 970 reduxisse, quum jam bellum anno ante recrudescens penitus exarsisset. Sequitur itaque, Haraldum, ex mente Arii (puto etiam, Sæmundi), obiisse anno 976. Qui annus eo magis probabilis est, quod prima pars mantissæ (ad Landnamam), cujus auctor Arius esse putatur, significat, Haraldum Grafeldum cecidisse 80 annis ante inaugurationem Islevi, episcopi Skalholtensis (1056), qui, quum annos 24 cathedram tenuisset, obiit 1080, ut ex Schedis Arii constat.

Subjunximus huic Volumini familiam Arnmodidarum, secundum exscriptum chartaceum, cujus nævos hic illic corrigere studuimus. Quam genealogiam eo memorabilem existimamus, quod vivo adhuc rege Hakone Seniore compositam esse, verba "*M. drottning*, *er H. konungr á*" haud obscure significare videantur.

Postremo adjecimus genealogiam Styrmeris Polyhistoris, cujus in his scriptis historicis Islandorum haud infrequens mentio fit (Vol 5. p. 176. 223. 258. et Vol. 8. p. 1.). Sed hanc genealogiam nonnisi pro qualicunque conamine et conjectura haberi volo, tum quod locus, quem mox adducturus sum, hactenus, quantum sciam, ad illustrandam familiam Styrmeris Polyhistoris, adhibitus non fuit, tum quod viri eruditissimi, qui res Islandicas summo studio et diligentia sunt perscrutati (Hist. eccl. Isl. Havn. 1772-78. Tom. 1. p. 213, *Grönlands historiske Mindesmærker*, Havn. 1838. Vol. 1. p. 19) nihil de patre aut genere Styrmeris attulerunt[1]. Quæ genealogia si non improbabilis judicabitur, non solum apparebit, Styrmerem Polyhistorem genus ad familias veteris Islandiæ antiquissimas et nobilissimas referre, sed et Arium Polyhistorem et Ketilem Thorsteinis filium, episcopum Holanum, virum, suæ ætatis maxime insignem, nec non ipsum Snorrium Sturlæum cognatione adtingere. Locum quo contineri genealogiam Styrmeris Polyhistoris putamus, servavit historia Laxdalensium, ed. Havn. 1826. in 4to, cap. 78. pag. 332, his verbis:

Herdís Bolladóttir óx upp at Helgafelli, ok var hún allra kvenna vænst; hennar bað Ormr Hermundarson Illugasonar, ok var hún gefin honum; þeirra son var Koðran, er átti Guðrúnu Sigmundardóttur; sonr Koðrans var Hermundr, er átti Ulfheiði, dóttur

[1]) Genus Styrmeris ad Egilem Skallagrimi filium refertur in præf. Egilssagæ p. VIII.

Runólfs Ketilssonar biskups; þeirra synir voru Ketill, er ábóti var at Helgafelli, ok Reinn ok Koðran ok Styrmir; dóttir þeirra var Þórvör, er átti Skeggi Brandsson, ok er þaðan komit Skógverja kyn. Uspakr hèt son Bolla ok þordísar; dóttir Ospaks var Guðrún, er átti Þórarinn Brandsson; þeirra son var Brandr, er setti stað at Húsafelli; hans son var Sighvatr prestr, er þar bjó lengi. Gellir Þorkelsson kvángaðist, hann fekk Valgerðar, dóttur Þorgils Arasonar af Reykjanesi. Synir Gellis voru þeir Þorkell ok Þorgils; sonr Þorgils var Ari hinn fróði; son Ara hèt Þorgils, hans son var Ari hinn sterki.

HISTORIA DE REGE HAKONE HAKONIS FILIO.

Rex nuntium de cœde Skulii ducis accipit[1].

243. His confectis rebus[2] Birkibeini Nidaroso relicto suas quisque domos discesserunt[3]. Stephano Thomæ affini nomen erat viro, [quem Asolvus meridiem versus ad regem misit cum literis, quibus rex cognitis[4], His, inquit, duæ magni momenti res continentur: ingrata res est, monasterium Elgisetrium incensum esse, altera, quod Skulius socer mortuus est[5]. Rex Hakon æstatem Bergis consumsit, ibique rebus in hiemem paratis hiemavit. Hæc imperii ejus vicesima et quarta hiems fuit. Insequenti vere[6] magni momenti res in Dania accidit, obitus regis Valdemaris, Valdemaris Knutidæ filii, qui tunc

[1]) *add. H, B*; De Birkibeinis, *G.* [2]) ingentibus facinoribus, *F*; modo commemoratis, *add. F, B.* [3]) illi boream versus in Halogiam, qui ibi domicilia habebant, illi meridiem versus, qui inde erant profecti, *B, F.* [4]) *a* [: qui literas ab Asolvo ac suis ad regem missas accepit; qui cum Bergas venisset, rex, nuntiato, adesse virum quendam a septemtrione ab Asolvianis missum, hunc ad se in cubiculum vocari jussit; quo cum venisset, regem in eodem cubiculo versantem eodemque sedentem scamno invenit, quo præcedenti hieme, nuntium afferente Grimo Keikane, sederat. Stephanus literas tradidit, quibus rex perlectis, *B, F, G.* [5]) Post hæc concilio tuba convocato, rex omnibus aulicis has res aperuit, quibus omnes magno opere, maxime tamen regina, commovebantur, *add. B, F, G.* [6]) tempore jejunii, *add. F, G.*

temporis regum orbis septemtrionalis unus in præstantissimis fuerat; is Daniæ imperarat annos triginta novem, succedente filio, rege Eiriko, qui antea regnum per quinque annos cum patre una administraverat. Eodem vere[1] rex Hakon orientem versus in Vikam profectus est, misso boream versus in Thrandheimum Jone Tviskiptingo[2]; hic Sigurdum Hitam, unum ex Varbelgis, qui in gratiam cum rege non redierat, de medio sustulit. Eodem tempore Gregorius Jonis filius Arnfinnum Thjovidem interficiendum curavit, vere autem præcedenti[3] Bjarnius Moisis filius poetam Jatgeirem Havniæ interfecerat[4]. Quum rex Hakon orientem versus in Vikam venisset, ibi[5] Gregorium, filium domini Andreæ[6], convenit, qui Ceciliam, filiam regis Hakonis, nuptiis ambiit. Cui petitioni rex liberaliter respondit, eaque res aliquanto post transacta est, sicut infra demonstrabitur. Hinc rex Hakon Kongelam profectus est, regem Eirikum conventurus, nam Sviones[7] regem Hakonem vehementer incusabant, quod Vermalandum incendiis vastasset. Rex Eirikus, qui id temporis in Gothia versabatur, quum ipse regem Hakonem convenire nollet, affinem suum Birgerem, qui in matrimonio habebat Ingibjargam, sororem regis Eiriki, ad eum misit. Eo[8] ad regem Hakonem vir quidam nomine Matheus venit, ab imperatore Fridreko multis cum eximiis muneribus missus, quinque nigros homines (æthiopas) ab exteris adducens. Rex Hakon[9]

---

1) post, *add.* *F*, *H*. 2) Tinskavino, *B*, *F*; Tviskipane, *G*. 3) Eodem (post paulo, *H*), *G*, *H*, *F*. 4) Is tum ex imperio Svionum advenerat, iter ab oriente permensus, ut supra scriptum est, postquam literis a Gunnare regis cognato in Helsingia spoliatus erat, *add.* *B*, *F*. 5) Borgam delatus, *F*, *G*. 6) fratrem regis Philippi, *add.* *F*. 7) eo tempore, *add.* *F*. 8) Kongelam, *F*. 9) eadem æstate, *add.* *F*, *G*, *H*.

boream versus Bergas revectus, ibi [per æstatem[1] moratus est. Hoc eodem anno[2] decessit Gregorius papa, cui Innocentius successit. Proximo[3] autumno Gizur Thorvaldi filius Snorrium Sturlæum Reykholti in Islandia vita spoliavit. Eodem autumno rex Hakon boream versus in Thrandheimum profectus, ibidem hiemavit. Hæc imperii ejus vicesima et quinta hiems fuit.

Nuptiæ dominæ Ceciliæ, regis Hakonis filiæ[4].

244. Hac hieme dominus Gregorius a meridianis partibus monte superato advenit, uxoreque ducta domina Cecilia, regis Hakonis filia, nuptias suas celebravit. Rex, splendido convivio nuptiali celebrato, meridiem versus Bergas profectus, æstatem[5] ibi transegit. Proximo autumno ex Islandia venit Oraekja Snorrii filius, quem Gizur et Kolbein[6] captum peregre miserant. Qui cum Bergis in potestatem regis Hakonis pervenisset, hic ei iram suam, quam sibi injussu regis in patriam revertendo conflaverat, celeriter remisit, sed [significans, eum ob hoc crimen morte digniorem esse, quam patrem: neque pater tuus, si in congressum meum venisset, interfectus fuisset[7]. Oraekja hiemem apud regem transegit, ab eo liberaliter habitus. [8]Hæc vicesima et sexta hiems fuit imperii ejus. [Vergente æstate insequenti iter orientem versus in Vikam comparavit, sed adversis ventis conflictatus cursum Bergas reflexit, ibique hiemem egit[9]; quæ vicesima et septima fuit imperii ejus.

[1]) aliquantum temporis, *F*, *G* [2]) Ejusdem anni autumno, *F*, *G*, *H*. [3]) Hoc eodem, *F*. [4]) *H*; Dominus Gregorius nuptias suas celebravit, *G*. [5]) ver, *H*. [6]) Juvenis, *add*. *F*. [7]) *a* [: tamen eum ea de causa morte dignum judicavit, *H*. [8]) Hanc hiemem rex Hakon Bergis transegit, *add*. *F*. [9]) Proxima æstate rex Bergis se continebat, et insequenti autumno orientem versus in Vikam pro-

Literæ ab Alexandro ad regem Hakonem missæ[1].

245. [Quo tempore rex Hakon Norvegiæ imperavit[2], Alexander, filius Viljalmi Scotorum regis, rex Scotiæ erat; is fuit magnæ auctoritatis princeps, sed hujus seculi honorum appetentior. Is legatos [Scotia ab occidente ad regem Hakonem misit, et primo quidem[3] duos episcopos; qui cum percontarentur, an rex Hakon imperium Hebudum, quod rex Magnus Nudipes Melkolvo[4] Scotorum regi, cognato ejus, [5]extorsisset, concedere vellet, rex significavit, hunc et regem Magnum pactos fuisse, quantam partem Scotiæ aut parvarum insularum proxime adjacentium Norvegi tenerent, regem vero Scotorum nullam habuisse potestatem Hebudum, quo tempore eas rex Magnus victo rege Gudrodo sibi subjecerit, terras hereditarias se repetere existimans. Dicentibus legatis, velle regem Scotorum Hebudes ab rege Hakone emere, petentibusque, ut argento defæcato æstimaret, rex ostendit, se non adeo argento indigere, ut terras suas hereditarias abalienare opus haberet[6]. Quibus actis legati discesserunt[7].

---

ficisci, ibique hiemare statuit. Sed sero paratus erat, (sed ideo Bergis diutius moras nectebat), quod multa habuit curanda negotia, multique legati ex terris occidentalibus aliisque regionibus negotiorum causa ad eum venerunt; itaque (autumno) cum Rogalandum prætervectus esset, incidentibus vehementioribus tempestatibus, cursu Stavangriam reflexo ibi aliquamdiu moratus est; increbescente vero cœli violentia (hiemeque appetente) septemtrionem versus Bergas remensus est, *B*, *F*, *G*, *H*. [1]) *H*; De rege Hakone et rege Skotorum, *G*. [2]) Cum res modo memoratæ in Norvegia gererentur, *H*. [3]) sæpe ad regem Norvegiæ miserat, qui ab eo partem Hebudum, quæ ei erat, venalem peterent, nunc vero misit, *H*. [4]) Mælkolmo, *G*. [5]) injuria quadam, *add.* *B*, *F*, *G*. [6]) Qua ex re aliquæ discordiæ inter reges natæ sunt, *add.* *H*. [7]) Eandem rem rex Skotorum multis internuntiis missis tentavit, nullo præterquam modo memorato negotii successu, *add.* *F*, *G*.

Gizur Thorvaldi filius ab Islandia in Norvegiam venit[1].

246. Hac eadem æstate[2] Gizur Thorvaldi filius ab Islandia in Norvegiam delatus regem Hakonem convenit. Eadem æstate Thordus Kakalius in Islandiam profectus[3], duobus[4] annis, quibus se in Vestfjordis continebat, magnas contentiones cum Kolbeine Arnoris filio habuit. Cum rex Hakon duas hiemes Bergis se continuerat, vere proxime insequenti septemtrionem versus in Thrandheimum profectus est[5]; tum Bjorn abbas peregre redux[6], regem Hakonem oravit, ut sibi iram remitteret, se lætum afferre nuntium significans. Quod cum rex se facturum[7] pollicitus esset, literas regi tradidit, quas ei papa miserat cum benedictione et tam svavibus verbis, ut vix unquam tales in Norvegiam literæ a papa missæ fuerint. Abbas æstate proxime insequenti apud regem versatus est. Proximo autumno rex Hakon orientem versus in Vikam se contulit; tum Ormus episcopus Osloæ obiit. Rex hiemem in Vika transegit; Bjorn abbas septemtrionem versus profectus, domum Holmum redire cogitavit, sed non longius quam in Seljam pervenit, ibique mortuus est. Hæc octava et vicesima fuit hiems imperii ejus.

Literæ ab rege Hakone ad papam datæ.

247. Rex Hakon, revocatis in memoriam splendidis illis literis, ipsi a papa Innocentio missis, Sigurdum archiepiscopum ceterosque Norvegiæ episcopos ad se arcessivit, et[8] ab eis petiit, ut secum una literas ad papam darent veniam-

---

1) *add. G.* 2) modo memorata, qua rex Hakon Bergis versabatur et Orækja ab Islandia advenit, *add. F.* 3) redeundi venia impetrata, *F.* 4) tribus, *B, F, G.* 5) ibique aliquamdiu se continebat, *add F.* 6) homines ad regem Hakonem misit, et, *add. F, B, G, H.* 7) libenter, *add F, G.* 8) cumque convenissent, *F, G, H.*

que regis coronandi peterent. Episcopi liberaliter responderunt, se libenter velle literas communiter cum eo scribere, si[1] ipsis aliqua[2] privilegia dedisset; adjicientes, ut coronandus idem jusjurandum diceret, quod rex Magnus Erlingi filius coronandus dixisset. Quibus rex: adeo liberalia privilegia reges vobis concesserunt, ut ea haud facile augere possim, et tamen concessis plus justo usi fuistis. Si vero nos eodem, quo rex Magnus, jurejurando obstringimus, deminui nostrum honorem, potius quam augeri, sic faciendo existimamus; ille enim nullum impendium curavit, modo ea, quorum nullum jus habuit, consequeretur; ego autem, quod Dei beneficio tribuendum, mihi non opus esse existimo, id a vobis accipere aut emere, [ad quod me Deus jure patris majorumque elegit[3]; aut ego eam (coronam), nullis injunctis iniquis conditionibus, ab hoc tempore libere gestabo[4], aut ea nunquam capiti nostro imponetur. Post aliquanto rex Hakon missis ad papam legatis petiit, ut aliquem cardinalium mitteret, qui se coronationis et inaugurationis honore afficeret.

Nuntius a papa ad regem Hakonem allatus.

248. Proximam post concilium episcopale hiemem rex Hakon Bergis transegit, quæ vicesima nona fuit imperii ejus. Æstate proxime insequenti Gizur et Thordus Kakalius ab Islandia advenerunt, ea inter se compositione facta, ut omnes controversias suas regis judicio submitterent[5]. Præcedenti vere Thordus cum Brando Kolbeinis filio in Skagafjordo pugnaverat, ibi-

---

1) cum hæc meliori successu, quam alii, peregissent, *add. F.*
2) commoda, *F, G.* 3) quod mihi Deus jure hereditario concessit, *H*; et certo sciatis, me Deo adjuvante coronam jure adepturum, *add. F, B, G.* 4) more bonorum regum, *add. F*; ceterorum justorum regum, *G.* 5) Vide Sturl. lib. 7. p. 90-1.

demque magnus numerus virique lectissimi ex utrisque ceciderant[1]. Rex Hakon insequenti autumno septemtrionem versus in Thrandheimum profectus, ibi res ad hiemandum comparavit. Procedente hieme cognovit[2], aliquem cardinalem in Norvegiam a papa venturum, qui jussu papæ omnem regi honorem præstaret. Itaque rex archiepiscopum ceterosque episcopos, præfectos, prætores et aulicos insequenti æstate Bergis adesse jussit; proximo vere naves occidentem versus in Angliam aliasque terras misit, ad comparandas res, quarum ad excipiendum cardinalem in Norvegia maxime opus esse existimabat. Tum Knutus dynasta in Thrandheimo versabatur, ubi se [antea tres[3] hiemes continuerat, et quatuor provincias Thrandheimi, Naumudalum et dimidium Sognum tenuerat.

Cardinalis in Norvegiam venit.

249. Rex Hakon proximo vere e Thrandheimo profectus est, comitatus Knuto dynasta multisque aliis nobilibus viris ex regni parte septemtrionali. Tum annos triginta regnaverat[4]. Viljalmus cardinalis eodem vere a meridianis partibus in Angliam venit, ubi a rege Henreco liberaliter exceptus est. Angli, invidia in regem Norvegiæ et Norvegos stimulati, ei detulerunt, fore ut nullo ibi honore exciperetur, et vix cibariis[5] nutriretur, eumque hortabantur, ne in Norvegiam proficisceretur[6]. Cardinalis sic locutus

[1]) Sturl. I 7 c. 40-42. [2]) legati regis Roma venientes afferebant, *B*; nuntii de legatis regiis e curia venientes afferebant, post eodem anno, *F, H, G*. [3]) circiter tres aut quatuor, *F*; quatuor, *G*. [4]) Qui cum Bergas venisset, adhibitis in consilium prudentibus viris deliberavit, quo modo cardinalem quam honorificentissime exciperet, *add. B, G, F*. [5]) aut potu, præter aquam (sero lactis mixtam, *add. H*), *add. G, H*. [6]) pericula oceani et populi crudelitatem ostentantes, *add. B, F, G*.

est: quando remotior[1] fui, quam nunc sum, audivi homines melius, quam vos, de hoc populo[2] judicium facientes: audivi, ea terra multos esse [bonos homines[3] christianos, regemque prudentem[4]; vidi archiepiscopum eorum, qui bonum principem spondere videtur[5], hos adeundi duplicem causam habeo, quam ab omnibus bonis hominibus probatum iri arbitror, unam, ut eis Jesum Christum verum Dei filium annunciem, alteram, ut Deo adjuvante papaque auspice regem eorum coronem; hoc autem non metuo, ne mihi iis locis cibus potusve defuturus sit. Inde Cardinalis parato in Norvegiam itinere navem conscendit, Norvegiamque ab alto advectus festo Botolphi[6] ad insulam, Sirium dictam, appulit, legatos, qui regem de adventu suo certiorem facerent, præmisit; eodemque tempore, quo legati ad regem venerunt, eos navi sua subsequens sinum Bergensem sero diei velis intravit. Rex missis extemplo ad eum legatis omnia officia liberalissime obtulit. Quibus cardinalis respondit, se regis auctoritati obtemperaturum. Sequenti mane, sacris peractis, rex ad navem suam, viginti quinque interscalmiis instructam, auratis capitibus insignem beneque ornatam[7], descendit, [eamque cum aulicis conscendit; [omnes quoque toparchæ suas naves provehi jusserunt. Rex cardinalem convenit[8], saluteque inter se amicissime data et accepta, ad pontes accesserunt, sa-

[1]) a Norvegia, *add. G.* [2]) qui eam terram incolit, *add. B, F.* [3]) homines bene, *B.* [4]) et sapientem, *add. G.* [5]) audivi, ibidem sapientes episcopos esse, quo multa alia bona accessura puto, *add. B, F.* [6]) 17. Junii. [7]) Draconem dictam, *add. B, F.* [8]) omnes toparchæ, qui in oppido erant, naves suas eo, ubi cardinalis stabat, provexerunt. Cardinalis fasclo Anglico vehebatur. Rex, advocatis præfectis et aulæ magistris, navem cardinalis conscendit, *B, F.*

cerdotibus[1] cardinalem splendida pompa excipientibus. Dein rex concionem in cœmeterio ædis Christi tuba convocari jussit; cumque cardinalis in conventum venisset, hunc in modum verba fecit:

Oratio cardinalis.

250. Omnes homines scire volo, me, Deo benignissime administrante papaque auspice, hanc in terram venisse, ut incolis nomen [Jesu Christi[2] annuntiem, regemque vestrum coronem. Cui rei non præfecit aliquem sacerdotem aut parvæ auctoritatis clericum, sed me, unum ex cardinalibus suis, episcopi nomine insignitum, eaque potestate, ut omnes causas solvere et ligare possim, ut si ipse papa præsens adesset; voluit enim hæc ita fieri, ut regi quam maximo honori essent. Dein fidem multifariam[3] populo prædicavit, eoque facto omnibus[4] domum redeundi veniam benigne impertivit[5]. Cardinalis crebros cum episcopis sermones habuit; postremo archiepiscopus advenit, qui quum cum cardinali collocutus fuisset, rex animadvertere sibi visus est, [alia coram eo agi, quam ipse antea facere decrevisset[6].

Postulata cardinalis et responsum regis.

251. Die quodam [cardinalis regem allocutus[7]: quandoquidem, inquit, majorem ab sancta ecclesia honorem, domine rex, impetrare cupis,

---

[1]) episcopis, clericis et monachis, *B, F.* [2]) cœlorum regis, *G.* [3]) catholicam, *H.* [4]) suam benedictionem et, *add. B, F.* [5]) dein toti multitudini benedixit (benedictionem impertivit, *H*), *G*; Inde rex et cardinalis sæpius inter se collocuti sunt, sermone cardinalis id solum spectante, ut quam maximum regi honorem præstaret, *add. B, F, G.* [6]) cardinalem ad perficiendam inaugurationem paulo, quam antea, cunctatiorem esse, *G.* [7]) cum rex et cardinalis in æde Christi colloquerentur, cardinalis sermonem sic orsus est, *F, G.*

quam regum Norvegicorum quisquam antea adeptus est, speramus te idem, quod ante te alii, sanctæ ecclesiæ concedere, aliaque insuper commoda addere velle, eodemque te jurejurando obstringere, quo se rex Magnus, qui primus in hac terra coronatus est, obstrinxit. Ad hæc rex: intelligo, domine, hæc verba non tam sponte tua, quam aliorum instinctu proficisci; verum sanctæ ecclesiæ ejusque ministris id beneficium libentur damus, ut eadem libertate fruatur, quæ his in terris constituta est, ubi et sancta ecclesia et regia dignitas sua quæque libertate, suoque honore fruitur. Etsi autem aliquis rex concesserit ea, quæ nonnisi pro se polliceri potuit, tamen nos neque nobismetipsis neque posteris nostris turbandas rationes censemus. Atque, ut mentem meam breviter expromam, si quas coronationis conditiones præscribere velis, potius nullam coronam gestare, quam ulla indui servitute volo, qua re non est, cur hanc rem sæpius tentes. Cardinalis respondit: noli, domine rex, ista re offendi, omnia enim ex tua voluntate fient. [Paulo post cardinalis episcopos allocutus[1]: quæ sum rogatus, inquit, verba coram rege protuli, qui mihi hac de re veriora dicere videtur, quam qui alia postulant; [neque plura cum rege verba de hac re faciam[2].

De rege et cardinali.

252. Rex nomine subditorum suorum multis de rebus necessariis coram cardinali agebat, quibus necessitatibus hic, quantum fieri potuit,

[1]) Post hæc cardinalis, advocato archiepiscopo, episcopis suffraganeis et canonicis, his eos compellavit, *B*, *F*. [2]) quare scire vos volo, me nihil præterea ab hoc tempore postulaturum, modo illum tam libere, quam regiæ dignitati convenit, coronaturum; cæterum de his sæpius fieri mentionem non opus est, *B*, *F*, *G*.

subveniebat[1]. Ædem Apostolorum, ad ædes regias sitam, quam rex Hakon faciendam curaverat, inauguravit[2], magnasque perpetuas indulgentias addidit. [Tum quoque decretum est, ut rex festo sancti Olavi sub corona inauguraretur; ad eum enim genus suum referebat[3]. Eo[4] tempore cœli status erat aquarum magnitudine turbulentus, ut præparari sub dio mansiones non possent[5]. Rex Hakon magnam ædem prope [stationem navium[6], naustibulo destinatam, ædificandam curaverat, nonaginta cubitos longam, sexaginta latam. [Hanc rex convivio instruendo quam diligentissime præparavit, nusquam enim locum tantæ multitudinis æque capacem habere sibi visus est[7].

Inauguratio regis Hakonis[8].

253. Post hæc impensæ inaugurationis, festo Olavi celebrandæ, apparatæ sunt. Hi principes adfuerunt: Viljalmus cardinalis, Sigurdus archiepiscopus, Henricus episcopus Holensis, Arnius episcopus Bergensis, Askel episcopus Stavangriensis, Thorkel episcopus Osloensis, Paulus episcopus Hamarensis. Hi laicorum[9] prin-

1) et omnia, quæ pustulasset, impetravit, *add. G.* 2) hoc factum esse 15. Julii, memorat Sturl. hist. lib. 7. p. 92-3. 3) *a* [: cumque mentio inferretur, quo die rex inauguraretur, cardinalis significavit, id festo alicujus apostolorum fore; rex vero Hakon, quod genus ad regem Olavum sanctum referebat, ejus maxime festo ornari hoc honore cupivit. Dein omnia ad hanc rem necessaria ordinata sunt, *B, F, G.* 4) æstatis, *add. F, G.* 5) quare fuerunt qui hortarentur, ut rex convivium appararet in duobus illis palatiis ligneis, quæ in ædibus regiis erant, *add. B, F.* 6) Knoram, *F.* 7) *a* [: Huc cum rex et cardinalis aliquo die se contulissent, rex locutus est: quoniam non magnas ædes habemus, placetne tibi, domine, quo major adesse possit populi frequentia, convivium hoc loco strui? Cui cardinalis: hoc mihi consilium præplacet. Dein rex hanc ædem quam apparatissime instruendam curavit, *ceteri.* 8) *B*; de lectissimis in Norvegia viris, *G.* 9) laici et, *F.*

cipes: rex Hakon, rex Hakon juvenis, filius Hakonis regis, Knutus dynasta, dominus juvenis Magnus, Sigurdus regis filius. Hi præfecti: Gautus Jonis, Lodin Gunnii, Jon Drotning, Sigurdus episcopi filius, Petrus Pauli, Gunnar regis cognatus, Munan episcopi filius, Finnus Gauti, Brynjolvus Jonis[1]; decem abbates; archidiaconi et præpositi[2] ex omnibus[3] diœcesesi; quinque prætores, aulæ regiæ magistri et toparchæ[4] omnesque aulici, amplissimique cujusque provinciæ coloni. Aderat et magnus exterorum numerus. Eo tempore magnæ erant pluviæ noctu interdiuque; quam ob rem spatium inter fores ædis Christi et ædes regias intersitum pannis viridibus ac rubris tam superne quam ab utroque latere circumvelatum fuit, in area vero ædium regiarum tabernacula posita erant, ut sine ulla pluviæ injuria transiri in cubicula posset.

254[5]. Vespera festi Olavi incidebat in diem solis, ipso autem die festo sacra per totum oppidum celebrata sunt. Quibus peractis tota concio in cœmeterium ædis Christi tuba evocata est. Octoginta[6] aulici, [7]armatura instructi, viam ad ædem Christi patefacerent. Processus regis ad ædem sacram ita instituebatur: primo aulici viam facientes bini semper procedebant, deinde duo viri[8] cum[9] vexillis, dein pincernæ et toparchæ[10] splendidis vestibus induti, dein præfecti cum ornatis ensibus, dein tres[11] præfecti, ingentem abacum [supra capita[12] ferentes, cui totus vestitus inauguralis regiusque ornatus impositus

[1]) multique alii, *add. G.* [2]) et plerique canonici, *add. F, G.* [3]) regni, *add. F.* [4]) præfecti aulicorum, *add. B, F, G.* [5]) De ordine inaugurationis regiæ, *G*; de officio cardinalis, *B*; inauguratio regis Hakonis, *H.* [6]) nonaginta, *H.* [7]) plena, *add. B, F.* [8]) signiferi, *B, F, G.* [9]) duobus, *add. F, G.* [10]) bini semper, *add. H* [11]) quatuor, *B, G.* [12]) inter se, *F, G, H.*

erat; tum procedebat Sigurdus regis filius et Munan episcopi filius, ferentes duas virgas regales (duo sceptra) argenteas, alteram cruce aurea, alteram aquila aurea insignem, dein procedebat rex Hakon juvenis, coronam portans, et Knutus dynasta, [aurum inaugurale[1] ferens; archiepiscopus Sigurdus et duo alii episcopi regem Hakonem[2] ducebant. Proxime ad portam[3] ædium regiarum occurrerunt sacerdotes[4] solenni pompa, qui concinentes responsorium, *Ecce mitto angelum meum*, ad ædem sacram accesserunt. Cardinalis foribus templi adstitit, cum duobus episcopis et clericis suis, qui[5] regem ad altare comitabantur; dein missa cani cœpta, deindeque officium inaugurationis ex præscripto peragebatur. Missa peracta, archiepiscopus ceterique episcopi regem ad cubiculum eodem quo antea ordine comitati sunt, laudes Dei canentes. Post hæc rex, deposito cultu inaugurali, [alium vestitum splendidum[6] induit, eoque die coronam gestavit. Dein rex cubiculum [cum suis ingressus est[7]. Tota domus pannis coloratis, eximiisque tapetibus e [bombyce et serico coccino[8] auro intertexto circumvelata fuit. Sedilia in triclinio ita erant disposita, ut rex sederet a boreali[9] latere [cubiculi interioris[10]: cardinalis ab altero[11] regis latere sedebat, tum archiepiscopus, [dein epi-

---

[1]) gladium inauguralem, *B*, *G*. [2]) inter se, *add.* *B*, *G*. [3]) arcæ, *add.* *H*.. [4]) episcopi, abbates et alii clerici, *F*, *G*. [5]) cantum denuo auspicantes, *add.* *B*, *F*, *G*. [6]) plenum regium ornatum, *B*, *F*, *G*. [7]) ubi convivium ageretur, cum omnibus convivis ingressus est; ad ædem Christi minorem cardinali occurrit, qui una cum eo tota comitante multitudine domum ingressus est, *B*, *F*. [8]) serico coccino et bombyce, *B*. [9]) inferiori, *B*, *F*. [10]) juxta columnas, *B*; j. c. interiores, *F*, *G*. [11]) dextro, *F*, *G*, *H*.

scopi suffraganei[1]; a dextra parte mare versus sedebant [ceteri sacerdotes[2]; in medio cubiculo[3] e regione solii alterum solium collocatum fuit, in quo rex Hakon juvenis sedebat, et Knutus dynasta et Sigurdus regis filius, extraque horum latera præfecti. A sinistra[4] regis regina sedebat, tum domina Ragnilda[5] mater ejus, tum domina Christina et domina Cecilia[6], tum domina Ragnfrida[7], extraque has ceteræ feminæ, quantum spatium patiebatur. A meridiana parte aulici regii sedebant, duplici ordine per totam domus longitudinem [denis ternis sellis dispositis[8]. Magnus hominum numerus, quibus intus locus non sufficiebat, in tentoriis circa[9] se continebat. Primum ferculum hi præfecti intro tulerunt: Munan episcopi filius, Brynjolvus Jonis, Gunnar regis cognatus, Sigurdus episcopi filius. Primum poculum rex Hakon patri suo propinavit, Knutus dynasta cardinali, Sigurdus, regis[10] filius, reginæ, Munan episcopi filius archiepiscopo, quo facto sedes suas[11] occuparunt.

Oratio cardinalis.

255. Convivis vixdum[12] cœnatis, cardinalis[13] sanctam fidem hominibus prædicavit, et sic locutus est: gratia Deo habenda, quod negotium mihi a[14] domino papa demandatum hodie peregi, quodque rex vester jam[15] pleno ho-

[1]) tum episcopus Bergensis et deinceps ceterorum episcoporum reliqui, *F, G.* [2]) abbates, priores, præpositi aliique clerici, *F, G.* [3]) palatio, *F, B, G.* [4]) dextra, *F.* [5]) Margareta, *G.* [6]) regis filia, *add. B, F.* [7]) Ragnrida, *B, G*; tum abbatissæ, *add. F, G.* [8]) extra vero illos sedebant speculatores ordine bipartito, hi autem ordines omnino tredecim erant per totam domus longitudinem, *B, F, H.* [9]) juxta triclinium, *G.* [10]) episcopi, *B, F, G.* [11]) cum ceteris convivis, *add. G,* [12]) ferme, *H.* [13]) imperato per præconem silentio, *add. F.* [14]) sancta urbe Roma et, *add. B, F, G.* [15]) coronatus, cui rei gratulor, et, *add. F, G.*

nore, qualem nemo antea in Norvegia obtinuit, ornatus est. Etiam multi me magnopere hortabantur, ne huc proficiscerer, dicentes, me paucos homines visurum, [si quos vidissem, feris quam hominibus[1] similiores ratione vivendi fore; contra ea nunc [innumeram populi hujus terræ multitudinem video, quæ mihi bene morata esse videtur[2]. Magnum quoque numerum exterorum hominum video, tantamque navium multitudinem, ut plures in uno portu non conspexerim, quarum plerasque bonis rebus onustas huc pervenisse existimo. Etiam mihi magnus timor injectus est, ne his locis parum panis aut alius cibi accepturus essem, et si quid, malum; ego vero magnam video copiam bonarum rerum, quibus et domus et naves refertæ sunt. Dixerant, me nullum hac in terra potum, præter aquam sero lactis mixtam nacturum; nunc autem [hic video omnes res, quibus opus sit[3]. Deus[4] reges nostros, reginam, episcopos, clericos[5], omnemque populum servet[6]! [His dictis cardinalis cum suis discessit[7]. Sic Sturla cecinit:

Ea fortuna
bonis auspiciis
evenit Hakoni
a Dei filio,
ut præfectus
potentis ecclesiæ

---

1) ego vero arbitratus sum, si quos vidissem, hominibus quam feris, *cet.* 2) multos et bene moratos homines video, *G.* 3) Deo gratia habenda, quod his locis maximam bonarum rerum copiam video, quibus satius est uti, quam carere, *F, G, H.* 4) dominus, *add. F.* 5) præfectos, *G.* 6) cumque det exitum adventus mei, qui vobis et omnibus nobis gaudio (bonori, *B*) sit et in hac et in altera vita, *add. F, B, G.* 7) Post hæc convivæ cœnati ad ædem sacram concesserunt, *H.*

dominum populi
paci initiaret[1].

Et principis
regio capiti
magnanimus
coronam imposuit;
tum strenuus
cardinalis
jussu papæ
Bergas venit[2].

Idem præterea sic:

Te excellentem, marinæ osor flammæ,
inauguravit Viljalmus cardinalis;
populi rex, nullus æque præstans
illuc ex imperio papæ missus est.
Genere nobilis princeps, te rector
ecclesiæ christianæ corona ornavit.
Tu qui sceptrum imperii potenter
gestas, validum regnum gloriose obtinuisti[3].

Digresso cardinali, rex Hakon remansit, dum nondum remotæ essent mensæ, hymnusque in honorem Mariæ cantaretur. Quo facto convivis

---

[1]) Constructio: *Sú gipta kom góðu heilli af guðs syni yfir Hákon, er fyrirmaðr öflgrar kristni vígði a) allvald til friðar.*

a) valgði, destinaret, *H.*

[2]) Constructio: *ok geðstórr a) lèt kórónu á konungligt grams höfuð; þá kom kappsnúinn kardináli í Björgyn, at boði páva.*

a) sic *F, G, H*; *geðstórt, A.*

[3]) Constructio: *varbáls hötuðr! Vilhjálmr kardináli lèt vígja þik frægjan; aldar gramr! engi valdist þangat a) jafngóðr af páva valdi. Kynprýddr jöfur b)! Kristni-stýrir lèt yðr of c) skrýdda d) kórónu; reiðivaldr ríkisvandar! hafit haldit ramri grund með frægðum.*

a) hingat, huc, ceteri. *b)* omitt *A*; ceteri add. *jöfr*, rectius *jöfur* v. *jöfurr.* *c) um*, id., *F, G.* *d)* ad verbum: tibi coronam ornandam curavit; malui *skrýddan*, te corona ornavit.

valedixit, gratiis de eorum illuc adventu actis. Convivium in hoc triclinio per tres dies [eodem modo[1] celebratum est, neque defuit ulla res, qua opus erat. Sic Sturla:

Ea vero Hordorum
regis magnificentia
ad cœli cardines
ferebatur, quam
splendido convivio
princeps celebrarit
diem gloriosum
inaugurationis suæ[2].

Nullus populi imperator,
neque in oriente,
neque in occidente,
candido telluris
sub lacunari,
plures inclutos viros
ad compotationem una
domo invitatos excepit[3].

---

[1]) adparatissime, *G*.

[2]) Constructio: *en sú rausn Hörða a) grams knátti ríða b) með himiuskautum c), hversu Völsungr d) knátti e) veita sæmdar f) dag vigslu g) sinnar.*

a) Vaursa, Vorsiensium, *B*, i. e. regis Norvegici. *b) rísa*: extulit se, *H*, vel id. q. *ríða*, variante dialecto. *c) vellskautum, B.* ɔ: inter viros liberales divulgabatur, a *vellskati*, vir largus. *d) Volsungr*, id., *B, F. e) nátti*, id., *B. f) valin*, delectum, destinatum, *B. g) sic F, H; veizlu, A, B*, quod ex præcedenti *veita* repetitum videtur; ceterum *G* hanc stropham omittit.

[3]) Constructio: *nè a) allvaldr, austr nè vestr undir hvítu hreinvers b) ræfri, valdi einu ranni fleira frægðar e) fólk at ölskipan d)*

a) sic *B, F, H; ok*, et, *A*, prave, nisi in, seqq. legas *valdit. b) hreinbergs*, ædis v. domicilii machlium, i. e. montium v. montanorum, *F, H; hreinbærs, B*, forte idem, eliso *g* secundum

Ibidem non defuit copia supellectilium mensalium, omniaque liberaliter erant parata, quod sequentia testantur:

Ibi aurea
pocula, vino
plena, amicorum
manibus versabantur.
Liquor vero, omnium
medicina dolorum,
ad præcordia cœtus
devolvebatur aulici[1].

Auratum latus
cymbæ vinariæ
in scopulos palati
regiorum illisum est;
unda vero mellea
in animi naviginm
regii satellitii
cum sonitu irruit[2].

---

pronuntiationem; *hreinver*, mare machlium, terra, ejus *ræfr*, tectum terræ, cœlum. *c*) *fremdar*, id., *B*. *d*) *allri skipan*, ɔ: ratione habita omnis dispositionis, *B*, haud commode h. l. Nescit hanc stropham *G*.

[1]) Constructio: *þar knáttu víni a*) *full b*) *gullker c*) *geisa d*) [*í vína e*) *greipum, en heili-vágr allra meina f*) *fèll til hjarta inndrótt.*

a) conjeci; *inni*, intus, *omnes*. *b*) *fullum*, *F*. *c*) *í gull*, *B*. *d*) *geiga*, id., et quidem usitate, *B*, *F*; *gneiga*, *H*, *G*, puto id. q. *hneiga* (i. e. *hneigja*), ɔ: inclinabantur. *e*) conjeci; *unna*, *A*, *B*, *F*, *G*; *unnar*, *H*, quas lectt. nondum assecutus sum. *f*) sic conjecit doctissimus F. Magnusenius, verissime, ut puto; *ma*, abbreviate, *G*, *H*; *striða*, eod. sensu, *B*; *manna*, hominum, *A*; vocem omitt. *F*.

[2]) Constructio: *gylltu borði vinfars a*) *skaut á gómsker b*) *vísa mönnum, en hunángs bára c*) *fèll glymjandi í geðknör d*) *hilmis hirð e*).

a) sic *B*; *vistfars*, navigii cibarii, i e. catini, *cet.*, haud com-

Dein rex convivium in palatio maritimo, quod in ædibus regiis erat, per quinque dies celebravit, præsente cardinali et archiepiscopo[1], omnibusque lectissimis viris[2]. Rex et cardinalis[3] quotidie in colloquio erant[4]. Episcopi cardinalem orarunt, peteret a rege, ut partem vectigalium[5] sanctæ ecclesiæ concederet. [Cardinalis respondit: cum rex universæ terræ imperet, totumque regnum in ejus potestate sit, si cupiatis eum nonnihil clericis[6] de jure suo remittere, vestrum quisque etiam ei partem redituum, tam mercedum ex prædiis, quam aliorum vectigalium[7], concedatis. Quod si facere nolitis, neque ego petere a rege possum, ut suos reditus imminuat. Post hæc nulla hujus rei mentio a quoquam est injecta[8]. Tum coloni graviter querebantur, quod episcopi decumas ex templis exigerent, quas aut reditibus convivalibus adderent aut ipsi sumerent. Cardinalis constituit, templa oportere decumas suas aliosque reditus eodem, quo episcopi suas facultates, jure obtinere. Clerici querebantur, quod episcopi, etsi in pagum (diœcesin) non venirent, tamen a sacerdotibus convivia aut pecuniam numeratam exigerent. Cardinalis declaravit, hoc legibus divinis[9] et sanctæ ecclesiæ repugnare,

modo hoc nexu, cum intelligatur poculum, quod labiis admotum cum navi in scopulos ejecta poeta comparat. *b*) i. e. dentes v. labia. *c*) i. e. mulsum. *d*) i. e. pectus. *e*) hanc stropham nescit *H.*

[1]) omnibus episcopis et plerisque suorum, præfectisque et prætoribus, *add. B, F.* [2]) convivium duravit octo dies, *add. F, G, H*; plena magnificentia, *add. G.* [3]) episcopi, præfecti prætoresque *add. F, G, H.* [4]) et de re publica, jureque ac privilegiis clericorum et sanctorum templorum disputabant, *add. F, G, H.* [5]) suorum, *add. F.* [6]) populo, *F, G.* [7]) tributorum, quæ ad vos redeant, *F, G.* [8]) a [: Cardinalis vero eos vicissim omnes suos reditus decimare jussit; quorum neutrum factum est, *H.* [9]) episcopi, *F.*

vetans ne quam pecuniam numeratam exigerent, si ipsi non adessent, nisi ægrotarent, aut jussu regis abessent aut ad archiepiscopum proficiscerentur. Querebantur et coloni, se multas pendere, si fructus stantes festis diebus conderent, aut pisces caperent, si quos Deus dedisset. Qua de re cardinalis constituit, ut licitum esset, fenum et frumentum [condere, et haleces capere[1], si Deus dedisset, nisi incidentibus festis maxime solennibus. Prohibuit et candentis ferri gestationem, ostendens dedecere homines christianos, Deum ad testimonium de causis hominum ferendum quasi carminibus provocare. Multa alia præscripsit cardinalis, quæ in hoc scripto non reponuntur.

De discordia fratrum, Eiriki et Abeli, in Dania[2].

256. Hoc tempore rex Eirikus Valdemaris filius Daniæ imperavit. Post mortem regis Valdemaris discordia orta est inter fratres, Eirikum et ducem Abelum, qui tunc temporis dux[3] Jotiæ erat[4]. Tum Dani bellum cum Lubecensibus gerebant, unde [magna rerum perturbatio extitit, mercatoribus qui per Daniam navigabant infestatis[5]. In freto Græningio aliquot naves Norvegicæ a Danis captæ ac penitus direptæ, [pluribusque locis Norvegi et a Danis et a Lubecensibus spoliati[6]. Hac autem æstate, qua Viljalmus cardinalis Bergis versabatur, rex Hakon omnes naves quæ a Dania[7], et Vendia advenerant, et aliquot mercatorias grandiores, quæ Germanorum erant, intercipiendas curaverat, omnia-

[1]) omnesque stantes fructus condere aut pisces capere, *H.* [2]) *G*; de principibus et rebus eos intercedentibus, *H*; Henricus episcopus Holensis inauguratus, *B.* [3]) *omitt. G.* [4]) præerat, *G*, *H.* [5]) Germanis per Daniam navigare non licuit, *G.* [6]) nonnullæque a Lubecensibus captæ, *H.* [7]) et Germania, *add. B.*

que eorum bona occupaverat. Homines, [ad quos ea calamitas pervenerat[1], cardinalem orarunt, ut cum rege de reddendis rebus agerent. Ille sic fecit, regemque oravit, ut sua causa clementer cum eis ageret, se enim existimare, horum culpæ non tribuendum esse, quod homines cum mercibus commeantes a prædatoribus Danis aut Lubecensibus direpti essent. Rex ita respondit, se precibus cardinalis motum res restituturum, nullo vero pacto exspectandum esse, se injurias, quas Dani rapinis et cædibus inferre Norvegis cœpissent, [æquo animo[2] laturum. Sic mercatores res suas receperunt[3]. Eadem æstate Henricus Karis filius episcopus Holensis in Islandia inauguratus est.

Nuntius a cardinali in Islandiam missus.

257. Eo tempore, auctore cardinali, hoc decretum in Islandiam missum est, ut ea natio, quæ ibi incoleret, imperio regis Hakonis se subjiceret; hanc enim gentem nulli regi subjectam esse, uti ceteræ omnes ubicunque terrarum, iniquum esse ducebat. Itaque Thordus Kakalus cum Henrico episcopo in Islandiam missus est; hi id mandatum ad incolas perferrent, ut se imperio regis Hakonis, tributisque, de quibus inter eos convenisset, conferendis obstringerent. Eadem æstate episcopus Olavus[4] in Grænlandiam missus est. Gizur Thorvaldi filius in Norvegia remansit. Proxime insequenti autumno episcopus Henricus et Thordus in Islandiam pervenerunt, et in Borgarfjordum profecti sunt. Thordus omnem ditionem pecuniasque, quæ Sturlæ Sigvati filio patruoque Snorrio Sturlæo fuerant, sibi subjecit. Idem jussu regis territorium Thor-

[1]) horum bonorum possessores, *F.* [2]) semper, *F, G*; inultas, *H.* [3]) regemque (et cardinalem, *add. G*) collaudabant, *add. G, B, F.* [4]) super eadem causa, *add. B.*

leivi Gardensis, qui injussu regis Hakonis in Islandiam redierat, ut supra scriptum est, sub potestatem suam redegit. [Ubi Thordus in partes boreales insequenti hieme pervenit, homines Thordo inimici querelas suas ad episcopum detulerant, quorum causam ille susceperat; quibus rebus factum est, ut amicitia inter Thordum et episcopum frigescere cœpisset, donec tandem[1] nulla de re inter eos conveniret. Episcopus, duabus in Islandia transactis hiemibus, ad regem Hakonem reversus est, et ab eo inde tempore Thordo inimicissimus fuit. Itaque Henricus episcopus ac Gizur, amicitia consociati, demonstrarunt, si ipsi in Islandiam mitterentur, regium negotium melius successurum[2].

Digressus regis et cardinalis.

258. [3]Cardinalis omnia ab se in Norvegia præscripta et constituta literis mandavit et obsignavit[4], eoque facto ad reditum se comparavit. Rex navem viginti transtrorum, duas [celoces et unam onerariam[5] instruendam curavit[6], eique Gunnarem cognatum suum gubernatorem dedit; cardinalem omnesque suos ingentibus muneribus donavit; archiepiscopo, omnibus episcopis, præ-

[1]) *a* [:Brevi in Islandia episcopus Henricus et Thordus commorati erant, cum discordia inter eos oriri cœpit, causante episcopo, quod Thordus fidem de insula sub potestatem regis Hakonis redigenda datam minus sincere præstaret, unde brevi factum, ut, *H.* [2]) Vide hist Sturlæorum libr. 7. c. 47. [3]) Jam expositæ sunt nonnullæ res, quæ inter cardinalem Viljalmum et regem Hakonem intercedebant, multa autem populo utilia in congressu eorum constituta sunt, quæ hoc loco non scribuntur, *add B, F, G.* [4]) interdictum Deique iram denuntians, si quis ea neglexisset. Post hæc cardinalis veniam proficiscendi expetiit, quam rex libenter concessit, et plerisque domum redeundi potestatem fecit, *add. B, F.* [5]) *a* [:onerarias, *H.* [6]) et cum his navibus cardinalis profectus est, *add. F, G.*

fectis, virisque honestioribus insignia dona dedit, teste Sturla:

Ibique sedit
virorum dominus
auri munificus
in sella liberalitatis.
Accepit quisque ab
annulorum largitore
quodcunque homines
concupiscere possent[1].

Ibi exorta est
omni populo
lux manualis
in cœlo medullæ.
Principum rectoris sol
brachialis collustravit
accipitrum regiones
regio comitatui[2].

Ibi purissima
nix crumenæ
e montibus arcuariis
annulorum fractoris
in xylosoleas terribilis

---

[1]) Constructio: *ok gulli grimmr a) seggja drottinn sat þar á gjafstóli b); hverr maðr þá at c) hringskata, þat er yr d) þjóð kunni æskja.*

a) cet.; g̃rimr, A. *b)* i. e. opes liberaliter distribuit. *c) af,* id., *H. d) öll,* omnis, *B,* sed *yrþjóð* est id. q. *verþjóð,* gens virorum, viri, homines.

[2]) Constructio: *mundar dagr a) rann þar upp á mergs himin b) allri þjóðu; armsól c) jöfra stýris d) skein e) á f) vala grundir g) vísa ferð.*

a) i. e. aurum, annuli aurei. *b)* propr. os (ossis), h. l. brachium. *c)* sic *B, F, G*; *arinsól, A,* vulgari errore; intelligitur armilla. *d) skýris, F,* nescio an corrupte. *e)* add. *F, B. f) um,* super v. circa. *B*; *of,* id, *G, H. g)* i. e. manus v. brachia.

anserculorum perniciei
virorum nobilium
delapsa cecidit[1]

Fortesque viri
lembos accipitrum,
ignibus æquoreis
nivibusque catini
onustos, deportarunt
a congressu optato
virorum domini, rebus
præclare gestis inclyti[2].

Rex Hakon cum omnibus navibus suis cardinalem in Florovogos prosecutus est, ibique amicissime digressi sunt. Ille[3] ad papam rediit, et ab eo inde tempore se Norvegis amicissimum præbuit.

---

[1]) Constructio: *harðu a) hrein sjóðmjöll b) knátti þur svífa af bogafjöllum c) bauga brjóts of andra geigurs d) gaglfárs e) hárri þjóðu f).*

a) *harðla*, id, *B.* *b*) i. e. argentum. *c*) i. e. manibus. *d*) *geigr*, *B*, *F*, *G.* *e*) i. e. manus; *gaglfár*, pernicies anserculorum, accipiter, hujus xylosolea, manus, cui insidet falco, ut cursor xylosoleis insistit; *geigurr* h. l. pro adjectivo accipio, formato e subst. *geigr*, terror. *f*) nescit hanc stropham *H.*

[2]) Constructio: *ok herðimenn fluttu hauka ferjur a), hlaðnar hafleyg b) ok digulsköflum c), af óskafundi dáðum rakks allvalds d).*

a) i. e. manus *b*) i. e. auro. *c*) i. e. argento; *skafl* h. l. est nix vento cumulata. *d*) omitt. hanc stropham *H.*

[3]) Cardinalis orientem versus proficiscens, serius ventos nactus secundos, aliquantum temporis Stavangriæ moratus est. Inde Tunsbergum, hinc Osloam profectus est. Et omnibus locis, quocunque veniret, causas hominum dijudicavit. Osloa Kungelam profectus, hic generale concilium indixit, quo multi e Gothia ad eum venerunt; eadem hoc loco, qua antea, oratione usus est, Deo pro suo in Norvegiam adventu gratias agens. Dein orientem versus in imperium (regnum, *F*) Svionum (sursum in Sveciam, *G*) concessit, indeque, *B*, *F*, *G*, *H.*

Haraldus, rex Hebudensis, nuptias dominæ Ceciliæ petiit.

259. Autumno proximo post inaugurationem rex Hakon in Vikam profectus est, et insequentem hiemem Osloæ egit. Tunc ab occidente adveniens ex Hebudibus Haraldus, filius Olavi Gudrodi filii, Monæ rex, regem orientem versus proficiscentem subsecutus[1] est. Hæc tricesima et prima hiems fuit imperii regis Hakonis. Id temporis Sveciæ rex erat Eirikus Eiriki filius, nepos ex sorore Valdemaris, Daniæ regis; summa vero reipublicæ erat penes dynastam Ulvum Fasium, filium dynastæ Karli Surdi; is regi Hakoni et Norvegis favebat, et[2] regem Eirikum dehortatus est, ne moleste ferret, quod rex Hakon Vermiam incendiis vastari jussisset. Dominus Birger, filius Magni Minniskjaldi, tertius erat summus reipublicæ consiliarius; is in matrimonio habebat Ingibjargam, sororem regis Eiriki. Hac hieme, qua se rex Hakon Osloæ continebat, Ivarem Thorsteinis filium[3] principes Sviones ad eum miserunt, sciscitatum quo pacto satisfacere vellet, quod in Vermiam infesto agmine irrupisset. Rex Hakon ostendit, se haudquaquam nimia incitatum animi effusione Vermiam inflammasse[4]: [hi enim multas seditiosorum hominum factiones adversus nos excitarunt[5]. Si quid autem erit, cujus alteri alteros insimulemus, [eos ad fines regni conveniam, tumque contro-

[1]) comitatus, *F.* [2]) cum multi ex ceteris Svionum principibus essent, qui regem hortarentur, ut hanc injuriam aliqua ultione vindicaret, *add. B, F.* [3]) ex Dalis, *add. F, G, H.* [4]) neque se eo consilio orientem versus silvam Eidensem trajecturum fuisse, nisi Vermienses multas rebellium factiones ad rapinas cædesque in Norvegia faciendas adjuvissent, quam ob causam se multos eximios viros amisisse, *add. B, F, G, H.* [5]) *omitt. F.*

versias, si fortuna dabit, componemus[1]. His constitutis rebus Ivar rediit, eaque ab oriente reddita responsa sunt, Sviones ad constitutum venturos. Quum rex Hakon in Vika se continebat, rex Haraldus negotium petitionis uxoriæ peregit, nuptiisque ambiit dominam Ceciliam, regis filiam[2], [votoque potitus est[3]; quæ nuptiæ æstate proxime insequenti[4] conficerentur. Insequenti vere rex Hakon boream versus Bergas profectus est, nuntiumque misit hominibus, quos secum comites [ad regni fines[5] habere statuerat. Tum trajecto mari occidentali advenerunt Jon Dungadi filius et Duggal Rudrii filius, quorum uterque incubuit, ut rex Hakon septemtrionalem Hebudum partem cum regio nomine sibi concederet. Hi ea æstate apud regem versabantur.

De incendio oppidi.

260. Quatuordecim noctibus post[6] festum Johannis[7] incendium Bergis ferme in medio oppido erupit[8], igne cito invalescente. Rex incendio intra ædem Petri occurrit, item[9] aulici oppidanique, qui cum ignem inde[10] avertere conarentur[11] in eo loco subsistere non potue-

---

1) eam potissimum expediendi rationem dispicio, ut ipsi principes conveniamus et de rebus nostris colloquamur; quo facto aut redibimus in gratiam, aut res alio modo, quem Deus prædestinaverit, decernetur. Hunc ego congressum celebraturus, orientem versus ad confinia regnorum proficiscar, idque statim, si postulatis, proxime insequenti æstate, *F, G, H.* 2) quam dominus Gregorius in matrimonio habuerat, *add. B, F, G, H.* 3) regeque benigne respondente, fortunaque cœptis adspirante, Ceciliam regis filiam sibi despondit, *add. B, F.* 4) Bergis, *add. B. F.* 5) condictæ profectionis *F.* 6) ante, *F, G, H.* 7) res memorabilis accidit, *add. B, F, G.* 8) in ædibus, quæ Straumus dicuntur, eo noctis tempore, quo campanæ pulsabantur, cum magna siccitas antea fuisset, *add. ceteri.* 9) paucis comitatus, sed brevi advenerunt, *add. B, F.* 10) primo, *add. B, F.* 11) prævalente ignis violentia, *add. B, F.*

runt[1]; tum incendium ædem Mariæ tanta violentia invasit, ut ipsa cum turribus ardere cœpisset, tantaque extitit flammæ vis, ut ardentes titiones in arcem subjectarentur, eaque succendi inciperet; itaque rex eo se cum magna hominum multitudine convertit. [Eo loco complures homines, antequam elabi possent, incendio afflati sunt. Deinde rex ad Sandbruam se contulit[2], [ibique in magnum discrimen venit, eo quod se, uti semper consveverat, periculo audacter objecit. Tum ingentes lebetes, aqua marina plenos, ex mercatoriis grandioribus advehendos curavit, qua re[3], Deo benigne adjuvante regisque fortuna adspirante, ignis restinctus est[4]. Totum oppidum intra Sandbruam, paucis ex-

[1]) tum ad ædem Mariæ versi, eam defendere parabant, *add. F.*
[2]) *a* [: Ut vero rex in oppidum descenderat, ignis ibi vehementer grassabatur, oppidanis incendio extra ad Sandbruam occurrentibus, quare eo se convertit rex, *B, F.* [3]) *a* [: Hic, uti semper in periculis consvevit, rex se audacem, et tamen cautum et prudentem præbuit, ut ea quæ animo statuisset perficeret (ut ex suis primus esset, *G*). Stabant ex adverso aliquot (multæ) naves mercatoriæ grandiores, quæ ex Gothia (Gotlandia, *F, G*) advenerant; has rex scapha conscensa advectus, multos comparavit ingentis magnitudinis lebetes, qui aqua marina completi et in pontes deportati sunt; dein mari in ignem infuso, *F, G, H.* [4]) Ibidem Bergis paucis post diebus mira res evenit; nam tonitru cum fulmine accidit, quod tectum afflans cœnaculi, in quo (hominis, apud quem, *F, G*) dominus juvenis Magnus, filius regis Hakonis, versabatur, tecti partem aliquot orgyarum spatio revulsit, Deo benignissime providente, ne fulmen in domum penetraret. Inde vero in sinum evolans, malum gauli cujusdam, qui præ oppido aquis innavit, percussit (ut carina sursum spectaret, *add. H*), arboremque in minuta fragmenta comminuit, adeo ut fere nullæ reliquiæ apparerent (qui casus uni homini in pontibus necem attulit, *add. H*). Unum mali fragmentum viro cuidam, qui splendidæ mercis emendæ causa ex oppido in gaulum venerat, mortem facessivit, aliis omnibus, qui in gaulo versabantur, illæsis, *add. F, G, H.*

ceptis ædificiis ad intimum sinus recessum, flagravit[1]. Aliquanto post incendium oppidi rex splendidum[2] egit convivium, filiamque Ceciliam Haraldo Hebudensium regi nuptum dedit. Dein rex se ad condictam expeditionem comparavit, accitisque profectionis sociis magnum habuit copiarum naviumque numerum. Cumque in freto Salteyrensi[3] staret, regium nomen Joni Dungadi filio dedit, qui inde septemtrionem versus reversus est. Nimirum constitutum erat, ut hic ac Duggal occidentem versus cum rege Haraldo proficiscerentur, sed uterque proficiscendi consilium deposuit, Jone Bergis per hiemem insequentem se continente, Duggale regem orientem versus subsequente[4] et insequentem hiemem apud eum transigente.

Interitus regis Haraldi et Ceciliæ.

261. Haraldus Hebudensium rex et[5] Cecilia [regis filia[6] Bergis una[7] nave cum multis excellentibus viris profecti sunt[8]. Hæc navis cum omnibus hominibus, qui ea vehebantur, interiit, et plerique dicunt, eos in Dynrasta[9] a meridiana parte Hjaltlandiæ[10] periisse, nam tabulæ fractæ navis in meridianum Hjaltlandiæ litus ejectæ sunt; in quibus hominibus summum damnum factum esse, vulgo existimatum est. Idem summo Hebudensium infortunio accidit, qui talem principem tam fortunato conjugio aliisque honoribus beatum, tam cito amisissent.

Obitus Ulvi dynastæ.

262. Cum rex Hakon in Vikam venisset,

---

1) De hoc incendio confer hist. Sturl. lib. 8. c. 5. 2) in ædibus regiis, *add. B, F.* 3) Salteyensi, *G*; Saldeyensi, *F*; Eldeyensi, *B.* 4) comitante, *F.* 5) domina, *add. H.* 6) uxor ejus, *F, G*; proximo autumno, *add. F.* 7) grandi, *add. B.* 8) Hi eo autumno in Hebudes pervenerunt, *add. F, H.* 9) Dunrasta, *G*; Dinrasta, *H*; i. e. vortice stridenti. 10) Hjatlandiæ, *H.*

magnus copiarum numerus, et plerique equis vecti, ad eum confluxit. Perquam diu ad Dyngiam[1] stabat, eoque loco Sigurdum archiepiscopum ceterosque, quorum adventus ab septemtrione exspectabatur, oppertus est. Tum rex amplius triginta naves, et plerasque grandiores, habuit, magnasque et ornatas copias. Eirikus Svionum rex magnum quoque numerum militum in Sveeia contraxerat, eaque æstate occidentem versus in Gothiam profectus est, ubi adsumtis Ulvo dynasta et domino Birgere dynasta[2] affini suo[3], qui magnum militum numerum, equites plerosque, habebant, Ljodhusa pervenerunt, nondum præsente rege Hakone. Cum vero Sviones parcam cibariorum copiam secum adportassent, adventum Norvegorum exspectare non potuerunt, quare in Sveciam revecti sunt. Accedebat, quod dynasta Ulvus Fasius morbo aliquantum tentaretur, atque eodem autumno moreretur, quod summo suo damno accidisse Sviones existimarunt; [tum Birger[4] totius reipublicæ administrandæ socius regi factus. Paulo post mortem dynastæ rex Eirikus et Birger dynasta Holmgeirem[5], regis Knuti Longi filium, Ulvo dynastæ aliisque Folkidis cognatum, interficiendum curaverunt; tum vero [relictis possessionibus suis[6] dominus Philippus, qui antea Holmgeirem[7] maxime adjuverat, in exsilium profectus est; is antea in matrimonio habuit Elenam[8], filiam Petri Strangii[9]. Erat Philippus ne-

[1]) Dyngeyam, *G.* [2]) *omitt. G.* [3]) regio multisque aliis principibus (amplissimis viris, *B*), *add. F, H.* [4]) et brevi post mortem dynastæ rex domino Birgeri, affini suo, nomen dynastæ dedit, tumque, *B, F.* [5]) Holgeirem, *F.* [6]) relicta Svecia, *F, G.* [7]) dominum Holgeirem, *F.* [8]) Helenam, matrem regis, *G.* [9]) filii, *add. F. G.*

pos ex sorore Philippi dynastæ, qui in Akro prope Osloam cecidit; idem Hakonem, regem Norvegiæ, cognatione attingebat.

Rex Hakon nuntium ad Birgerem dynastam misit.

263. Rex Hakon eadem æstate, post aliquanto quam Sviones avecti erant, Kongelam pervenit, ubi aliquamdiu moratus, necessaria negotia curabat. Cum vero congressus inter eum et regem Svionum distractus fuisset,[1] legatos in Sveciam ad dominum Birgerem dynastam misit, qui consilium Svionum regis de rebus eum inter et Norvegos intercedentibus cognoscerent. Præterea plura ad dynastam mandata habebant, quæ postea innotuerunt, de quibus infra dicetur.

Rex Hakon fundamenta ædis Christi posuit[2].

264. Rex Hakon septemtrionem versus in Vikam Tunsbergum rediit, suis veniam domum revertendi concessit, [ibique hiemare statuit[3]. Præcedenti vere obierat Askel[4] episcopus Osloensis; tum[5] Hakon, antea ludi magister, episcopus inauguratus est; tum quoque Hervius[6] episcopus Orcadensis inauguratus. Quo facto archiepiscopus domum septemtrionem versus concessit. Hac æstate fundamentum ædis Christi, tam longe occidentem versus, quam nunc est, ponendum curaverat. Rex Hakon hiemem in Vika transigebat, quæ hiems secunda et tricesima fuit imperii ejus. Hac hieme [legati regis Hakonis[7] ab oriente e Svecia reduces renuntiarunt, dynastam mandata sua benigne accepisse, dixisseque se amicum regis Hakonis libenter esse velle, et hortatum esse, ut æstate proxime

[1]) Einarem Smjorbakum et Olavum præpositum, *add. B, F, G.* [2]) profectio regis Jonis occidentem versus, *H.* [3]) palamque fecit, se ibi in Vika hiematurum, *F, G.* [4]) Thorkel, *B, F, G.* [5]) autumno autem, quo rex et archiepiscopus in Vika versabantur, *F.* [6]) Herver, *F.* [7]) Einar et Olavus, *F, G.*

insequenti in Albi congressi pacem amicitia et firmis pactis sancirent[1]. Tum allatus ab occidente nuntius est, regem Haraldum et[2] Ceciliam præcedenti autumno, ut supra scriptum est, interiisse. Itaque rex, insulas præfecto[3] carere animum advertens, septemtrionem versus Bergas misit, ut rex Jon primo quoque tempore occidentem versus proficisceretur ad custodiendum regnum, donec rex [plures principes mitteret[4]. Itaque rex Jon[5] ex Norvegia profectus mare occidentale trajecit.

Obitus[6] *Alexandri Scotorum regis.*

265. Alexander Scotorum rex imperium Hebudum cupide appetebat, [cumque insulas pecunia venales ab rege Hakone non impetrasset[7], contracto per totum Scotiam exercitu, expeditionem in Hebudes facere paravit, [omnes provincias, quæ regi Hakoni trans mare[8] essent, armis expugnaturus[9]. Regem Jonem misso nuntio accivit, hic vero regem Scotorum non prius convenire voluit quam [sex homines[10] fidem suam

[1]) Iidem dynastæ demonstrarant, ad gratiam reconciliandam plurimum conferre, si ipsi principes affinitate jungerentur, dynastaque filiam Rikizam regi Hakoni juveni nuptum daret. Qua conditione libenter accepta, dynasta faciliorem sese in omnibus negotiis, quam antea, præbuit, dicens, cum ipsi congrederentur de hac re facile agi posse, *add. B, F, G.* [2]) dominam, *add. G.* [3]) pæne, *add. F.* [4]) aliam rationem insisteret, *G.* [5]) eodem autumno cum suis, *add. G.* [6]) *B*; somnium, *A* [7]) crebroque legatos in Norvegiam misit, ut has provincias pecunia venales expeterent, quod etiam hac æstate fecerat, aliud tamen mente agitabat consilium, rege indignum: nam *B, F, G.* [8]) Solundæum, *add. F, G, H.* i. e pars maris occidentalis, quæ Norvegiæ oras ad occidentem versus alluit. [9]) *a* [:has provincias subacturus: suis aperit, se non prius destiturum, quam signa sua orientem versus trans scopulos Thursicos transtulisset, omnesque regis Norvegici provincias ab occidente maris sitas in potestatem redegisset, *B, F, G.* [10]) quatuor dynastæ ex Scotia. *B, F, G,*

interposuissent, eum tuto quo vellet[1] abiturum, sive inter eos conveniret, sive non. Ubi autem reges congressi sunt, rex Scotorum postulavit, ut rex Jon Bianaborgam[2] aliaque tria castella, quæ tradita ab rege Hakone tenebat, ceterasque provincias, quibus eum rex Hakon præfecisset, in potestatem suam traderet, multo amplius in Scotia imperium, ad hæc suam fidem amicitiamque pollicitus, si in suas partes transire vellet. Quam ad rem cum omnes, cognati amicique, regem Jonem hortarentur, ille boni viri officium servavit fidemque præstitit, declarans, se jusjurandum regi Hakoni datum nolle violare. Quo facto rex Jon discessit et septemtrionem versus Ljodhusa usque profectus est. Rex Alexander, cum in freto Bjarkreyensi[3] staret, somnium per quietem vidit: tres viros ad se accedere, unum regio ornatu indutum, vultu admodum aspero[4], facie rubicunda, statura crassiori[5]; alterum[6] gracili corpore[7], specie perquam juvenili, summa corporis dignitate[8], splendideque vestitum; tertium multo ex his[9] visu torvissimum, sincipite admodum calvo. Hic regem allocutus, an arma Hebudibus inferre cogitaret, interrogavit Alexander respondere sibi visus est, insulas in potestatem redigere se cum animo statutum habere. Vir in somnis apparens reverti eum jussit, aliam rationem ei haud expedire ostendens. Rex somnium narravit, hortantibus plerisque, ut reverteretur, quod ille facere noluit. Paulo post morbum nactus obiit. Itaque Scoti, abjecto bellandi consilio, corpus ejus in Scotiam retulerunt. He-

[1]) ex hoc congressu, *add. F, G.* [2]) Bjarnaborgam, *G*, Bjarnarb., *F.* [3]) Kjarbareyensi, *F, G, H*; Kjarbæó, *B, H.* [4]) terribili, *H* [5]) mediocri, *B.* [6]) procero et, *add. G.* [7]) strenuitatem præ se ferentem, *add. B.* [8]) pulchritudine, *B, F, G, H.* [9]) maxima statura et omnium hominum, *add. F, H,*

budenses ajunt, regi hos viros in somnis apparuisse: regem Olavum sanctum Haraldi filium[1], Magnum dynastam[2], sanctum Columbam. Scoti regem crearunt Alexandrum, filium Alexandri; is postea uxorem duxit filiam Henrici, Angliæ regis, summæque auctoritatis princeps evasit.

De itineribus regis Hakonis.

266. Rex Hakon vere iter Osloa ad conveniendum Svionum regem comparavit, magnas habens ornatasque copias, navesque diligentissime apparatas et ornatas; ipse Olavsudam duxit, rex Hakon juvenis [splendidum draconem[3]; multas præterea eximias[4] naves habuerunt. Ventis adversis diu detinebantur. Tum apud eum versabatur dominus Philippus Laurentii filius, cognatus regis, etiam tum Svionia extorris jussu regis Eiriki et Birgeris dynastæ. Cum rex Hakon classem adverso Albi subveheret, naves scito et artificioso remigio subigi, omniaque ornamenta navalia ostentari, maximo splendore iter fieri jussit. Sic Sturla:

Percelebratum fuit
iter, quod protector
regni, victoria
inclytus, ad Sviones
conveniendos facere
bonis instituit auspiciis,
Randveris vectus
firmis xylosoleis[5].

---

1) Norvegum, *add. B, F, G.* 2) Orcadensem, *add. B, F, G, H.* 3) navem pulcherrimam, Draconem dictam, *F.* 4) ingentes, *F, H.*

5) Constructio: *þat var a) mjök frægt, er sigri sæmdr grundar b) vörðr vildi fara á remmi-skiðum Randvers c) til fundar d) Svía.*

a) er, est, *B, H.* *b)* ceteri; *fundar, A,* cfr. *d.* *c) rauðveðrs,*

Naves bellicæ auro
haud aliter fulgebant,
quam si flamma super-
volitaret classem regiam:
cum lunæ circulares
summis super navium
marginibus, consertis
ordinibus splenderent[1].

Fulmen autem
accipitrum soli
longum per spatium
spargebat fulgorem,
quando cum almo
æquoreum jubar
cœlesti sidere
colores permutaret[2].

Rex Hakon Kongelam delatus cognovit, regem Eirikum et Birgerem dynastam[3] magnis cum copiis ab oriente venisse. Qui cum cognovissent, regem Norvegiæ adventare, magnumque navium militumque numerum adducere, Svionibus horum

---

atræ tempestatis, *H*, dubie; intelliguntur naves bellicæ. *d*) ceteri; *grundar*, *A*, cfr. *b*, vocibus in quarto et quinto versu male transpositis.

¹) Constructio: *leiðangr var glæstr gulli, sem logi væri of a) grams flota, þar er baugtúngl b) knáttu c) blikja hvert við annat yfir hárcið d).*

a) *G*, *H*; *yfir*, id., *A*. *b*) *böðtúngl*, lunæ prœlii, i. e. clypei, eod. sensu, *H*. *c*) ceteri; *kanttu*, *A*, mendose. *d*) *hárcið* respondere puto voci hodiernæ *hástokkur*, trabs summi lateris navalis; alii intelligunt basin scalmorum (hodie *keipstokkur*).

²) Constructio: *en elding ifla foldar a) knátti lýsa lánga leið, þá er loflig b) himna c) sól skipti litum d) við hafröðul e).*

a) i. e. aurum. *b*) *lofanlig*, id., *G*, *H*. *c*) *hifna*, id., *G*. *d*) *F*, *G*, *H*; *um litu*, eod. sensu, *A*. *e*) i. e. aurum.

³) multosque alios principes, *add.* *F*, *G*.

adventum exspectare nolentibus, rex in Gothiam equitavit, Birger dynasta Ljodhusis remansit[1]. Cum vero rex Hakon in Albi staret, venit ad eum Mathens[2], saluteque dicta nuntiavit[3], Birgerem dynastam in Gothiam aveetum esse; dein his regem allocutus est: Birger dynasta hunc pacificatorium fore conventum existimaverat[4], nunc vero, ubi audivit te magno cum exercitu advenisse, nesciebat an animus tuus ad pacem inclinaret. [5]Plura non locutus discessit.

Nuntius ad dynastam Birgerem missus.

267. [Post hæc rex Hakon, Matheum celerius discessisse intelligens, suos in consilium adhibuit[6]. Gunnar regis cognatus, tunc temporis provinciæ Albensis[7] præfectus, Birgeri dynastæ amicissimus, ostendit, dynastam propere reversurum, ut primum missis equitibus revocatus esset. Itaque Gunnar et Thorlogus[8] Bosius ad dynastam mittuntur. His præcepit rex, ne plura eum dynasta colloquerentur, quam Matheus secum fuisset collocutus. Illi dein profecti Birgerem dynastam in Gothia convenerunt. Hic se asperiorem[9] præbuit, expostulans, quod rex Hakon tantum adduxisset militum numerum. Gunnar reposuit, hoc a mala fide non profectum, morem ejus esse assiduum cum ingentibus navi-

[1]) aliquamdiu; tunc audivit rex Hakon, vulgo existimari, dynastam avectum esse, *add. B, F, H.* [2]) Sona, *add. F*; qui postea simultates cum Birgere dynasta exercebat, *add. B, F, G.* [3]) eum a dynasta salvere jussit, dicens, *F.* [4]) in quo de societate et amicitia vestra agendum esset, *add. B, F.* [5]) dominus Matheus, *add. F.* [6]) Post hæc rex advocatis consiliariis suis, exquisivit, quid capiendum consilii esset, mirantibus illis, Matheum tam cito discessisse, *F*; regi mirum est visum, Matheum tam brevi oratione usum esse, *H.* [7]) Eggensis, *H*, *omitt. G.* [8]) *sic F*; Thorl., *A*; Thorleivus, *G.* [9]) sermone, *add. F, G, H.*

bus iter facere; [1]oravit, ut dynasta reversus cum rege colloqueretur. Causante dynasta, regem Eirikum in Gothiam[2] avectum reverti non posse, Gunnar omnem rei publicæ administrationem penes dynastam esse ostendebat; nam rex Eirikus utpote balbus, pauca loquebatur, semperque in comitiis[3] per interpretes verba faciebat. [Birgere dynasta se regem Hakonem Ljodhusis conventurum pollicito[4], Gunnar[5] reversus regi quæ acta essent retulit[6]. Itaque cum toto exercitu Ljodhusa proficisci paravit, quemadmodum Sturla testatur:

Tota Albis ita
aspectu splendida
fuit, ut si aurum
inclyti milites
inspectarent, quando
rex gloriosus
classem Ljodhusa
raptim duceret[7].

Gothi, tot tantisque tamque splendide ornatis navibus conspectis, magna sunt affecti admiratione, valdeque metuebant, si inter principes non con-

---

[1]) tum dynastam blandis verbis allocutus, *add. B, F.* [2]) orientalem, *add. F.* [3]) indictisque conventibus, *add. B, F.* [4]) Cum Birger dynasta declarasset, ut se, donec altera dies dominica transisset, cum hæc die Saturni agerentur, exspectaret, seque Ljodhusa venturum esse, *B, F, G, H.* [5]) cum Thorlogo Bosio, *add. F*; cum Bosio, *add. G.* [6]) Tum rex Hakon cum suis collocutus id consilii cepit, ut ad dynastam conveniendum proficisceretur, *add. F.*

[7]) Constructio: *öll Elfr var svá glæsilig at líta, sem frægðar fólk a) sæi á gull, er lofsæll konungr þeysti flota til Ljóðhúsa.*

a) *fólki, B,* ɔ: *var frægðar fólki svá glæsil. at líta,* judicio inclytorum militum tam splendida aspectu fuit: *omitt. F,* qui construxit aut *frægðar flota*, aut *frægðar konungr.*

veniret, ne rex Norvegorum terram ipsorum effusius popularetur, ut sequentia[1] testantur:

Animi Gothiæ
incolarum
tempore infesto
consternabantur,
donec tandem rex
bellicosus Svionum
oblatam a principe
conditionem accepit[2].

Domina Rikiza regi Hakoni juveni desponsa[3].

268. Rex Hakon, navibus ad Thorskabakkium[4] ab occidentali parte fluvii e regione Ljodhusorum appulsis adventum dynastæ exspectabat. Missis internuntiis de petitione uxoria regis[5] juvenis[6] agi cœpit; mox[7] ipsi convenerunt, dynasta fluvium ad regem trajiciente, atque inter se colloquebantur. Qui cum in colloquio inter se concordarent, [pacem fecerunt inter Norvegiam et Sveciam[8], ita, ut neutrorum inimicis intra regnum alterius impune esset. Ad hæc rex Hakon juvenis dominam[9] Rikizam, filiam dynastæ,

[1]) sequentes versus, *F.*

[2]) Constructio: *geðsteinn a) var drepinn i stall b) Gautskum manni styrjar stund c); áðr ógnstórr Svia gramr hafði játtað siklings boði.*

a) lapis animi (affectuum), cor. *b*) i. e. timore concussum est, palpitavit; fuse de hac phrasi disputavit S. Thorlacius in Spec. 7. p. 104-5. *c*) ceteri; *lundi*, *A*, quod bellatoris circumscriptionem daret, appositam *τῷ manni*, q. d. Gothorum, bellicosissimorum hominum.

[3]) compositio inter regem *H* et *B.* dynastam, *H*; de Henrico episcopo, *G.* [4]) Throskabakkium, *G.* [5]) Hakonis, *add. F.* [6]) multisque aliis rebus ad pacem pertinentibus, *add. B, F, G, H.* [7]) obsidibus inter se datis et acceptis, *add. B, F, G, H.* [8]) sedulo incubuerunt, ut pax inter Norvegos et Svecos maneret, *F, H.* [9]) principem virginem, *G.*

sibi despondit; quæ nuptiæ contraherentur, cum regi et dynastæ tempus esse videretur. Inde amicissime digressi sunt: dynasta in Sveciam adscendit, rex Hakon Kongelam [indeque septemtrionem versus[1] Bergas profectus est, ibique res ad hiemandum necessarias comparavit. Hoc autumno Henricus episcopus ex Islandia venit, qui attulit, Thordum Kakalium regia mandata remissius persequi, ejusque facta magnopere calumniatus est; quem rex benigne excepit. Æstate proxime præcedenti rex Thordum ad se arcessiverat. Hiemem proxime insequentem rex Hakon Bergis egit, quæ hiems tricesima tertia fuit imperii ejus.

Obitus Eiriki Svionum regis[2].

269. Proximo vere ab oriente e Svionia advenerunt, qui mortem Eiriki regis nuntiarunt. Tum de eligendo rege [magna in populo dissensio fuit[3]: plerique ad filium Birgeris dynastæ, regis Eiriki ex sorore nepotem, regiam dignitatem proximo jure pertinere arbitrabantur, nam rege mortuo tota ad sororem hereditas redire debuit. Etiam Philippus, filius regis Knuti Longi, regiam dignitatem ad se jure pertinere credebat, hujus enim pater rex una fuerat cum rege Eiriko. [Knutus quoque, filius Magni Brokii[4], regium nomen sibi competere existimabat; is nepos erat ex filia regis Knuti Eiriki filii, qui rex Sveciæ diu fuerat. [Accedente vero auctoritate Birgeris dynastæ[5], omnes[6] consenserunt, [hujus filium regem creari[7]; itaque Valdemar, filius Birgeris dynastæ, rex creatus est. Quæ res

[1]) autumnoque Tunsbergum, indeque, *F*. [2]) de dissensione inter Sviones, *G*. [3]) conventus habiti sunt, *H* [4]) Magnus Brokius, *B*; Broka, *G*. [5]) penes quem reip. summa erat, *add. B, F.* [6]) plerique, *F*. [7]) regiam dignitatem ad hujus filium optimo jure pertinere, *F*; hujus filium ad regium imperium maxime esse idoneum, *H*.

principibus, qui non minori jure regnum ad se pertinere crederent, valde displicebat[1].

Cædes Eiriki sancti Danorum regis[2].

270. Hac æstate res valde memorabiles in Dania acciderunt: tunc enim Abelus fratrem regem Eirikum[3] comprehensum vita spoliavit vespere festi Laurentii[4]; quo facto dux Abelus se regem Danorum imperii creari fecit, magnæque auctoritatis[5] princeps evasit. Eadem æstate rex Hakon septemtrionem versus in Thrandheimum profectus, ibi hibernam mausionem sibi præparavit. Proximo autumno ab Islandia advenere Sigurdus[6] episcopus et Thordus Kakalius, qui regem in Thrandheimo convenerunt. Ibidem complures Islandi aderant: episcopus Henrikus, Gizur Thorvaldi filius, Thorgils Skardius, Jon Sturlæus, Finbjorn[7] Helgii, Philippus et Haraldus Sæmundi filii; inter quos magna contentio erat[8]. Episcopus Henricus auctor erat, ut Gizur in Islandiam proficisceretur, [causans Thordum mandata regia nihil curare[9]; cui rei major in præsenti fides habita. Hac hieme dominus Knutus, filius Magni Brokii[10], cognatus Hakonis regis, e Svecia advenit, et in Thrandheimo hiemavit; is coram rege questus est, Birgerem dynastam nullo se honore, quo se ipse dignum judicaret,

[1]) *a* [: accedeos vero Birger dynasta pervicit, ut Valdemar filius suus rex crearetur, quod et plerique Sviooum maxime cupiebant, *G*. [2]) Abelus regem Eirikuoı dolo captum aquis submergi jussit, *G*; res in Dania memorabiles, *H*. [3]) dolo, *add. F, B, G, H*. [4]) 10 Augusti [5]) potentiæ, *F, G, H*. [6]) Sigvardus, *G, H*, it. Sturl. v. c. 7, 105, 119. [7]) Finbogius, *B, F*; Finnb., *H*. [8]) singuli enim primo quoque tempore io patriam redire volebant, *add. B, G*; suam causam agere volebaot, ut in patriam redire liceret, *F*. [9]) ille enim Thordo maxime adversabatur, causans, inutilia esse, quæ a Thordo fuissent administrata, eumque sui commodi magis quam regii mandati (honoris) rationem habuisse, *B, F*. [10]) Brokkii, *G*.

afficere velle. Rex Hakon eadem hieme in Thrandheimo commoratus, [tempore festi jolensis magnos sumtus fecit[1], octavaque festi feria coronam gestavit[2]. Hæc tricesima quarta fuit hiems imperii ejus. Hac hieme internuntii inter eum et Abelum Danorum regem missi sunt[3], constitutumque est, ut ipsi reges[4] ad regnorum fines convenirent, et res, quarum rex Hakon Danos insimulavit, componerent.

Pax inter regna composita.

271. Eadem hieme legati regis Alexandri ab oriente [e regno Gardorum[5] Holmgardo advenerunt; cujus legationis præfectus fuit eques, cui Michaeli nomen. Hi retulerunt de controversiis toparcharum regis Hakonis, Markæ septemtrionali præfectorum, cum Kirialis ad orientem incolentibus, regi Holmgardensi tributariis, qui alteri alteros rapinis et homicidiis vexabant. Dein[6] deliberatum, qua ratione hæ controversiæ componerentur; illi quoque [nomine regis Alexandri filiam regis Hakonis petierunt. Deinde rex Hakon legatos orientem versus Holmgardum misit, qui ibi benigne excepti sunt; tum pacem inter[7] provincias sibi tributarias fecerunt, ea lege,

1) magno apparatu convivium jolense præparavit, magnam enim habuit hominum frequentiam, *F, G.* 2) adhibitis ad cœnam præstantissimis oppidanis, archiepiscopo Sigurdo, episcopis suffraganeis et canonicis cathedræ, præsente quoque Knuto dynasta et domino Knuto, cognato regis, omnibusque optimatibus e communi Thrandorum, *add. B, F, G.* 3) rex Hakon Bjarnium Moisis filium meridiem versus cum literis misit, Abelus vicissim alios legatos in Norvegiam ablegavit eum suis literis, *add. cet* 4) proxime insequenti æstate, *add. G, H.* 5) *omitt. F.* 6) conventus habiti et, *add. B, F.* 7) in mandatis habuerunt, ut dominam Kristinam, regis Hakonis filiam, viderent; præceperat enim rex Holmgardensis, ut ex rege Hakone quærerent, an virginem filio regis Alexandri collocare vellet. Rex Hakon id consilii cepit, ut eodem vere legatos e Thrandheimo mitteret, qui cum legatis regis Alexandri orientem versus Holmgardum profecti

ut neutri, neque Kiriali, neque Finni, alteri alteris bellum inferrent; quæ pax diu non mansit. Eo tempore [Tatari Holmgardum infestarunt[1], quapropter petitionis regis Holmgardensis nulla ratio habita est[2].

De principibus Svecis.

272. Rex Hakon vere proxime insequenti[3] meridiem versus Bergas profectus, ibi se per æstatem continebat, magna ibidem id temporis hominum frequentia. Dominus Knutus, filius Magni Brokii, regem ab septemtrione proficiscentem comitatus est. Tum ab oriente e Vika ad regem venerunt, dominus Philippus[4], filius regis Knuti Longi, petentes ab rege Hakone, ut se ad recuperandum regnum, cujus jus habere sibi videbantur, adjuvaret. His nihil auxilii ferre voluit, cautum enim erat fœdere cum Birgere dynasta facto, ut neuter alterius inimicos sublevaret. Itaque principes meridiem versus in Vendiam se converterunt, ibique coactis auxiliis[5] in Sveciam profecti sunt[6].

Navis Islandica fracta[7].

273. Hac æstate [rex Hakon Henricum episcopum et Gizurem et Thorgilsem Skardium

sunt, principe legationis Vigleiko præpositi filio et Borgare; hi primo Bergas, inde orientem versus profecti, æstate Holmgardum pervenerunt, ubi ab rege benigne excepti sunt. Tum pacem (impræsentiarum, *add.* *F*, *G*) inter se et, *B*, *F*, *G*.

[1]) res Holmgardi valde turbulentæ fuerunt, Sataris (ab oriente) regnum regis Holmgardensis invadentibus, *F*, *G*. [2]) cumque mandata sua legati exposuissent, reversi ab oriente sunt cum eximiis muneribus regi Hakoni ab rege Holmgardensi missis; hac bieme ab oriente venerunt, regemque in Vika convenerunt, *add.* *B*, *F*, *G*. [3]) ex Thrandheimo, *add.* *F*. [4]) alterque (dominus, *om.* *H*) Philippus, *add.* *F*, *G*, *H*. [5]) et Vendorum et Germanorum, *add.* *B*, *F*, *G*; Vendorum et Danorum, *H*. [6]) bellum Birgeri dynastæ intulerunt, *F*, *G*, *H*. [7]) De Henrico episcopo ac Gizure, *G*; interitus Sæmundsoniorum, *H*.

in Islandiam misit[1]; his provinciæ in Islandia attributæ, quas suo sibi jure rex vindicarat, regiaque mandata apud ceteros incolas peragerent. Sæmundi filii, magistratu, quem gesserant, regi stipulatione concesso, in Islandiam profecti sunt, remanentibus in Norvegia Sigurdo episcopo et Thordo Joneque Sturlæo. Navis, qua vehebantur Sæmundi filii, interiit, quatuor hominibus servatis; episcopus vero Henricus ac Gizur in Norvegiam[2] rejecti, nave fracta, hiemem in Thrandheimo transegerunt. Rex Hakon autumno orientem versus in Vikam profectus est, Abelum Danorum regem conventurus, [ut antea fuerat condictum[3]; erat enim constitutum, ut[4] affinitatem inter se jungerent, ita, ut princeps juvenis Magnus uxorem duceret regis Abeli filiam. Itaque rex Hakon hoc autumno[5] orientem versus in Albim usque profectus, cum [nihil de itinere regis Abeli cognosceret[6], orientem versus in fretum Mustrense[7] navigavit; hic[8] cum rescivisset, regem Abelum non adfuturum, in regnum suum reversus Osloæ[9] hiemare statuit.

De itinere nuptiali[10].

274. Eodem autumno res in Svecia turbulentiores erant, uti antea demonstratum est, Birgere dýnasta ac proceribus ingentem exer-

[1]) multi Islandi cum rege Hakone versabantur, ut supra scriptum est, multique habiti sunt conventus de rebus insulæ constituendis, decretumque, ut Henricus episcopus, Gizur et Thorgils Skardius in Islandiam mitterentur, *B, F, G*. [2]) eodem autumno, *add. F.* [3]) secundum pacta per internuntios, *F.* [4]) rex Norvegiæ et Danorum rex, *add. F.* [5]) hac æstate, *H.* [6]) Dani non advenissent, *G, H.* [7]) Mostrense, *id, ut c.* 285, *A.* [8]) complures ad eum venerunt mercatoriæ grandiores, tam Vendiam negotiandi causa petentium, quam aliorum mercatorum, ex quibus, *add. B, F.* [9]) Osloam autumnu ingressus est, ibique, *F, G*; *in hoc caput desinit H.* [10]) de turbis in Svecia, *G.*

citum habentibus et infestis signis concurrentibus. Aderat autem tempus, quo [Birger dynasta filiam suam elocaret, et in Norvegiam nuptiarum celebrandarum causa proficisceretur[1]. [A quo cum[2] se prohiberi intelligeret, id consilii cepit, ut filiam suam eximio cum comitatu ab oriente mitteret, additis comitibus duobus episcopis, Laurentio de Skaris et episcopo Magno[3]. Quæ profectio, pecuniarum et comitatus ratione habita, magnificentissima fuit; in eo comitatu fuit et dominus Knutus, filius Ulvi dynastæ[4]. Hi regem Hakonem Osloæ convenerunt, et ab eo prolixe[5] accepti sunt. Sic Sturla:

Divitiarum largitor! Gothorum
imperator tuo excellentissimo filio
filiam suam auro ornatam
summo honore ab oriente misit.
Potens metallorum consumtor! summa
comitate agmen Svionum, iter hocce
nuptiale celebrantium, excepisti. Homines
tuum clemens imperium concelebrant[6].

Dein splendidum convivium Osloæ apparatum, nuptiæque regis juvenis et dominæ Rikizæ cele-

[1]) rex juvenis nuptias cum filia dynastæ celebraret, *G*; cum vero magnis in Svecia turbis occuparetur, eisque, *add. F, G.* [2]) quibus nuptiis ex condicto celebrandis, *F.* [3]) e Svionia, *add. B, F.* [4]) multique alii, excellentes domini (viri) ac principes e Svionia, *add. F, G.* [5]) amicissime, propter ejus magnificentiam eamque quæ intercesserat conjunctionis necessitudinem, *F.*

[6]) Constructio: *scima þollr! Gauta stýrir a) sendi austan gulli glæsta dóttur sína þinum megindýrum arfa með öllum sæmdum. Voldugr málma skerðir b)! tóktu af mestri mildi við þeirri brúðför Svía ferðar c); aldir dýrka yðart eyrarsamt veldi.*

a) i. e. rex Sveciæ. b) *málmr* h. l. utrum de ense, an de auro accipiatur, non multum refert. c) *sic F, G*; *ferðir*, cet., quo constructio impeditior et incertior redditur.

bratæ magna excellentium virorum frequentia. Peracto convivio Sveci domum profecti sunt, eximiis cum muneribus ab rege Hakone dimissi. Interea vero, dum in [Norvegiam profecti erant[1], ingentes res in Svecia acciderunt; tunc enim principes, uterque Philippus et Knutus Magni filius, ad Heitnadursbruam[2] cum Birgere dynasta congressi, omnes in potestatem ejus pervenerunt; quos omnes ille, compluresque præterea alios, maxime Germanos, securi percuti jussit, plerisque Svecis incolumitatem concessit. Post hæc turbæ (motus intestini) in Svecia sedatæ; de his autem facinoribus ab dynasta patratis[3] varia existimatio fuit[4].

De legatis regis Hakonis[5].

275. Regi Hakoni, uti supra demonstratum est, intima cum imperatore Frederico amicitia[6] intercedebat, assiduo inter utrumque legatorum eximiorumque munerum commercio. Eo autem tempore bellum aliquamdiu fuerat Norvegis cum Lubecensibus[7]; [de quo bello[8] rex Hakon ad imperatorem, cujus sub potestate civitas Lubecensium erat, perscripserat. Ea vero æstate, qua rex Eirikus in Dania dolo oppressus est, literæ ab imperatore allatæ sunt [Lubecensibus, quibus jubebat[9] Norvegos ea in civitate optima pace frui, seque regi Hakoni majorem honorem,

---

[1]) Norvegia versabantur, *F.* [2]) Heradsbruam, *F*; Hervadsbruam, *B*; Leitnadsbruam, *G.* [3]) admodum, *add. F.* [4]) quanquam multum intererat, amici an inimici ea de re loquerentur, *add. F.* [5]) Literæ ab imperatore missæ, *B*; de rege Hakone et imperatore Fridreko, *G.* [6]) societas, *B, F.* [7]) propter ante memoratas rapinas, quibus Norvegi in bello, quod inter Danos et Lubecenses erat, affecti fuerant, *add. F, G.* [8]) Norvegis ad civitatem Lubecensem haud tuto licere navigare, *F, G.* [9]) quibus testabatur, se literis ad Lubecenses missis permisisse, *F, G.*

quam ulli alii ex principibus orbis septemtrionalis, præstiturum, civitatem Lubecensium in ejus potestatem traditurum, ut hujus civitatis princeps ac dominus[1] esset, hocque suis literis ac sigillo confirmaturum, si rex Hakon eas missis nuntiis arcessere vellet. Quibus cognitis literis, rex Hakon[2] sacerdotem Askatinum et Amundium Haraldi[3] filium ad imperatorem misit[4]; qui tredecimo die festi jolensis Venetias delati, imperatorem ante festum jolense in Apulia mortuum esse cognoverunt. Itaque reversi, cum dominum Konradum[5] in Svabia convenire statuissent, in eo itinere[6] in carcerem conjecti sunt ubi detenti sunt, donec dominus Konradus [eos redimeret[7]; quo facto ad imperatorem[8] profecti et ab eo liberaliter excepti sunt, nulla vero peregerunt mandata, quorum causa missi erant, uti certe peregissent, si imperator in vivis fuisset. Imperator Fredericus Romanorum imperatorum recentioris temporis excellentissimus fuisse vulgo existimatur. Imperator fuerat annos undequadraginta, eoque mortuo dignitas imperatoria vacavit, neque ab eo tempore renovata est, usque eo donec hoc opus conscriptum est, cum rex Magnus duas hiemes Norvegiæ imperaverat, ex quo rex Hakon mare occidentale trajecerat. Post hæc Askatinus ac collega septemtrionem versus in Norvegiam revertuntur, regemque Hakonem[9]

[1]) pleno jure, *add. B, F.* [2]) legatos et ad imperatorem misit, ut oblata conditione uteretur, et ad Lubecenses, ut integra pax cum ea civitate fieret; *add. B, G.* [3]) Stangarfyliæ, *add. F.* [4]) hi eodem autumno circa initium hiemis Bergis meridiem versus in Daniam profecti sunt, *add. F.* [5]) filium imperatoris Fridreki, *add. B, F.* [6]) comprehensi et, *add. B, F, G.* [7]) de captivitate eorum certior factus homines ad liberandos eos mitteret, *B, F, G.* [8]) Konradum, *B, F, G.* [9]) circa festum Johannis, *add. B, F, G.*

conveninnt[1]; [iidem pacem fecerant cum Lubeeensibus[2], qui ab eo tempore regi Hakoni amicissimi fuere.

Bellum adparatum[3].

276. Post celebratas nuptias proxima hieme rex Hakon Osloæ se continebat, [festumque jolense Hamare eelebravit. Hac hieme, quæ quinta et tricesima fuit imperii ejus, obiit Paulus episcopus Hamarensis[4]. Proximo vere, tempore jejunii[5], secundo nonas Martias, obiit archiepiscopus Sigurdus, in cujus locum electus est dominus Sorlius, canonicus Hamarensis, qui proxima æstate peregre profectus, a papa Innocentio inaugnratus est. Archiepiscopns Sorlius duos episcopos in curia inauguravit, Petrum episcopum Hamarensem[6], Riehardum Hebudensem. Eodem vere, tempore jejunii, rex Hakon orientem versus in Albim[7] profectus, Birgerem dynastam ibi eonvenit[8]; huic aperuit, quam in servandis dictis levitatem rex Abelus ostendisset, qui condictum rupisset. Dynasta quoque significavit, Danos maximam Svionibus calamitatem rapinis ae cædibus attulisse, maximeque, quod proceres adversus regnum Svionum bellantes adjuvissent. Itaque, cum uterque graves esse injurias existimaret, quarum Danos insimularent, id eeperunt consilii, ut spatio duodecim instantium mensium

---

[1]) quæque referre habuerunt nova retulerunt; rex maximum in imperatore damnum esse factum judicavit, *add. B, F, G.* [2]) a [:Bjarnius Moisis filius rediit, auctore rege cum Lubecensibus pactus, ut utrisque tuto ad alteros navigare liceret, *B, F, G.* [3]) obitus Pauli episcopi Hamarensis, *G.* [4]) Eodem anno, præcedenti vere, obierat Paulus episcopus Hamarensis; rex Hakon hac hieme festum jolense Osloæ celebravit, quæ hiems 35 fuit imperii ejus, *F.* [5]) res memorabiles in Thrandheimio acciderunt, tunc enim, *add. B, F.* [6]) ex ordine prædicatorum, *add. B, F, G.* [7]) Osloa, *add. F.* [8]) qui multis de rebus inter se disserebant, *add. F, G.*

exercitus ex utroque regno compararent, rex Hakon classem navium ab Norvegia, dynasta quinque militum millia ab Sveeia adduceret, et insequenti vere ad Albim convenirent, indeque in Daniam proficiscerentur[1], quantamque liberet populationem facerent[2]. Quo constituto rex Hakon septemtrionem versus Tunsbergum, Birger dynasta in Sveciam rediit. Rex Hakon æstatem Bergis consumsit. Hac æstate Henricus episcopus et Gizur et Thorgils et Finbjorn in Islandiam redierunt, provinciasque ipsis ab rege adsignatas sibi subjecerunt. Brevi tamen magnæ extiterunt turbæ inter Gizurem ceterosque, [qui provinciis ab rege[3] præfecti erant[4]; [5]episcopus Henricus, cui Gizur fidem regi datam minus fideliter præstare videretur, amicitiam suam ad inimicos Gizuris mox inclinare cœpit[6]. Eadem æstate, qua Gizur ac ceteri in Islandiam profecti sunt, rex Hakon Thordo Kakalio provinciam Gaulardalum in partibus regni borealibus dedit, quo ille profectus, cognatum suum Kolbeinem Granam in Islandiam misit; qui cum in Islandiam venisset, haud paci studere inter homines conciliandæ vulgo existimatus est[7].

---

1) rex Hakon classe fretum Oranum ingrederetur, Birger dynasta meridiem versus per Hallandiam et Scaniam copias duceret, *add. F.* 2) quo facto in freto Orano convenirent, consiliumque caperent, quod ad conficiendam rem utilissimum esse videretur, si Dani ex sua parte dignas offerre conditiones nollent, *add. B, F, G.* 3) Thordo, *F.* 4) a [: procuratores Thordi, *B.* 5) Haud diu episcopus Henricus ac Gizur in Islandia commorati erant, cum, *add. F.* 6) neminem dicens Gizure paratiorem (versutiorem) ad rescindenda, quæ regis honori inservirent, quæque ipse pollicitus fuisset. Discordiæ quoque inter Gizurem ac Thorgilsem ortæ sunt, cum huic ille fidem, qua eum rex obstrinxisset, parum præstare videretur, *add. F, G.* Vide historiæ Sturlæorum libr. 7. c. 61, et libr. 8, c. 8
7) Vide Sturl. libr. 8. c. 8. sequ., libr. 7, 62.

De bello Abeli cum Frisiis.

277. Hac æstate, cujus modo facta mentio est, rex Abelus bellum intulit Frisiis, quibus majora, quam antea usu receptum erat, imponere onera voluit. Frisii aliquantum exercitum collectitium coegerant, seque magna ex parte silvarum latebris committebant; ad quos quærendos profectus Abelus rex, sagitta ictus mortem oppetivit. Post ejus mortem Dani Christophorum, fratrem Eiriki regis, regem crearunt; qui toto Danorum imperio in potestatem redacto magnæ auctoritatis princeps evasit. Rex Hakon Bergis hiemem transegit, quæ hiems imperii ejus fuit sexta et tricesima. Appetente vere [copias in expeditionem cibariaque toti regno[1] imperavit, declarans se universam classem in Daniam ducturum; itaque orientem versus in Vikam profectus est, classe[2] sparsim eunte, singulis navibus, ut quæque parata erat, navigantibus. Rex Hakon Tunsbergum adpulit, ibique dominam Margaretam reginam et dominam Rikizam[3] reliquit, ipse orientem versus sinum Foldensem trajecit, ubi magnus ad eum numerus copiarum ex Vika[4] confluebat. Tum rex Hakon Olavsudam duxit, rex juvenis Draconem, Knutus dynasta Dragmokam[5], dominus Sigurdus regis filius Rygjabrandum, Petrus Gizkiensis Borgundarbatum, Ogmundus Krækedansus Gunnarsbatum[6]; complures præterea ingentes naves habuerunt. Rex Hakon classem [ad Ramsholmum appulit[7]. Hic stetit navis illa ingens, quam Gunnar regis

---

[1]) ingentes copias cum cibariis, naviumque et armorum apparatu, *F, G.* [2]) primo, *add. F.* [3]) reginam, *add. G.* [4]) et borealibus regni partibus, *add. B, F.* [5]) Dragmarkam, *F, B.* [6]) Bardus Hestbæensis magnam quoque navem duxit, *add. B, F.* [7]) in Hervidarsundo (Hermdarsundo, *B*) constituit, quo plurima exercitus pars ad eum convenit; inde rex in Ravnholtum profectus est, *F, G.*

cognatus præmonstrante rege fabricandam curaverat, quæ maxima navis in Norvegia facta est. Hanc rex ex pulvinis deducendam curavit, cui negotio satis prospere successit. Hic rex disertam orationem habuit, nomen navi imposuit Krossudamque vocavit. [1]Relictis, qui navem armamentis instruerent, [meridiem versus in Albim navigavit et ad Lindisholmos appulit[2], quo delatus Birgerem dynastam cum auxiliis Svionum[3] advenisse cognovit.

De Hakone et Magno regibus.

278. Rex Hakon Magnum juvenem principem[4] et Gautum Meliensem ad reducendam Krossudam septemtrionem versus misit; qui navem ad Ekreyas ad ceteras naves reducerent. Qui septemtrionem versus delati, navem, in quantum antea imparata erat, adornarunt. Cum vero e Ramsholmo[5] solverent, princeps juvenis Magnus primam orationem (publice) habuit, cujus pronuntiationem, graviorem quam pro puerili ætate, omnes magnopere admirabantur. Navis ad Ekreyas reducta, cum ingressi portum ancoras jacerent, tanto impetu cursum obliquavit, ut sucula, fune circumplicata, ignem conciperet. Quare veriti, ne funis inflammaretur, ignis restingvendi causa velum aliquod madefecerunt: princeps vero juvenis Magnus tanto ceteris erat ad capiendum consilium sagacior et celerior, ut arreptam situlam potu plenam, in suculam infunderet eoque pacto ignem[6] refrigeraret. Kros-

[1]) Navi in mare deducta, *add. F.* [2]) ad classem revectus, meridiem versus in Eikureyas (Ekureyas, *B*) navigavit, ubi plurima navium parte relicta, reges, plerisque præfectorum comitantibus, conscensis levioribus navigiis, Albi subvecti, ad Lindisholmos constiterunt, *B, F, G* [3]) ex condictu, *add. B, F, G.* [4]) filium suum, *add. F, G.* [5]) Rafnsholtn, *F.* [6]) funem, *B.*

suda, stationem juxta ceteras naves ingressa, perticas tentoriorum ceterarum navium et Olavsudæ altitudine laterum exæquavit; latera enim Krossudæ super maris superficiem novem ulnas exstabant; quæ navis omnium, quæ eo convenerant, multo maxima fuit, cum inter viros provectæ ætatis constaret, magnas naves æque multas ab se in una classe non visas. Quæ classis, cui nullo modo resisti posse vulgaris[1] opinio erat, ingentem terrorem toti Hallandiæ ac Daniæ intulit. Sic Sturla:

Æquorei jumenti instructor! hominibus
refero, quo modo Danis meridianis bellum
intulisti. Tui milites multis locis tenues
dromones ex falangis abiegnis deduxerunt.
Vestri subditi, fortitudine præstantes, rapinas
ulturi, multas res ad bellum necessarias
diu comparabant. Hominibus haud exigua
classis ante latam terram visa est[1].

Milites diserti illius principis ad
quemque scalmum strenue confluebant.
Dein ingentem classem, divitiarum erogator,
meridiem versus secundum litora direxisti.
Annulorum dator, agminibus Hallandicis
potentia tua terrorem incussit.
Nullus erat civis Jotorum regis,
quin dominum Norvegiæ timeret[2].

---

1) multorum, *B.*

2) Constructio: *unnviggs a) skipuðr, ek segi öldum, hve guldut ófrið Dönum sunnan; þinar þjóðir settu viða þunnar skeiðr af fyri b) hlunnum. Yðrir stórir þegnar höfðu langa stund ærin útboð, [at hegna rán c); ýtum þóttið leiðángr lítill fyrir viðri grundu.*

a) i. e. navis *b) nýjum*, novis, *B.* *c) rána hegnir*, ultor rapinarum!, *B, G.*

3) Constructio: *þjóð ens mærðarfróða hilmis dreif framla til hverrar hömlu. Seima stiklir, hèldut siðan miklum flota suðr*

De rege Hakone.

279. In hac expeditione rex Hakon multos excellentes viros secum habuit: erant ibi, [præter ipsum, tres[1] reges, [rex Hakon juvenis, Jon rex Hebudensis, rex Duggal[2], Knutus dynasta, princeps juvenis Magnus, dominus Sigurdus. Hi ex præfectis illustrissimi erant: Petrus Giskiensis, Nicolaus filius ejus, Gautus Meliensis, Brynjolvus Jonis filius. Cum rex Hakon ad Ekreyas[3] staret, eodem a papa advenit archiepiscopus Sorlius, [et cum eo Petrus episcopus multique alii episcopi[4].

De legatis Danorum.

280. Cum rex Hakon ad Lindisholmos staret, Birger dynasta ab orientali amnis parte ad Gulbergseidum cum exercitu suo constitit; habuit militum quinque millia; aderat apud eum magnus excellentium virorum numerus: dominus Karlus[5], Ulvi dynastæ filius, dominus Holmgeir, Folkii dynastæ filius, Karlus [Kneivii filius, Jon Engilis filius[6]; erat cum dynasta Andreas rex Sursdalensis[7], frater regis Alexandri Holmgar-

---

meðr láði. Hringa baldr, Hallands ferðir urðu hræddar af þinu valdi. Engi maðr Jóta þengils var a) óttalaus við Noregs drottinn.

a) *add. cet.*, quo omisso, versus septimus catalecticus fit.

[1]) *a* [: duo, *G.* [2]) *a* [: *omitt. G.* [3]) Hereyas, *F, G* [4]) *a* [: qui nuperrime Tunsbergo venerat, cum Arnius episcopus paulo ante advenisset; primum enim Tunsbergum accesserat, ubi datis a regioa levibus navigiis cursum meridiem versus conveniendi regis causa direxit, comite Petro episcopo, cum antea comitatus esset Arnio episcopo Bergensi, Askelo episcopo Stavangricosi, Hakone episcopo Osloensi; multi præterea sacri ordinis viri tam regem, quam episcopos comitabantur, *F*; rex Hakon ad Gulbergseidum appulit, *add. B.* [5]) frater Ulvi et dominus Karlus, *add. F.* [6]) *a* [: Kneivus, Jonis Eogelis filius multique alii e Svecia principes excellentes, *F*; *om. G.* [7]) i. e. Susdalensis; vide Werlauffii Symbolas ad geogr. medii ævi, p. 10. not. *c.*

densis, qui expulsus a Tataris ab oriente profugerat. Rex juvenis Hakon[1], ab Birgere dynasta invitatus, ad convivium[2] profectus est; [postero autem die[3] Birger dynasta[4] ad regem Hakonem Seniorem se contulit; qui de multis rebus inter se disserebant. Dynasta[5] significavit, legatos Danorum regis a meridie delatos in superiore fluvio ad isthmum Gulbergensem stare, duo episcopos, quindecim equites, multos præterea alios viros, eo missos consilio, ut res, de quibus [rex Hakon[6] Danos accusaret, componerent. Festo Johannis Baptistæ utrique[7] in colloquium congressi sunt[8], visusque est Birger dynasta causæ Danorum plus, quam opinio fuerat, patrocinari. Dani pacis conditiones, ab rege Hakone præscriptas[9], acceperunt[10]: ut tantam pecuniæ summam Norvegis penderent, quantam rapinis Danorum amisisse, testibus probari posset[11]. Decretum quoque, ut rex Hakon postulatis Danorum pecunia satisfaceret, quæ pecunia autumno proxime insequenti solveretur, ut et pars pecuniæ a Danis solvendæ[12], parti residuæ Hallandia pignori poneretur. Quas conditiones si rex Christophorus accipere nollet, pars equitum cum rege Hakone (in Norvegiam), pars cum Birgere dynasta in Sveciam concederent, ibique manerent, quo ad pecuniis redimerentur. [Se-

---

[1]) cum Petro Giskiensi pluribusque viris nobilibus, *add. F, G.* [2]) ab Lindisholmo, *add. F, G.* [3]) die autem solis, festum Joh. Baptistæ antecedente, *F, G.* [4]) cum Hakone (rege, *G.*) juvene, *F.* [5]) regi, *add. F, G.* [6]) populus Norvegicus, *F, G.* [7]) omnes una, *G.* [8]) atque eo loco multis de rebus disputabant, *add. F, G.* [9]) sapientissimorum virorum auctoritate accedente, *add. F, G.* [10]) quæ tales erant, *add F, G.* [11]) ne quid damni bello ab Danis illato acciperent Norvegi, *add. cet.* [12]) cujus pars statim soluta est, *add. B.*

eundum hæc pacta literæ scriptæ et ab utrisque signatæ sunt[1]. Sic Sturla:

Bellicosus clypeorum deletor
primo rapinas ultus est Danorum;
deinde marinorum ignium
profusor ad Ekreyas venit.
Hic populus magnam flammæ
manualis vim inimico auri
pollicitus est; dein Thrandorum
rex territoria pignori accepit[2]

[3]Inde dimissis navalis expeditionis sociis, rex Hakon sub festum Petri iter boream versus Tunsbergum convertit[4].

De profectione regis Hakonis.

281. [5]Procedente vero æstate rex pecunias[6], quas Danis penderet, orientem versus ad fines regni misit; [nulli autem[7] ab Dania, qui pecunias acciperent, nulli, qui pactas persolverent, advenere. Aslakus Birgerem dynastam convenit, et[8] significavit, regi Danorum placere, nullas eo autumno præstari pecuniæ pensiones; placere, ut ipsi reges æstate proxime insequenti con-

[1]) Qua pace confirmata literæ in has conditiones scriptæ sigillisque utriusque regni episcoporum aliorumque (potentium) virorum munitæ sunt, *F*, *G*.

[2]) Constructio: *Rógstriðr a) randa'týnir b) gallt fyrst Dönum rán; siðan kom lestir fleyvángs fura c) til Ekreyja. Öld d) hèt þá gullstriði b) gnógu liðbáls e) gjaldi; lofðungr þrænda tók siðan lönd at veðmála f).*

a) sic cet.; *rógstriðs*, *A*. *b*) i. e. rex Hakon. *c*) vir liberalis i. e. rex Hakon. *d*) ɔ: Dani. *e*) *liðbál*, flamma articuli, brachii, ulnæ, aurum. *f*) *veðmáli*; id, *B*, *F*.

[3]) His actis et confirmatis, rex Hakon et Birger dynasta consilia inierunt, *add. B*, *F*, *G*. [4]) omnibusque domum redeundi veniam concessit, *add. cet.* [5]) Rex Hakon, ut paratus erat, Tunsbergo profectus Bergas venit, ibique æstatem transegit, *add cet.* [6]) Aslakum G...ium (A. Gustum, *G*) cum pecuniis, *F*. [7]) Cum vero Aslakus in Albim venisset, nulli, *F*, *G*. [8]) cui dynasta, *F*, *G*.

gressi pacem[1] componerent; ipso dynasta tum magnopere hortante[2]. Rex Hakon in partes regni boreales profectus, in Thrandheimo hiemavit; quæ hiems imperii ejus septima et tricesima fuit. Proximi veris tempore jejunii[3] obiit Petrus[4] Giskiensis. Eodem vere[5] obiit Sorlius archiepiscopus, festo duorum apostolorum, Philippi et Jacobi. Rex Hakon meridiem versus Bergas profectus est. Post obitum archiepiscopi canonici[6] in eo consenserunt, ut Einarem Smjorbakum, tum Parisiis agentem, filium Gunnaris Grjonbaki[7], archiepiscopum designarent. Ad hunc itaque [literæ missæ sunt, rege harum rerum ignaro[8]. Æstate proxime insequenti rex Hakon, regem Danorum[9] conventurus, orientem versus in[10] Albim profectus est, et classem ad Lindisholmos adpulit, Birgere dynasta ad Gulbergseidum se continente. Eodem et advenit Christophorus, Danorum rex, qui in Birgere dynasta plurimum fiduciæ collocavit. Ubi autem de pacis conditionibus disputari est cœptum, rex Danorum haud obscure significavit, videri sibi episcopos superiori æstate, ultrà quam mandavisset, rem peregisse. Itaque inter reges nulla de re convenit; Birger vero dynasta, qui hortatus est, ut pacem inter se facerent, causæ Danorum nimis favere Norvegis visus est. Is autem hujus congressus exitus fuit, ut rex Danorum, nulla facta reconcilia-

[1]) omnes controversias, *F*, *G*. [2]) quo facto Aslakus domum reversus est, *add. F*, *G*. [3]) in Thrandheimo, *add. F*, *G*. [4]) episcopus, (*prave*) *add*, *F*; colonus, *G*. [5]) in Thrandheimo, *add. F*, *G*. [6]) habito colloquio, *add. F*, *G*. [7]) Grjonstakki, *F*. [8]) cum literis missi sunt magister Hakon et magister Ottar, qui hanc electionem (hoc ipsis regique placuisse) nuntiarent, neque tamen (canonici) regem Hakonem de hac re in consilium adhibuerant, *F*, *B*, *G*. [9]) uti Birger dynasta rogaverat, *add. F*. [10]) Vikam et usque in, *add. F*.

tione, aveheretur; idem meridiem versus per Hallandiam equo vectus, quos potuit[1] pontes ab omnibus fluviis removeri jussit. Rex Hakon in Vikam reversus, eo loco æstatem transigebat.

Obitus Sigurdi regis filii.

282. Eodem vere, cujus facta nuper mentio est, obierunt Sigurdus regis Hakonis filius, et Askel, episcopus Stavangriensis. Hac æstate rex Hakon Sigvardum episcopum in Islandiam misit, ut mandata sua in comitiis perageret, unaque cum eo Sigurdum Silkogum[2]. Hi multas literas[3] attulerunt, quibus Gizur Thorvaldi filius multique alii viri ab Islandia evocabantur. [Hieme proxime antecedente[4] Eyolvus[5] et Ranius[6] et Kolbein Grana tres filios Gizuris compluresque alios homines Flugumyræ in ædibus vivos concremarant. Eademque hieme Gizur Kolbeinem Granam septemque præterea viros interemit; proximo autem vere Oddus Thorarinis filius Ranium et tres alios viros in Grimseya interfecit. Id temporis in Islandia omnia turbarum plena. Sigurdus episcopus Gizurem, interdicti pœna tunc temporis ab Henreco episcopo implicitum, in meridianis insulæ partibus convenit. Henrecus vero episcopus, cum navem ab Norvegia in Islandiam advenisse cognovisset, in meridiana vectus est; tumque uterque episcopus adeo Gizuri instabant, ut extemplo in Norvegiam proficisci decerneret, Oddum Thorarinis filium Skagafjordo præficeret, resque suas omnes ei commendaret, avitarum possessionum custode relicto Thorere

[1]) transgressus est, *F, G.* [2]) qui observaret, qua fide episcopus mandata regia exsequeretur, *add. B, G.* [3]) in Islandiam, *add. B, F, G.* [4]) Cumque in Islandiam venissent, cognoverunt, res memorabiles ibidem præcedenti autumno accidisse, nimirum quod, *F, G.* [5]) Thorsteinis filius, *add. F.* [6]) Kodranis filius, *add. F.*

Totto, qui Oddo adversus [Eyolvum et Ranium[1] opitularetur. Gizur Bergas venit, ubi aderat Thordus Kakalius, quorum congressus haud sane amicus fuit. Inde Gizur statim orientem versus in Vikam contendit, ubi regem Hakonem convenit.

Ivar cum mandatis regiis in Islandiam missus.

283. Hoc eodem autumno rex Hakon res ad hiemandum necessarias in Arcem (Tunsbergensem) comportari jussit; quæ hiems tricesima et octava fuit imperii ejus. Ibidem Gizur ac Thordus, ille in oppido, hic in arce, versabantur. Insequenti vere rex Hakon, Krossudam ducens, Bergas profectus est. Hac æstate archiepiscopus Einar[2] in Norvegiam rediit, [3]neque regem convenire voluit; quæ res huic mira visa est. Hac eadem æstate[4], qua rex Hakon Bergis se continebat, Ivarem Englii[5] filium in Islandiam misit, ut negotia sua ope episcoporum, in quibus magnam habebat fiduciam, perficeret. Gizuri vero ac Thordo præfecturas, illi in Thrandheimo, huic in Skida ad orientem[6] tradidit. Hieme proxime præcedenti, antequam Ivar in Islandiam venit, Rafn et Eyolvus Oddum Thorarinis filium Geldingaholti interfecerant, proxime vero insequenti æstate Thorvardus Thorarinis filius, cui Thorgils Bödvaris et Sturla Thordi opem ferebant, adversus Rafnem et Eyolvum in lingulis Thveraensibus pugnaverat, quo prœlio Eyolvus cecidit, Rafn fugam capessivit. Ivar proximam hiemem Skalholti transegit, sensitque episcopum minori quam pollicitus fuisset, studio regis negotium procurare. Itaque insequenti vere boream

[1]) incendiarios, *G.* [2]) a Papa, *add. B.* [3]) ab altoque delatus Aldium attigit, protinusque cursu boream versus directo Thrandheimum ingressus est, *add. F.* [4]) vere, *F.* [5]) Eglii, *B.* [6]) *sic F*; septemtrionem, *A* (*prave*).

versus in Skagafjordum profectus, cum ibi Henricum episcopum et Thorgilsem Skardium, id temporis Skagafjordo præfectum convenisset, coram his negotia regia exposuit. Quibus libenter comprobatis uterque [[1]colonos Skagfjordenses convocavit[2], causamque regiam unacum Ivare commendavit; qua re factum est, ut omnes Skagafjordenses et Eyafjordenses se tributum[3] soluturos, maximaque pars colonorum quartæ borealis tantum, quantum inter ipsos et Ivarem convenisset[4], præstituros pollicerentur. Eadem æstate Ivar in Norvegiam rediit, minorem, quam opinatus fuerat, negotii successum se habuisse existimans, quod maxime quidem amicis[5] Gizuris aliqua tamen ex parte Thordi amicis[6] imputavit.

Einar archiepiscopus cathedram adscendit.

284. Einar archiepiscopus cathedræ Nidrosiensi redditus, cum cognovisset, regi Hakoni displicere[7], quod se in patriam redux non convenisset, meridiem versus Bergas se contulit. Quem rex se adeuntem liberaliter excepit[8]. Erat archiepiscopus regi juveni amicissimus; huic enim nomen regium imposuerat[9]. Itaque [regem hortatus est[10], ut regni [quantum optime videretur convenire[11], inter filios divideret. Qua de re cum rex Hakon amicos[12] in consilium adhiberet, sententiæ variabant; placuit quibusdam, ut Magnus tertiam partem regni nomenque Ducis ha-

---

1) omnes, *add. F.* 2) generale concilium indixit, *G.* 3) regi, *add. F.* 4) convenerat, *F, G.* 5) et coalumnis, *add. cet.* 6) et cognatis, *add. G.* 7) graviter displicuisse, *F.* 8) Hi multis de rebus inter se disserebant, atque de omnibus bene consentiebant, *add. B, F, G.* 9) cumque deinceps summo amoris affectu prosecutus fuerat, *add. F.* 10) regi proposuit, *F.* 11) partem, se vivo, *F, G*; quantum populo bene placeret, quantumque utrique se concessuros pollicerentur, *F.* 12) et consiliarios, *add. F.*

beret; aliis, regnum in duas partes dividi, ita ut Hakon[1] regium nomen gereret; alii ostendebant, se his conciliis nolle interesse, in quibus ullius inter fratres discriminis ratio haberetur[2]. Quibus consiliis laudatis, rex significavit, salutem reipublicæ postulare, ut sua cujusque sors divino arbitrio permitteretur; quo factum est, ut, suppressa re, nihil decerneretur. Archiepiscopus boream versus ad sedem archiepiscopalem rediit, amicissime ab rege dimissus. Eadem æstate rex Hakon juvenis legatos in Hispaniam ad regem Castiliæ miserat, præfecto legationis Elia sacerdote, qui aliquot accipitres pluresque alias res, iis locis raras, regi offerrent. Qui cum in Hispaniam venissent ipsi muneraque ab rege Norvegiæ missa liberaliter ab rege accepta sunt; ibidemque aliquantum temporis, insigni habiti honore, sunt commorati.

Literæ in Daniam missæ.

285. Hieme proxime insequenti rex Hakon Bergis se continebat, quæ hiems imperii ejus fuit tricesima nona. Proximo vere sub festum paschale rex Hakon Thorlogum Bosium, aliquot viris comitatum, in Daniam ad Jacobum, archiepiscopum Lundensem, misit, [qui certior fieret, an Danorum rex pacta, de quibus superiori æstate convenisset, servare vellet[3]. Quem Lundum delatum archiepiscopus benigne excepit, et

---

[1]) post patrem suum, *add. B, F.* [2]) e republica fore judicantes, omnia inter eos ex æquo dividi. Einar archiepiscopus amicique regis junioris regem orabant, ut hanc rem aliquo decreto confirmaret, literisque suis sigilloque, et ceterorum principum, muniret, *add. F.* [3]) cum literis ad archiepiscopum, ut literas legatosque ad regem Christophorum mitteret, qui resciscerent, an aliquid ex pactis, quæ inter Danos et Norvegos æstate qua rex Hakon ad Ekreyas steterat, convenissent, servare vellet; *B, F, G.*

apud se retinuit, legatos vero in Selandiam Roiskeldam ad regem Danorum misit. Quorum cognitis mandatis, rex ipsos apud se retinuit, homines vero in Skaniam misit, qui legatos Norvegiæ regis comprehenderent[1]. Quo archiepiscopus per speculatores cognito, Thorlogo insidias aperuit, equosque dedit, quibus in Sveciam aveheretur, quibusdam ex comitibus ejus clam apud episcopum remanentibus. Thorlogus cum suis [Bergas ad regem Hakonem revecti[2] [significarunt, regem Danorum nulla pacta cum Norvegis inita servare velle[3]. Rex rem ægre tulit. Neque vero multo post Olavsudam[4] in aquas deduci jussit, simulans, se boream versus in Thrandheimum navigaturum. Ut vero navis ad Fenringam stetit, se orientem versus vela in Vikam daturum ostendit. Præmissis [in Vikam literis vetuit, ne quæ mercatoriæ longius orientem versus, quam ad Ekreyas, nisi regio accedente mandato, navigarent[5]. [6]Delatus in Vikam[7], toti Vikæ copias per literas imperavit, præfectosque[8] ad se vocavit. Quo cum ingens hominum naviumque numerus convenisset, rex Hakon classem ad Ekreyas movit; ubi magna copiarum multitudine in unum congregata, fuere,

[1]) et ad se ducerent, *add. F.* [2]) iter per partes orientales facientes in Vikam, indeque boream versus ad regem contenderunt, Bergasque sub festum pentecostes delati, *B, F, G.* [3]) quid ipsis accidisset, retulerunt, verbisque episcopi renuntiarunt, non esse quod arbitraretur, quam Norvegi ab Danis pacti fuissent pecuniæ summam solutum, aliave pacta conventa servatum iri, *F.* [4]) navem suam, *add F, G.* [5]) orientem versus nuntiis ad præfectos et mercatores, qui in Daniam navigare solebant, severe interdixit, ne qua classis Orana longius — Ekreyas, navigaret, ibique mandata regia exspectaret, *F, G.* [6]) Rex Hakon, cursu orientem versus secundum litora continuato, *add. B, F.* [7]) primo Tunsbergum appulit, quo cum venisset, *add. B, F.* [8]) quique in Vika erant provinciarum præsides, *add. B, F, G.*

qui numerum navium trecentis sexaginta haud minorem esse æstimarent. Sic Sturla:

Oppressor regulorum, illustri orte
genere! haud diu quietus mansisti,
pactis violatis. Fortes aulici asperum
rudentem bellicæ navis tacite pararunt.
Norvegorum rex! hominibus trans Albim
incolentibus necem illaturus, splendidas
eo naves direxisti. Novæ tabularum
compages vim (pelagi) expertæ sunt[1].

Deinde[2] rex Hakon magnam partem copiarum meridiem versus ad litora Hallandiæ misit, agrosque populari et igne ferroque vastari jussit. Duas militum partes meridiem versus ad Glymsteinem usque misit, præfectis Ogmundo Krækedanso, Arnbjorne Posio, Bardo Hestbæensi, Aslako Guse, Paulo Gasa, Amundio Haraldi filio. Tertia pars in Geitkjaris[3] escensionem faceret,

---

[1]) Constructio: *ættum góðr jöfra hneitir! eigi sátuð lengi at rofnar sættir; harðir hirðmenn bjöggu stirðan a) herskip b) streng c) í kyrdum. Norðmanna gramr! þú lèzt auðit dauða flotnum fyri d) utan Elfi, (ok) hèlt mætum [borðum þannig e); nýjar súðir vissu nauða.*

a) *stirðar*, asperas, *B, F.* b) *herskips*, eod. sensu, *cet.* c) *steingr*, antennas, *B, F, H.* d) *frá*, ab, *B*, vix recte hoc contextu; nisi *frá* pro verbo capias, et *utan Elfi* pro *fyrir ut. E.* accipias, sc: *frá (at) þú lèzt, &c.*, fama accepi, te, *&c.* e) pro *þannig B* habet *fyri skeiðar*, nec ad contextum apte, nec ad metrum accommodate; *fyri, G*, i. e. *fyri-borðum*, tabulas (naves) abiegnas, apto sensu, tum vero construi mallem, *hèlt mætum fyri-borðum fyri utan Elfi*, splendidas naves abiegnas trans Albim deduxisti. Ceterum *A* has duas voculas transponit, legens *borðum þannig*, cum ceteri habeant *þannig borðum*, quem priorem situm syllabarum metricarum regulis poeticis non repugnare, cum disces ex Edda Snorriana, tum exemplo proximæ strophæ versus sexti facile tibi persuadebis.

[2]) in fretum Ekreyense (Eikundense, *prave*) delatus, *B, F.*

[3]) Geitskoris, *B.*

præfectis Jone Drotninga, Jone Lodinis filio, Thordo Kakalio, pluribusque e Vika provinciarum præsidibus. Hi omnes conjuncta classe ad fretum Mostriense navigarunt. Sic Sturla:

Tui milites fecerunt tenues faselos,
splendidis ornatos armamentis, secare
horridum mare ad fretum usque Mostriense.
Gothi famam de expeditione acceperunt.
Deinde mœsti Danicorum territoriorum
incolæ tuos, rex bello strenue, milites
vela contrahentes, capitaque navium
bellicarum (auro) refulgentia conspexerunt[1].

Rex fretum Mostriense ingressus in aliquot ex Danis incidit; quorum plerique interfecti sunt.

Populatio in Dania.

286. Festum Bartholomei in diem Jovis incidebat. Tum Norvegi, uti præceperat rex, agmen ad escensionem[2] ordinarunt, atque ad Glymsteinem egressi sunt. Utrique vero Jones, primo Bardfjordum[3] ingressi, unam parœciam eo loco inflammarunt; dein meridiem versus ad Geitkjara navigarunt, eoque loco escenderunt. Obcurrens eo loco exercitus aliquis collectitius incolarum brevi restitit, compluresque Dani ibi

---

[1]) Constructio: *þinar þjóðir lètu þunnar skeiðr með a) búnu b) reiði c) sneiða d) ljótan e) lunda völl f) af Morstrarsundi g); Gautar spurðu leiðangr. Síðan lœit h) hrygðar fólk í Dana bygðum, er yðrir drengir, snarfengr konungr, hlóðu seglum; lýsa tók af herskips hausum.*

a) und, sub, *G, B, eod. sensu. b) búnum, F,* v. c. *c) reiða,* id., forma recentiori, veteribus tamen usitata. *d) sniða,* id., *F, G. e)* malui referre hanc vocem ad *lundavöll,* quam ad *leiðangr,* cum apparatus bellicus h. l. tam splendide describatur. *f) lunda völlr,* campus mormonis fraterculæ, mare. *g) Mustrarsundi, G. h)* conjeci; *let* (ɔ: *lèt*), id., *B*; *lætr, A,* forte vitio librarii.

[2]) *in* Hallandia faciendam, *add. F, G.* [3]) Hardfjordum, *B.*

cecidere. Quo facto Norvegi agros populari et inflammare cœperunt. Sic Sturla:

Populi potens! te auctore milites
ad terram regis bellicosi, in impetu
acris, accesserunt; dein animosæ
cohortes egredi in terram adortæ sunt.
Tui magnanimi aulici Hallandiæ
multa loca ab oriente Geitkjarorum
effusissime sunt populati. Progenies
virorum libertatem suam amisit[1].

Norvegi terram[2] peragrantes, homines occiderunt, territoria incenderunt; incolæ, prouti occasio ferebat, aufugerunt. Sic Sturla:

Asperi milites tela impetuosa
sonare fecerunt in speculorum
nimbo. Gladii magnam vim sangvinis
ex Danorum vulneribus large emiserunt.
Homines, splendido ære ornati, in turba
fugientium prostrati, passim ceciderunt,
quo loco bellicosa cohors, galea terroris caput
velata, firmo gradu in pugnam procedebat[3].

---

1) Constructio: *Allvaldr! rèðtu því, er ýtar hèldu at láði ógnarbráðs, sóknarstrangs fylkis; síðan rèðu a) prúðar sveitir at gangu á land. þínir stórir b) hirðmenn lètu vægðarlaust herjat c) Halland d) víða fyrir austan Geitkjörr; virða kindir týndu frelsi sínu.*

a) *náðu*, id., *B, F, G.* b) sic *F*; *stórar*, *A*, secundum quem construi possit: *þínir hirðmenn lètu vægðarlaust víða fyrir austan Geitkjörr; stórar virða kindir Hallands herjar týndu frelsi sínu*, tui aulici multis locis ab oriente Geitkjarorum effuse grassabantur; magna multitudo Hallandici populi libertatem amisit; sed vide cap. 278. str. 1. v. 5. c) sic *B, G*; *herja*, *F*; *herjar*, *A*, vide *b.* d) sic *B, F*; *Hallands*, *A*, vide *b.*

2) multa terræ loca, *G.*

3) Constructio: *Snarpir drengir lètu sókna a) gífr b) syngja í fleina drífu; brandar hleyptu ört ærnu c) blóði úr undum danskrar þjóðar. þollar frægra málma fèllu víða, vegnir í*

Te auctore robusti milites sub signis
procedebant in lata terra bellicosi
regis. Funereus vultur, armorum
in conflictu, calidam prædam discerpsit.
Quinimo aquila cum lupis communicabat
ingentem fluctum vulnerum, capitibus
sævi populi inflictorum. Lupus super
effusum cruorem atrocium virorum stabat[1].

Festo Bartholomei Ogmundus ac sui ad Glymsteinem escensione facta, nullo resistente, complures Danorum interfecerunt, [pagos autem ad meridiem versos usque ad Eidriam inflammarunt[2]. Sic Sturla:

Fidi satellites fervidum ignem
altissimum in Dania accenderunt.
Claricans ædium vastator ivit altior
domibus in inflammata regione.
Pestis betulæ multis locis per habitacula

reknum flótta, þar viga drótt, faldin ægishjálmi d), gekk fast e) at hildi.

a) sóknar, gen. sing., *B, F, G*. *b) hníf*, cultrum, *F*, cod. sensu; *sókna gifr*, gigantides pugnarum, propr. secures. *c) vörmu*, calidum, *F*, ubi *v* vicem literæ vocalis sustinet. *d)* i. e. terrorem hostibus incutiens *e)* sic *B, F, G*; *ferð*, *A*, quod non assequor h. l., nisi sit secundum pronuntiationem pro *fergð*, compacta, conferta, i. e. densis ordinibus.

[1]) Constructio: *at þinu ráði gengu styrkir menn und merkjum á víðri grundu málma lunds a); Valgammr sleit varma bráð at vápna móti. Örn skipti við úlfa sjálfri b) ógnarbáru höfuðsára greyprar c) þjóðar. Gyldir stóð yfir meginblóði grimmra d) hölda.*

a) i. e. regis Danorum. *b) sjálfr*, ipsa (ut referatur ad *örn*), *B*, sed obstat ratio versus dimetri. *c) greypra* (ref. ad *hölda*), *F, G*. *d) grimmrar* (ref. ad *þjóðar*), cet.

[2]) Pagos hoc vesperi sequentique die Veneris incenderunt, et meridiem versus usque ad amnem, qui Eidria dicitur penetrarunt, eoque loco emporium aliquod inflammarunt. Die Saturni revertentes omnes pagos in itinere obvios igni vastarunt, *B, F, G*.

rusticorum grassabatur. Complures viri flamma hausti sunt, homines vero perterrefacti per combustos agros ad silvam cucurrerunt[1]. Quibus confectis rebus Norvegi ad naves redierunt[2]. Proximo die Solis Dani cum magno exercitu collectitio descenderunt, et aliquot [calones Norvegorum in terra[3] interfecerunt. Post hæc Norvegi ab Glymsteine abscesserunt, [cum antea[4] oppidum Aranesum incendissent[5]. Sic Sturla:

Alni vastator ab orientali Albis parte
scintillas in calidum tectum subjectavit.
Alta deinde domicilia corruerunt.
Instabat lacrimabile tempus Danorum territoriis.
Omnia domicilia ardere cœperunt.

---

[1]) Constructio: *traustir hirðmenn kyndu hæstan heitan eld i Danaveldi; skæriligr hallar gandr a) gekk húsum hærri á sviðnu landi. Birkisótt a) fór viða um búðir búkars b). Margir c) bragnar d) sleguir e) báli, en hræddar dróttir ruuuu brunnit land til skógar.*

a) i. e. ignis, flamma. *b*) *búkarls*, cet. In *búkars* aut *l* elisum esse videtur, aut derivandum ex *bú* et *kars*, vehemens, strenuus, quasi in re familiari administranda strenuus; et forte *karr* radix est τοῦ *karl*. *c*) *eyddu*, *B*, *F*, vide e. *d*) subint. *voru*. *e*) *slegnu*, *F*, *bragnar eyddu slegnu báli*, viri (milites) omnia subjecto v. accenso igni vastarunt.

[2]) Nocte diem solis antecedente Norvegi in navibus excubabant. Tum coorta vehemens tempestas aliquot ex navibus eorum, diruptis oris, ab litore abegit, cum vectores eas antea exonerassent, ipsique in naves funibus ancorariis revinctas transcendissent, *add. B, F. G.* [3]) moratorum, qui ad prædas faciendas incursionem (in pagum, *add. F*) fecerant, *B, F, G.* [4]) Dein naves in terram ejectas sumserunt, atque in his pyras exstruxerunt, eo consilio, ut in naves Norvegorum deferreutur; ventus enim ab terra spirare inceperat. Qua nova re conspecta Norvegi, contra ad terram remigantes, quasdam navium injectis manibus ferreis ad se traxerunt; quo factum est, ut ea machinatio nihil damni eis afferret, *add. B, F, G.* [5]) et aliquanto (paullo, *G*) post incenderunt, *F, G.*

Silvæ vastator grassabatur per amplas
virorum plateas a boreali parte Glymsteinis.
Horridum bellum gerebatur in ora Hallandiæ[1].

Rex Hakon ad Ekreyas stabat, cum classiarii ad eum[2] redierunt[3]; cujus auctoritate prædam diviserunt. [Inde legatos ad regem Danorum misit[4], utrum pacem facere, an bellum cum Norvegis gerere vellet[5]. Hæc mandata perferebant Simon ex ordine Prædicatorum et Sigurdus frater (monachus); quæ negotia rex Danorum graviter[6] accepit, tulitque ægerrime, quod Norvegi regnum suum populationibus vexassent. Nullis itaque responsis ab rege Danorum redditis, redierunt, exitumque negotiorum regi Hakoni renuntiarunt, seque de pacis reconciliatione desperare ostenderunt.

De legatis regis Hispaniæ.

287. Rex Hakon ab Ekreyis navigavit, relicto ad Albim filio, rege Hakone, qui in freto Stromensi cum decem magnis navibus stabat. Hi gubernatores apud regem juvenem remansere: Ogmundus Krækedansus, Vesetius ab Hellere, Simon Staurius, Lodin Staurius, sacerdos Helgius Rufus; speculatores duas[7] naves habe-

1) Constructio: *elris garmr a) hratt gneistum i ráfit b) varma fyri austan Elfi; siđan fèllu háfar hallir. Hrygđar-stund c) í bygđum Dana. [Öll innin tóku at brenna; storđar úlfr a) rann um stórlig stræti ýta fyri norđan Glymstein. Ógnarstríđ c) á Halllands síđu.*

a) i.e. ignis. *b) ræfrit*, id, *B, G* *c)* subintellige *var.*

2) a meridie, *add. F, G.* 3) ex quibus omnia, quæ gesta erant, exacte cognovit, *add. B, F.* 4) Rex Hakon reputans, Norvegos regnum Danorum regis admodum infestavisse, cum suis deliberavit, qua ratione proprium regnum tueretur. Itaque id captum consilii est, ut legati ad regem Danorum mitterentur, *B, F, G.* 5) mallet, *F.* 6) cunctanter, *G.* 7) magnas, *add. B, F.*

bant. Rex Hakon boream versus in Vikam contendit, et[1] in partes regni septemtrionales proficisci statuit; ut vero boream versus profectus in Agdas[2] venit, advenit sacerdos Elias, qui ab rege juvene in Hispaniam missus fuerat. Hic regi aperuit, legatos regis Hispaniæ in regnum advenisse, præfecto legationis sacerdote Feranto, multasque habere res, quas cum rege Hakone communicent; velle regem Hispaniæ ejus sibi amicitiam adjungere eamque firma adfinitate munire. Ut vero rex Hakon fretum Raudi ingressus est, legati, qui eo loco aderant, mandata coram eo exposuerunt. Præcepit rex, ut[3] Tunsbergi manerent, donec ipse vere insequenti ab septemtrione reversus, viris prudentibus in consilium adhibitis, negotia eorum decideret. Inde rex Hakon[4] Bergas profectus, eo res ad hiemandum necessarias contraxit. Eodem autumno Ivar Englii[5] filius ab Islandia reversus, res, quæ ibi[6] gestæ fuissent, renuntiavit.

Rex Hakon junior Danis stipendium imposuit.

288. Rex Hakon juvenis hoc autumno, ut antea memoratum, classem in freto Stromensi tenuit, magnumque Danis[7] terrorem incussit. [Nuntiis in pagos Hallandiæ non incensos missis[8], magnum eis stipendium imposuit, constituens, quot boum centurias penderent, alias se adversus eos ducturum minatus, facturumque, ne meliori conditione, quam quorum pagi incensi fuissent, uterentur. Dani, postulatis regiis obse-

---

1) primoque Tunsbergum appulit, ubi brevi moratus, *F.* 2) orientales, *add. F, G.* 3) in Norvegia hiemantes, *add. F, G.* 4) in boreales regni partes navigavit, proximoque autumno, *add, F, G.* 5) Eglii, *B.* 6) in itinere suo, *F, G.* 7) qui superiori æstate populationibus in Hallandia factis valde perterrefacti erant, *add. F.* 8) Eodem autumno in pagos non incensos postulata edidit, et, *G.*

quentes, magnam boum multitudinem ei dependerunt, [pro numerato[1] ceram, lintea, argentum[2] solverunt. Quæ res ad regem Hakonem in fretum Stromense devectæ; quo loco ille ad festum usque Martini navibus excubuit. Incolæ Selandiæ, magnopere veriti, ne rex incursionem in fines suos faceret, hiemem in contrahendis copiis consumserunt. Rex Hakon juvenis Tunsbergi convivium jolense sibi apparandum curavit, eoque se ante festum jolense contulit, relicto in oriente Ogmundo Krækedanso cum præsidibus provinciarum[3]. Rex festum jolense Tunsbergi transegit; post autem paullo Ogmundus misit, ut in partes orientales veniret, verba enim ab Danis jactantiora et minaciora sibi afferri. Quam ob rem rex statim[4] post festum jolense Tunsbergo iter paravit, [et orientem versus Kongelam navigavit[5], ubi [ad tempus[6] jejunii se continebat. Tum literæ a patre allatæ, ut septemtrionem versus Osloam redire ibique regem Hakonem a borea adventurum expectaret, ut[7] deliberarent, [quæ responsa reddenda essent negotiis sacerdoti Feranto mandatis[8], quibus petiit Hispaniæ rex, ut rex Hakon filiam suam, principem virginem Kristinam, alicui ex fratribus suis nuptum daret. Rex Hakon juvenis die cinerum Kongela

[1]) partem stipendii (cera &c.), *B, F.* [2]) defæcatum, *add. G*; aliasque merces, *add. F.* [3]) orientalium, *add. F, G.* [4]) duábus noctibus, *add. B.* [5]) gravem nactus tempestatem ventumque adeo obliquum, ut antequam portum Spjaræ ab orientali parte sinus Foldensis teneret, obliqua transferre vela necesse fuerit. Dein rex conscensa celoce in continentem transvectus, per loca superiura proficiscendo convivia obiit, navibus cursu exteriori orientem versus ad Albim vela dare jussis, quas Kongelam prævectus antevertit; Consedit in arce, quæ in Holmo (insula) prope Kongelam est, *G, F, B.* [6]) tempore, *G.* [7]) congressi, *add. B.* [8]) quomodo tractanda essent gravia negotia, ab sac. Feranto perlata, *F, B.*

boream versus Osloam profectus est. [Post paulo[1] ei literæ ab Birgere dynasta, socero ejus, ex Gothia allatæ sunt, ut quam celerrime orientem versus ad se veniret. Cum vero pater ejus a borealibus nondum advenisset, [orientem versus Kongelam navigavit[2], eoque [initio hebdomadæ majoris[3] pervenit; inde Ljodhusa se contulit, ubi Valdemarem Svionum regem, affinem suum conveniens, summa benevolentia ab eo exceptus est. Hi utrique una in Gothiam vecti sunt. Ut vero Birger dynasta cognovit, regem Hakonem, generum suum, in Sveciam pervenisse, suis præcepit, ut eum comitesque honorifice exciperent, capitis supplicium minatus, si quis Norvegos ludibrio haberet, ignominiosave[4] appellatione salutaret. Festum paschale omnes una, socer, gener et affinis, in oppido Gothiæ occidentalis, Lenis[5] dicto, celebrabant; feriaque[6] paschatis, inter missam, rex Valdemar et Birger dynasta regem Hakonem ad altare deducebant, summum ei honorem in omnibus rebus habebant, atque medium inter se collocabant; digredientem summo amore et comitate prosecuti sunt. Rex Hakon[7] Kongelam devectus, [8]boream versus in Vikam contendit. Assidue equo vehebatur, accipitribusque et canibus se oblectabat. Et aliquo die, cum trajecto fluvio orientem versus in Gulleyam animi causa transmisisset, nocte proxime insequenti morbum naetus est. [Cum autem ab oriente proficiscens

---

[1]) Hic paulisper morato, *F*. [2]) iter Osloa Tunsbergum paravit, in quo itinere morbo nonnihil tentatus, Dei beneficio brevi revaluit. Tunsbergum delatus, nave conscensa, orientem versus Kongelam ad Albim contendit, *B, F*. [3]) ultima hebdomada jejunii, *G*. [4]) Baggos (arietes) vocitaret, aliave ignominiosa, *cet*. [5]) Leinis, *B, G, H*; Hleinis, *F*. [6]) prima, *add. F*. [7]) eximiis cum muneribus, *add. G*. [8]) cum aliquantum veris ibi moratus esset, *add. F*.

sinum Foldensem trajiceret, morboque ingravescenti premeretur[1], celoce aliqua[2] se per sinum Foldensem Tunsbergum transportari et in monasterium deportari jussit, ibidemque decubuit. Hic accedens medicus, [quem ab exteris adduxerat sacerdos Ferantus[3], medicinam morbo adtulit, malo nihilo minus ingravescente; et paulo post animam exspiravit. Dies ejus emortualis est binoctio post festum Vitalis[4]. In quo summum damnum factum esse omnes judicarunt; erat enim rex Hakon apud suos admodum gratiosus; statura fuit plus quam mediocri et concinna, aspectu pulcher; coma decora, oculi pulcherrimi, magnitudo virium haud vulgaris, velocitas corporis atque agilitas insignis; equi tractandi peritia omnes, quos id temporis tulit Norvegia, superabat. Funus Osloam deportatum, et in templo Halvardi, ubi rex Sigurdus Hierosolymipeta humatus erat, sepultum.

Expeditio imperata.

289. Rex Hakon hanc hiemem Bergis transegit; quæ quadragesima fuit imperii ejus. Tum[5] copias, missis per totam Norvegiam literis, imperavit[6]; nuntios Einari archiepiscopo omnibusque episcopis suffraganeis misit, ut[7] castra

[1]) itaque parato boream versus in Vikam itinere, conscensa nave sua rex secundo vento, per orientalem sinus Foldensis partem navigans, usus est; mox ingravescere morbus cœpit, quare, *F, G, B.* [2]) conscensa, *add. F, G, B.* [3]) qui sac. Ferantum ab Hispania comitatus fuerat, *F.* [4]) Crucis, *cet.* [5]) Postquam Prædicatores, ab eo præcedenti autumno meridiem versus in Daniam missi revertcrant, ex horum verbis intelligere sibi visus est, animum regis Danorum ad pacem cum Norvegis faciendam parum inclinare Cum itaque de pace desperaret, *add. F.* [6]) paucissimis militibus ex Halogia, eo vero pluribus, quo magis singulæ provinciæ ad meridiem vergebant, evocatis, *add. F, G, B.* [7]) quam citissime ad se venirent, et, *add. F, G.*

sua sequerentur. Rex Hakon navem quam tum Bergis faciendam curarat, Mariosudam dictam, omnes ceteras naves pulchritudine superantem, deduci in aquas jussit; quæ eum deducebatur, suppositi pulvini ignem spargebant. Sic Sturla:

Celeber princeps navis bellicæ
perticas in salsum mare deduci jussit;
attrita scutula ignem evomebat
perfrigida decurrente maris arbore.
Rex bellicose; omnes tui regni cives
jussi sunt in expeditionem proficisci.
Liberales coloni valde severa evocatione
ex imperio Norvegico exciti sunt[1].

Rex Hakon obitum filii cognoscit.

290. Rex Hakon, cum iter Bergis comparasset, orientem versus Agdas prætervectus, nuntium de obitu regis Hakonis, filii sui, accepit; in quo magnum damnum factum esse, merito æstimavit. Itaque primo Tunsbergum concessit; hic[2] viros prudentissimos[3] in consilium adhibuit, quid ad mandata, quæ [sacerdos Ferantus habebat[4], responderetur. [5]Oblatum connubium, si accedere fortuna[6] vellet, [7]honorificum videbatur;

---

[1]) Constructio: *frægr hilmir lèt a) hrinda herskips bröndum út a) á saltan ægi; eldi hrauð or dregnum hlunni [fyrir æsi b) köldum unnar meið c). Ógnar lundr! almenningr varð at sinna d) út á þinni grundu; mildir höldar höfðu harða e) sveld útboð f) af Noregs veldi.*

a) rèðut, F; rèðtu, B, ɔ: deduxisti. *b) á ægi, F, G,* quod, sive vertas *in mari,* sive jungas *ægi-kaldr*, perfrigidum, impeditam h. l. sententiam reddit. *c) meiðr, F,* vix recte. *d) ganga*, eod. sensu, *F. e) harðla*, id., *B f) herboð*, id., *F.*

[2]) advocatum archiepiscopum (omnes episcopos, *G*) et omnes, *add. F, G.* [3]) regni, *add. iid.* [4]) legatis regis Hispaniæ ad eum et virginem Kristinam habebant, *F, G.* [5]) Cumque advenisset archiepiscopus, mentioque de hac re fieri cœpisset, *add. F.* [6]) opinioni, *add. F.* [7]) nonnullis, *add. F*; omnibus prudentibus viris, *G.*

quam ob rem legatis polliceri decrevit rex, se dominam Kristinam, filiam suam, ex mandata regis in Hispaniam missurum[1], ea conditione, ut ipsa sibi aliquem ex fratribus ejus, qui ipsi comitibusque principibus ab rege datis placuisset, maritum eligeret. Deinde rex iter ejus[2] adparandum curavit, comitesque delegit, quorum principes erant, Petrus episcopus Hamarensis, Simon ex Prædicatorum ordine[3], Ivar Englii, Thorlogus Bosins, Lodin Leppus, Amundius Haraldi, multi præter hos viri excellentes[4]; hi amplius centum viginti[5] homines secum habuerunt. Multas quoque excellentes[6] matronas comites ei addidit. Ipsi virgini principi domo proficiscenti tantum præbuit auri coctique argenti[7], tantum pellium albarum cinerearumque et aliarum rerum pretiosarum, ut nullum exemplum quisquam noverit, ullam unquam antea filiam regiam, ex Norvegia profecturam, æque pretiosa pecunia fuisse instructam[8]. Rex quoque eis ingentem dromonem faciendum curavit, ad cujus alterum latus cubiculum virgini instructum est, ad alterum latus sacerdoti Feranto, qui versari [cum aliis hominibus[9] ob nauseam non posset. Hoc iter magno sumtu ac splendore apparatum est. Sic Sturla:

Strenuus (rex) principem virginem
ad terras exteras per tumidum mare misit.
Nunquam fama cognostis, iter (cujusquam)
monarchæ magnificentius apparatum esse.
Omnes agitatores equi remipedis, pelago
adsveti, ad meridiem trans mare habitantes,

[1]) ejusque potestati traditurum, *add. F.* [2]) et comitum, *add. G.* [3]) complures alii sacri ordinis, *add. F, G.* [4]) laici, *add. B.* [5]) ducentos quadraginta, *F*; *omitt. G.* [6]) ex optimo genere ortas, *G.* [7]) *add. B, F, G.* [8]) h. l. incipit Fragm. 6. [9]) sub dio, *G.*

filiam tuam haud secus exceperunt, quam si populi imperator in regnum (eorum) adveniret[1]. Adparato itinere virginis, vela in altum dederunt, et Jarnamodam in Anglia appulerunt[2].

Conditiones pacis regi Hakoni ab Danorum rege oblatæ.

291. Ad regem Hakonem Tunsbergi commorantem magnus numerus copiarum splendide ornatarum[3] confluebat[4]. [Sic Sturla:

Fortunate princeps! strenui homines,
a borealibus usque Finnorum pagis,
ad te conveniendum per undas tendebant,
navium lateribus fluctus marinos explorantibus.
Onustos dromones ex quovis navali, a
boreali plaga Albis, in latam aquam
ruere fecisti. Terram ambiens oceanus
proras coloratas arena circumfudit[5].

---

[1]) Constructio: *Erriun sendi ungan svarra út í lönd á þrútinn geima; aldri frèttuð ferð a) jöfra drottins, æðri af heimangerðum b). Allir yppi-c) þollar unnartams árablakks d), fyri sunnan lægi, tóku við dóttur þinni, sem allvaldr væri e) innanlands f).*

a) gerð, Fr. 6. b) heimanferðum, Fr. 6; ɔ: *aldri frèttuð æðri gerð af heimanferðum jöfra drottins,* nunquam cognovistis, quemquam monarcham iter domo magnificentiori apparatu instituisse. *c) uppi-,* id., *F. d)* i. e. omnes homines. *e) færi*, iter faceret (per regnum), *F. f) innan borðs*, intra navim (versaretur), *Fr.* 6.

[2]) De quorum itinere plura persequi in præsens omittemus, *add. B, F, Fr.* 6. [3]) ex Norvegia, *add. F.* [4]) idem magnum copiarum numerum ex tota Vika evocabat, *add. B, Fr.* 6.

[5]) Constructio: *Auðar lundr! dygðar menn, allt norðan or Finna bygðum, hèldu um öldur til fundar við þik; húfar treystu dúfur drafnar. Lèztu hlaðnar skeiðr svífa or hverja hrófi, fyrir norðan Elfi, á breiða vatnit. Storðar gandr a) jós sandi um steindu stálin b).*

a) ad verbum: terræ serpens; *gandr*, quod vulgo lupum, h. l. serpentem significat. *b) ab signo* [: *omitt. Fr.* 6.

Cum rex Hakon Tunsbergi versabatur, Absalon ex ordine Prædicatorum, provincialis omnium, quæ in regnis septemtrionalibus erant, monasteriorum Prædicatorum, ex Dania advenit, ab rege Danorum ad regem Hakonem missus, ne Norvegi regnum ejus infestarent, dicens, regem Danorum cum rege Norvegiæ congredi pacemque facere velle ex bonorum virorum auctoritate. Rex Hakon rem ad amicos retulit; qui existimabant, pro seriis non haberi posse, quæ Dani offerrent, qui fidem antea in colloquiis datam fefellissent. Quorum auctoritate permotus rex id responsum[1] dedit, se, uti constituisset, in Daniam navigaturum, pacateque[2] iter facturum, donec apparuisset, utrum regi Danorum secum conveniret[3]. Quibus actis[4] Absalon[5] meridiem versus in Daniam revertit. Post hæc rex Hakon profectionem Tunsbergo comparavit, Mariosudam ducens, quæ draconis forma erat, triginta interscalmiis[6], capitibus et cervicibus auro ornatis, velo pulchris picturis distincto. Multas alias ingentes naves et bene[7] ornatas rex Hakon habuit; soleque sudo cœlo splendente, capita, indices ventorum, auratique clypei, proræ puppique affixi, ardentem ignem diffundere videbantur. Sic Sturla:

Rhenanæ distributor flammæ! tuo
super dracone conspiciebatur ignis
catinorum, e splendidis veli picturis
fulgens; rubra capita surgere cœperunt.
Flammæ ex cuso auro clypeorum,

[1]) fratri Absaloni, *add.* *F*, *G*, *Fr.* 6. [2]) ac tranquille, *add.* *F*, *G*. [3]) an ista nihil nisi fraus et inania verba essent, *add.* *F*. [4]) acceptis responsis, *F*, *G*, *Fr.* 6. [5]) una cum Sigurdo Priore, qui antea eadem hieme (semper, *G*) internuntium egerat, *add.* *B*, *F*, *G*, *Fr.* 6. [6]) omnes naves in Norvegia factas (pulchritudine et, *Fr.* 6.) celeritate superans, *add.* *F*, *G*, *Fr.* 6. [7]) egregie, *F*, *Fr.* 6.

supra splendidam classem affixorum,
ardere visæ sunt. Ignis marinus plurima
scuta, perticis dromonum affixa, rubefecit[1].

Rex Hakon, ut paratus erat, universam classem Tunsbergo solvit, et orientem versus per sinum Foldensem navigavit. Bardus Groæ filius ac sui[2], in navem[3] archiepiscopi inter navigandum incurrentes, partem proræ ab utraque parte surgentis carinæ abruperunt,*) ventorum indicibus in velo[4] hærentibus[5]. Archiepiscopus navem ita vulneratam ad Ekreyas ad regem duxit, qui[6] rem sibi valde displicere, haud obscure significavit[7]. Rex Hakon[8], conventu militum[9] habito,

---

[1]) Constructio: *Svipti - lundr a) Rinar logs! digla b) eldr var sèun c) á dýrðarskriptum i segli yfir d) dreka þiuum; roðnir hausar tóku risa. Eisur þóttu brenna af slegnu gulli Ullar fars e) yfir glæstum flota; unnar fasti f) rauð flesta röud á skeiða bröndum.*

a) sviptulunds, dub., *Fr.* 6. *b)* sic *F, G*; *sigla, A.* c) *sèu*, *F; sjenn, Fr* 6. *d) á*, in, *F.* e) vide Scr. hist. vol. 1. pag. 62. not. *β*. *f)* sic *A, F, G*; *festi*, id. (*e*=*a*), *Fr.* 6; *fast i*, divisim *B*, prave.

[2]) Thorer Greipi filius, Hardagrienses, *B, F, G.* [3]) Einaris, *add. F, G.* *) ut omnia simul, pars proræ clypeique affixi, in mare deciderent, *add. B, F, G, Fr.* 6. [4]) navis Thorerianæ, *add. iid.* [5]) quo facto aveeti sunt. Archiepiscopus scapha vectos misit, qui proram et clypeos colligerent; dein proram navi præfigendam firmiterque affigendam, clypeisque extra dispositis ornandam curavit, *add. B, F, G, Fr.* 6. [6]) cum certior factus esset, navem archiepiscopi fractam esse, *add F, G.* [7]) Cum vero essent, qui dicerent, levius vulneratam esse, quam nautæ archiepiscopi contendebant, archiepiscopus, his auditis, proram refigendam curavit, undisque per litora jactandam dedit, *add. B, F, G, Fr.* 6. Satis bona, neque tamen frequens, familiaritas regem Hakonem et archiepiscopum intercedebat; cum Magno autem, principe juventutis, paucis vero aliis, episcopus conjunctissime vivebat, *add. B, F*; archiepiscopo cum plebejis infrequentior erat familiaritas, *G.* [8]) cum ad Ekreyas staret, *add. F.* [9]) consiliariorum, *F.*

docuit, quantum damni ipse omnesque Norvegi in rege juvene fecissent, ostendens, [etsi Deus omnipotens hunc sibi ademisset[1], bonam tamen superesse regis eligendi facultatem in principe juventutis Magno filio suo[2]. Hæc omnes secunda acclamatione comprobantes, magnopere sibi placere ajebant[3]. Quam ob rem decretum est, ut rex Hakon generale concilium indiceret, quo regium nomen Magno imponeret[4].

Magnus Hakonis filius rex creatus.

292. Festo Johannis Baptistæ rex Hakon comitia[5] in Ekreyis habuit, in quibus Magnus, princeps juventutis, rex creatus est. Cui Einar

[1]) *a* [: *omitt. Fr.* 6. [2]) Quem ut in locum demortui regem sumerent, diserta oratione hortatus est, *add. F, Fr.* 6. [3]) Archiepiscopus eam in rem plurima attulit. Hic rex: domine archiepiscope, inquit, cum de regno inter filius meos dividendo disputaremus, magnopere hortatus es, ut rex Hakon solus me mortuo regium nomen gereret, princeps juventutis Magnus dux esset. Nimirum tibi aliisque compluribus mirum videbatur, nolle me talem inter eos partitionem publice sancire. Mihi vero haud æquum videbatur, filios meos, pari natalium jure gaudentes, juris æquabilitate privari; quare tunc, uti semper, meam causam ad Deum rejeci, ut inter eos partiretur. Nunc autem res eo loci venit, ut, quem omnes evehere cupiistis, is decesserit, ille vero superstes sit, cui et tu et complures consiliarii mei minorem, quam jure ad eum pertinebat, honorem præstare voluistis. Cui archiepiscopus: fateor, domine, inquit, me hortatum esse, ut unus tantum rex Norvegiæ simul præesset, quem honorem nemini magis, quam Hakoni, deferendum existimavi: nam et fratrum natu major erat, et ei regium nomen dederam. Quem cum Deus humanis eripuerit, nemini magis honorem regni deferendum puto, quam Magno, principi juventutis. Hanc orationem omnes maximo rumore approbabant, *add. F, G, B.* [4]) Etsi autem plurimum ea consvetudo esset, ut rex comitiis Eyreosibus in Thrandheimo crearetur, tamen omnes consultius judicabant, dum rex Hakon ab regno abesset, rempublicam rege non carere, *add. B, F, G, Fr.* 6. [5]) universalia, *add. F, G, Fr.* 6 et 7.

archiepiscopus nomen regium dedit. Dein ipse ad lignum vitæ[1] juravit, se leges juraque subditis[2] servaturum. Inde [Knutus dynasta Magno regi homagium præstitit, dein præfecti, aulæmagistri et a mensa ministri[3], post hos duodecim[4] ex quavis provincia. [5]Postridie rex Magnus ampla munera distribuit, ab patre suo, rege Hakone, auspicatus. Archiepiscopo navem longam, amplius viginti interscalmiis instructam, rem pretiosissimam, insuperque plura munera dedit. Omnes optimates quos convivas adhibuisset, splendidis ornavit muneribus; qua re magnam sibi gratiam conciliavit. Tum rex Magnus magnum sibi numerum satellitum adjunxit, eos plerosque, qui regi Hakoni, fratri suo, nomina dederant. Ipse ad regnum custodiendum remaneret.

Navigatio regis Hakonis.

293. [Post hæc[6] rex Hakon classem ex Ekreyis solvit, rex Magnus in Vikam reversus Tunsbergi æstivavit. Rex Hakon classem trecentarum septuaginta quinque navium, splendido satis apparatu ornatam, in Daniam duxit. Sic Sturla:

Regio orte sangvine! quando classem
ad terram direxisti, fluctibus in naves
irruentibus, perinde erat ac si ingens
fulmen a boreali plaga per mare ferretur.
Satellites regii cursum navium splendidarum
sub ornatis velis dirigere ausi sunt.

---

1) Domini, *add. F, G, Fr.* 6. 2) universo populo, *F, Fr.* 6. 3) præfecti et aulici jusjurandum dixerunt, *Fr.* 6. 4) coloni, *add. B, F, G, Fr.* 6. et 7. 5) Ipso festi die rex Hakon regem Magnum omnesque episcopos convivas adhibuit, excepto archiepiscopo, qui manu debilis erat; omnes vero aderant præfecti aulæque prætores, *add. B, F.* 6) His constitutis rebus, *add. F, G, Fr.* 7.

Regni protector! inauratas navium
tabulas ad fretum Oranum labi fecisti[1].

Rex Hakon classem meridiem versus ad fretum Oranum direxit, Havniamque contendit, et[2] in gurgite Revsalii (Caudæ vulpinæ) stetit. Cujus classis adventu Dani magnopere commovebantur[3]. Sic Sturla:

Ignis cœlestis ubique exoriri
visus est ab lata classe celebris
principis, cujus bellicæ naves
Danorum in regno aquis innatabant.
Hoc in regnum nullus alius rex,
æque magnis stipatus copiis, quantum
exempla testantur, ingressus est. Rex
potens! cursum recta ad terram direxisti[4].

---

[1]) Constructio: *Hilmis kundr! er héldut húfum til jörmungrundar a), var sem örin b) elding færi norðan á lægi; öldum varp [innan borðs c). Visa ferðir d) þurðu e) vinda veglig flaust und búnu segli. Grundar vörðr! létuð gylltar sýjur geiga at Eyrarsundi f).*

a) danskrar grundar, terram Danicam, *B.* *b) erriun,* strenue, *B,* refer ad *kundr; ærriu, F; ærin, G, Fr.* 7, id. q. *örin.* c) *inn um borð,* id., *B, F, G, Fr.* 7. *d) ferðar, B, G,* vide *e.* e) h. l. accepi pro *þorðo* (*u*=o); sed assumta lectione *ferðar,* redige: *veglig flaust visa ferðar þurðu und vinda-búnu segli,* splendidæ naves regii comitatus (classis regiæ) ruebant sub velo ventis tumido. *f) Eyrasundi, G;* omitt. hanc stropham *Fr.* 6.

[2]) ibique, *F.* [3]) quod et magna et bene ornata visa est, ut nemo memoria teneret, tantam classem peregrinam in Daniam venisse, *add. B, F;* et magnopere soliciti erant, ut de pace inter reges conveniret, *add. Fr.* 7.

[4]) Constructio: *Himna eldr þótti renna upp alla leið af breiðum flota frægs hilmis, þar er herskip lágu á a) unnum í Danaveldi. Engi annarr þengill kom þar innan lands með slikan afla, svá at dæmi finnist. Ríkilátr ræsir! stýrðut b) rètt til jarðar c).*

a) af, B, minus apte hoc nexu. *b) stýrði,* direxit, *B,* subjecto præcedenti *ræsir.* *c) omitt.* hanc stropham *Fragm.* 6.

[Tum quoque[1] rex Danorum in oppidum venit, magno comitatus numero militum multisque excellentibus proceribus[2]. Cumque de pace ageretur, reges magnopere inter se dissentiebant. Norvegi regem Hakonem impense hortabantur, ut regnum Danorum regis populationibus vexaret; rex autem Danis sex noctium inducias concesserat. Sic Gizur Thorvaldi filius, qui tunc cum rege versabatur:

Excellens populi dominus præcepit, ut
omnes possessores lucidi angvium soli
inducias sex noctium servarent, et
pacem (interea) custodirent[3].

Einar[4] archiepiscopus in primis pacem reconciliare conatus est; sed quo plura inter se collocuti erant, eo plus damni utrique, et Dani et Norvegi[5], se accepisse existimabant[6]. Dani, quibus copiæ regis Norvegici ingentes viderentur, pacis admodum erant cupidi. Sic Sturla:

---

[1]) die Mercurii rex Hakon Havniam accessit, die vero Veneris proxime sequenti, *B, F, G, Fragm.* 6 et 7. [2]) ex Dania; aderat Jacobus archiepiscopus Lundensis, et tres episcopi suffraganei, aderat et Jarmar Reensis de Vindlandia, *add cet.*, *Fr.* 6 et 7.

[3]) Constructio: *snjallr allvaldr bauð öllum njótum naðrs glóstrætis a) (at) halda griðum örgrant sex nætr, ok gæta b) frið.*

a) homines, i. e. omnes sui. *b*) rara constructio verbi *gæta* cum accusativo, neque tamen sine exemplis.

[4]) uterque, *Fr.* 7. [5]) rationem (illati acceptique) ineuntes, *add. B, G.* [6]) Itaque archiepiscopus jussu regis auctor fuit, ut regum uterque suum quisque suorumque damnum æstimaret. Quo probato, obstitit, quod rex Christophorus prior æstimare voluit. Qua de re certior factus rex Hakon, judicans, id quod erat, qui posterior æstimasset, penes eum totius causæ arbitrium esse, priores ei partes concessit. Etenim constituerat rex, quo quisque loco escenderet atque populationem faceret, si de pace reconcilianda non conveniret, *add. B, G*; tumque Norvegi jactabant, se terram populatione vastaturos, *add. Fr.* 7; *ab* [: compluresque cum eo homines, pacem reconciliare studuit; verum accidit tum, id quod antea sem-

Agdensium rector late celeber!
omnibus formidolosum est visum,
terribilem flammæ Martialis
conflictum tecum gerendum habere.
Domine Sognensium! omnes Dani
pacem a te, virorum principe
consiliis promto, petierunt, tui enim
hostes salutem avide cupiverunt[1].

[Tandem eo venit res, ut rex Christophorus damna sibi suisque illata regi Norvegico condonaret, quo facto rex Hakon item Danorum regi concessit. Qua facta reconciliatione omnes lætabantur[2]. Pace facta rex Hakon apud regem Danorum potavit in tentorio ejus; postero die rex Danorum navem regis Norvegici adscendit, et cum eo potavit. Sic gratia reconciliata integram inter se amicitiam confirmarunt[3], ut alter

per Danis Norvegisque usu venire solebat, ut suum cuique damnum majus videretur, sicubi ratio, quantum quique damni accepissent, inita esset, *F*, *et Fr.* 6, quod h l abrumpitur.

¹) Constructio: *Hinn víða frægi Egða stillir a)! öllum fyrir sunnan græði b) þótti ægiligt c) at eiga Gunnar logs geigurþing við yðr. Sygna drottinn a)! allir Danir báðu þik sætta, snjallráðan fyrða gram: því at fjandmenn þinir urðu fegnir lifi sinu.*

a) i. e. rex Norvegice! *b*) a meridiana parte maris, i. e. omnibus Danis. *c*) *ægiligr*, *B*, inepte h. l.

²) Rex Christophorus, hac de re cum consiliariis suis deliberans, cum pax cum Norvegis facienda aut concilianda multum habere difficultatis videretur, amicis hortantibus prudentem rationem iniit, ut regi Norvegiæ omnia, quæ Norvegi in Danos injuste fecerant, remitteret; quo facto ipsi reges congressi sunt. Qua sententia audita, rex Hakon tam laudabile exemplum secutus, Danis omnes, quas Norvegis intulissent, injurias condonavit. Omnes præsentes eidem sententiæ adspirabant, cunctique pace lætati sunt, præter archiepiscopum Jacobum et dominum Jarmarem de Vindlandia, *B*, *F*, *G*, *Fr.* 7. ³) rege Danorum prædicante, se regi Hakoni loco gnati, regem Hakonem sibi loco patris fore, *add. cet.*

alterum, si quando usus esset, opibus suis adjuvaret. Dein rex Danorum regi Hakoni ampla munera dedit, rex vero Hakon regi Christophoro optionem tulit, utrum Mariosudam, an tres[1] alias naves, quas e classe eligeret, dono accipere vellet. Rex Danorum, donatione probata, optionem futuro tempori reservavit, quando regi Hakoni, utras habere vellet naves, nuntium misisset. Inde amicissime digressi sunt. Rex Hakon post pacem reconciliatam septemtrionem versus in Norvegiam rediit[2]. Sic Sturla:

Illustris virorum dominus potentem
Skaniensium principem aureis
muneribus donavit. Profusor auri
fortunam benignam expertus est;
id quod strenui viri compererunt.
Romorum protector mature domum
rediit incolumis, firmissimo
honore summaque auctus gloria[3].

Rex Hakon primo Tunsbergum accessit[4], ubi regem Magnum et dominam Margaretam reginam convenit. Inde ambo septemtrionem versus Bergas profecti sunt. Tum rex Hakon provinciam Rygiensem regni Magno concessit. Dein boream versus in Thrandheimum, ubi hiemare statuerant, contenderunt, regina et domina Rikiza in regia nave versantibus.

Kristinæ regis filiæ peregrinatio.

294. Jam de itineribus dominæ Kristinæ

---

[1]) sex, *B.* [2]) cujus adventu omnes lætati sunt, *add. F.*

[3]) Constructio: *Göfugr virða drottinn a) veitti ríkjum Skánunga jöfri vikelds gjafir. Gullsviptir a) hlaut giptu: hvatir skatnar fundu þat. Hilmir Rauma a) kom ár ólestr heim með öflgum tíri og mestum veg.*

a) i. e. rex Hakon.

[4]) tumque omnibus suis domum redeundi veniam concessit, *add. Fr.* 7.

ejusque comitum narrandum est. Hi ex Anglia, trajecto mari meridiano, in Normanniam navigarunt; quo cum venissent, Ivar Englii classe per oceanum occidentalem proficisci voluit, sacerdos autem Ferantus et Thorlogus Bosius, quique negotia habuerunt cum rege Franciæ peragenda, hunc primum adire voluerunt. Itaque, emtis amplius septuaginta[1] equis, præter eos quos antea habuerunt, iter in mediterranea converterunt. Thorlogus Bosius et sacerdos Ferantus regem Francogallorum convenerunt et ab eo bene accepti sunt. Qui cum cognovisset, principem virginem in eorum comitatu esse, hortatus est, ut[2] occidentali via per Gasconiam[3] iter facerent, eisque [ducem[4] cum literis suis ac sigillo[5] dedit, ut per totum suum regnum omnibus, quos usus posceret, officiis hospitalitatis uterentur; [quo[6] comitati[7] ad oppidum usque Narbonem dictum, ad mare Hierosolymitanum situm, profecti sunt[8]. Inde per Cataloniam[9] iter fecerunt. Inde magnos montes et asperas semitas pertransiverunt[10]. Virgo itineris mole-

[1]) nonaginta, *G.* [2]) ne, *F.* [3]) sed potius per regnum suum, *add. G.* [4]) *add. B, Fr.* 7; hominem, *G.* [5]) *sic F, G*; *a signo*: literas suas, *A.* [6]) viro, *add. G.* [7]) *a* [: atque sic, *F.* [8]) ut vero præfectus oppidi adventum virginis cognovit, eo die ipsam comitesque suo sumtu deducendam curavit in Cataloniam (Castellum novum, *B*), quæ in regno regis Aragoniæ (Raganiæ, *Fr.* 7) est, ubi liberaliter excepti sunt, *add. B, F, Fr.* 7. [9]) *sic G, Fr.* 7; Talanoniam, *A.* [10]) secundum mare Hierosolymitanum progressi ad oppidum Gerunam (*F, G, Fr.* 7; Gernam, *A*) dictum; cujus præfectus, cognito virginis adventu, comitatus episcopis (episcopo, *F*) et trecentis (ducentis, *G*) viris, obviam ei ex oppido amplius duo milliaria equitavit. Quæ cum ad oppidum venisset, præfectus equum, quo ea vehebatur, prehensis freni habenis, in oppidum duxit, episcopo ab altero latere procedente, summa cum honoris testificatione, donec hospitium ei prospectum esset, *add. G*; tali honore, quocunque venissent, excepti sunt, *add. F*; præfectus

stias bene tulit, eoque melius, quo longius progrediebantur. Sic per Barcellonam et Arragoniam[1] vecti sunt, omnibus quam potuerunt honorificentissime eos excipientibus. Duabus ante festum jolense noctibus virgo ad oppidum Castiliæ, Sarriam dictum pervenit, [viris potentissimis ubicunque obviam eis equitantibus[2]. Vespere festi jolensis Byrgum[3] delati, liberaliter sunt excepti, hospitabantur vero in monasterio, in quo domina Beringera[4], soror regis, versabatur[5]. Tertia feria festi jolensis, inter missam, domina Kristina ingens poculum (donarii loco) obtulit, cum aliud antea Rodemaduni[6] obtulisset; quibus rebus tantam est consecuta gloriam[7], ut nemo exemplum noverit, ullam virginem peregrinam consequi majorem honorem potuisse[8]. Feria quarta festi jolensis ex oppido[9] avecti

hujus oppidi virginem ex equo sustulit, eosque omnes per triduum suo sumtu aluit, *Fr.* 7; cum virgo Barzalonem (Bardalonem, *G*) veheretur, rex Arragoniæ, tribus comitatus episcopis immensaque multitudine, amplius tria milliaria obviam ei equitavit, et honorifice salutavit, ipseque equum, quo vehebatur, arrepta habena, in oppidum duxit, eique ac suis lautum victum per biduum præbuit, deinque per totum suum regnum præbendum curavit. Quæcunque vero adirent oppida, obviam eis virgines, equites, barones, jussu regis Arragoniæ, equitarunt, *B, F, G, Fr.* 7.

1) summo cum splendore, *add. G.* 2) ubi Ludovicus, frater regis Castiliæ, et episcopus Storgensis obviam ei equitarunt, prolixeque eos exceperunt, *add. B, F, G, Fr.* 7. 3) Burgum, *B*; Burkum, *F*; Brudam, *G.* 4) Bervigera, *B*; Beringa, *F*; Boringa, *Fr.* 7. 5) ibidemque missam celebratam audiverunt, *add. F, G.* 6) Rothemaduni, *F*; Rothefnis, *G.* 7) apud populum gratiam, *G.* 8) atque postea judicatum est, nullam ex Norvegia factam esse peregrinationem, ex quo rex Sigurdus Hierosolymipeta peregre profectus sit, hac excellentiorem (quæ pari honore, atque hæc, ab exteris principibus excepta sit) *add. B, F, G.* 9) Burkis (Burgis, *G*), jussu regis Castiliæ, qui virginem ad se octava (septima, *G*) festi jolensis feria venire optaret, *add. F, G.*

sunt, [domina vero[1] Beringera virgini septem ephippia[2] muliebria, splendide ornata, et umbraculum, quod ipsa gestaret[3], muneri dedit[4]. Eodem die rex Castiliæ[5] magno comitatus hominum numero obviam virgini equitavit, eamque, ut si filia sua esset, salutavit, equique quo vehebatur habenis prehensis in oppidum[6] prosecutus est[7]. Hic eximium ei hospitium parari, [et supra omnes homines peregrinos in omnibus rebus æstimari jussit[8]. Deinde rex fratres suos coram virgine enumeravit, et cujusque indolem ei exposuit: Fridrekum esse fratrum natu maximum, virum strenuum, artis equestris peritum, justitiæ diligentem exactorem, bonum venatorem, quam ob causam labrum habere intercisum; fratrem Henrikum ex omnibus fratribus suis equi tractandi longe peritissimum esse, neque tamen

---

1) ejusdem vero diei vespere domina, *F, G*. 2) syrmata, *F*. 3) quo — uteretur, *F*. 4) misit, *F, G*. 5) ex Valenzia, *add. F*; ex Palenzia, *G*; e Fjalesia, *Fr.* 7; unacum Palentio præfecto, *add. B*. 6) magno cum honore, *add. B, F, G, Fr.* 7. 7) decimo die festi jolensis ipse rex cum ea Vallidentum (Valdelictum, *G, Fr.* 7) equitavit, quibus regius filius obviam venit equo vectus, immenso numero equitum, baronum, archiepiscoporum, episcoporum suffraganeorum, legatorumque tam christianorum quam paganorúm comitatus, *add. B, F, G, Fr.* 7. 8) tantumque eam omnibus rebus æstimari jussit, ut nullus homo peregrinus, nec vir nec femina, eodem venerit, qui omnibus in rebus pari honore exceptus sit, *G, Fr.* 7; rex atque regina, quotiescunque eam inviserent, utrique eam ad sedem deducebant. Post hæc rex Aragoniæ literas ad regem Hispaniæ, affinem suum (et neptim suam, *add. F*; et ad reginam, filiam suam, *G*), misit, petens, ut rex virginem sibi collocaret. Rex hanc rem ad virginem et Norvegos detulit, ostendit, hujus ei connubii potestatem fore, regisque liberalitatem et magnificentiam prædicavit. Cum vero Norvegi scirent regem ætate provectum esse, hoc causantes nuptias recusarunt, neque ea res ulterius tentata est, *add. B, F, G*; is rumor ad Norvegos pervenit, ipsum regem ejus nuptias cupere, sed ea res palam non facta est, *Fr.* 7.

esse cur ejus ratio habeatur, cum contra[1] patrem insurrexerit[2]: designatum archiepiscopum Skerium[3] gnavum esse virum et ad gerendum archiepiscopatum Toletanum idoneum: Philippum autem fratrem, designatum archiepiscopum Hispalensem, haud esse ad hanc dignitatem idoneum, sed qui se accipitribus et canibus oblectaret; esse enim ursorum aprumque acerrimum concertatorem, semper lætum et hilarem, liberalem, modestum, convictorem lepidissimum, virium magnitudine insignem[4], et tamen equi tractandi peritum. Hujus staturam et pulchritudinem rex non descripsit, ipsis Norvegis adsidue conspicuam. Qui cum sentirent, hunc regi ex omnibus fratribus suis optime placere, [cumque ipsa virgo omnesque Norvegi eundem ceteris præferrent[5], hunc sibi, ex amicorum auctoritate, maritum elegit. Sic Sturla[6];

Audivi, magnum hominum numerum,
tuam ob potentiam, ex latis urbibus
obviam virgini equitasse. Multis locis
celticæ gentes igni marino donatæ sunt.
Dein eximia virgo ex tua summorumque
virorum auctoritate, ex regis fratribus
honorem appetentibus eum elegit, qui
generosæ matronæ (optime) placeret[7].

---

1) se atque, *add. B. F.* 2) bellumque eis (ei, *G*) intulerit, *add. B, F, G.* 3) Serium, *B*; Sanctium, *G*; Sancium, *F.* 4) omnibus fratribus suis præstantiorem, *F, G.* 5) eidemque carissimum esse, *Fr.* 7. 6) de peregrinatione (verba facit), *add. B*; de itinere virginis, *add. Fr.* 7.

7) Constructio: *ek frá bragna fjöld ríða or breiðum borgum i móti svarra, af þinu magni; valskar þjóðir a) glöddust viða varrar eld b). Siðan kans snildar-brúðr, af yðru ráði æztra manna, um sæmdar fúsa öðlings bræðr, þann er göfugr svanni vildi eiga.*

a) i. e. Hispani. *b*) i. e auro.

Die cinerum dominus Philippus[1] virginem sibi despondit. Ea statim ab eo petiit, ut ædem sancto regi Olavo sacram ædificandam curaret, quod ille extemplo concessit, omniaque quæ peteret statim confecta sunt. Decretum est, ut nuptiæ die dominica post hebdomadam paschalem celebrarentur. Quod tempus cum adesset, maximo quanto ea in terra licuit honore sunt celebratæ[2]. Quibus confectis rebus Norvegi discessum pararunt; Petrus episcopus, Andreas Nicolai[3] et Amundius Haraldi in Norvegiam redierunt; Ivar Englii, Thorlogus Bosius et aliquot alii iter in terram Hierosolymitanam converterunt, in quo itinere Ivar[4] mortuus est.

Congressus regum atque reginæ.

295. Vere hiemem excipiente, qua rex Hakon, pace cum rege Danorum facta in Thrandheimo se continuerat, ipse ac rex Magnus in mediterranea profecti, montem Dovricum trajecerunt; tum rex Hakon quadraginta hiemes et unam Norvegiæ imperarat. Regina, domina Margareta, cursu exteriori[5] orientem versus Tunsbergum profecta est, ibique regem convenit[6]. Rex Hakon et rex Magnus orientem versus in Albim ad conveniendum Birgerem dynastam contenderunt. Tunc Danorum rex [et in Sveciam et in Norvegiam auxilii petendi causa miserat[7], dominus enim Jarmar Selandiam effuse

[1]) beneficio Dei, auctoritate regis Castiliani, ipsiusque virginis voluntate, *add. F.* [2]) proximo vero die Jovis post celebratas nuptias Thoraldius et Bjarnius, legati regis Hakonis, in Hispaniam venerunt, et de itineribus regis narrarunt, *add. F, G, B.* [3]) et Nicolaus, *F.* [4]) uterque, *F.* [5]) nave, Südvaruba dicta, vecta Bergas petiit, ibique sumta Mariosuda, *add. B, F, G.* [6]) Einar archiepiscopus ab septemtrione non venerat, quod ab rege Hakone amicitia aliquanto langvidiori digressus fuerat, *add. B, F, G.* [7]) nuntium miserat, ut rex Hakon ac Birger dynasta auxilio venirent, *F.*

populabatur, filii vero comitis Alvi, Jon ac fratres, Jotiæ infesta arma intulerant. Quorum populationibus magnus in Dania tumultus extitit.

Congressus regum ac Birgeris dynastæ.

296. Rex Hakon ac Birger dynasta[1] congressi, de nuntio ab rege Danorum misso[2] disserebant, atque exercitum utriusque regni, Sveciæ et Norvegiæ, comparare[3], regique Christophoro auxilium adversus inimicos ejus ferre constituerunt; decretumque est, ut uterque, rex Hakon et Birger dynasta, militum quaterna millia sexcenos haberet, nisi alteruter plus habere vellet. Inter hos tunc, uti semper, optime convenit, nam amicitia eorum eo melior fuit, quo diutius manserat. Tum quoque domina Rikiza patrem in Sveciam comitata est, quem rex Hakon abeuntem omnibus rebus liberaliter instruxit. Princeps juventutis Sverrer apud regem Hakonem remansit, magnopere ab eo dilectus[4]. Tum rex Hakon Mariosudam [meridiem versus in Daniam[5] misit, quam missam, ut et promissa regis Hakonis[6], amicissime accepit. [Paulo post rex Hakon boream versus Bergas reversus, ibique multum æstatis commoratus est[7]. Vere præcedenti maxima pars oppidi Tunsbergensis, magno multorum hominum damno, exarserat. Hoc autumno frater Simon, Lodin Leppus, Amundius Haraldi, qui dominam Kristinam comitati erant,

---

1) ad Albim, *add. G.* 2) multum, multumque de rebus ad remp. pertinentibus, *add. F.* 3) comparatumque educere, *add. F.* 4) egregiumque virum spondebat, *add. B, F.* 5) regi Danorum, *F.* 6) se atque Birgerem dynastam ei auxilio venturos, quandocunque ei opus esse videretur, *add. F, G.* 7) Rex Hakon, ut paratus erat, ex Albi solvit et boream versus in Vikam profectus est, ubi paulisper Tunsbergi moratus, inde in partes septemtrionales contendit, et tempore vigiliarum Bergas venit, ubi per æstatem commoratus, multa suis instituta præscripsit, *add. F, G.*

mercatoria grandiori cursu publico ab Hispania vecti in Norvegiam reveneruut, Petrus autem episcopus pedestri itinere in Flandriam profectus, post aliquanto rediit. Andres Nicolai in Francogallia hoc anno remansit. Petrus episcopus ac comites regi Hakoni multis verbis exposuerunt, quanto studio rex Hispaniæ virginem Kristinam, filiam ejus, [1]excepisset, quamque magnifice ipsos dimisisset, pecuniam enim, qua donati ab rege fuissent, non minorem esse nongentis sexaginta selibris argenti puri, præter ea, quæ sumtus itineris desiderasset. Multum quoque prædicarunt, quam regi Hakoni amicus esset; ejus enim auxilium regi Hakoni, cum quocunque ei bellum esset, patere, nisi rex Francogalliæ aut rex Arragoniæ, affinis suus, aut rex Angliæ ex adversa parte essent. Rex Hakon vicissim pollicitus est, se regi Hispaniæ opem laturum, nisi adversus regem Daniæ, aut Sveciæ, aut Angliæ pugnandum esset. Hoc tempore rex Hispaniæ, copias adversus paganos ducturus, regem Hakonem magnopere hortatus est, ut socia secum arma jungeret, atque ita quod fecisset votum expeditionis cruciatæ persolveret. Concesserat enim papa, hoc modo voti reum perinde exsolvi, ac si ad Hierosolymos liberandos expeditionem suscepisset. Petrus episcopus hac æstate Hamarem ad cathedram suam adscendit, eximiis ab rege muneribus donatus.

De Gizure.

297. Rex Hakon æstatem Bergis transegit. Gizurem Thorvaldi, qui tum apud eum versabatur, dynastæ titulo ornatum in Islandiam misit, vicissim pollicentem, se Islandiæ pacem redditurum, facturumque, ut omnes coloni vectigalia regi penderent, uti antea postulasset: multis ver-

[1]) cum omni comitatu, *add. F, G.*

bis jactantem, se eam rem facile effecturum. Rex ei cum dynastæ titulo multa eximia munera dedit, eique comitem adjunxit Thoraldium[1] Album, aulicum suum, qui observaret, quo modo dynasta mandata regia exsequeretur[2]. Gizur, in Islandiam delatus, regis in se beneficia, uti par erat, verbis extulit[3]; addidit, si qui suis se ministeriis addicerent, sive aulici sive ministri a mensis essent, hos eundem honorem in Norvegia ab rege Hakone consecuturos. Quibus dictis multi permoti probi viri, dynastæ se addixerunt, in verba ejus jurarunt, regique Hakoni fidem suam obstrinxerunt. [Cito quidem compertum est, falsa[4] esse, [quæ de regis pollicitationibus dynasta retulisset, neque tamen eo minus tam dynastæ quam regi fides præstita est[5]. Sed de rebus dynastam inter et Islandos intercedentibus multæ narrationes exstant[6]. Præcedenti hieme, antequam dynasta in Islandiam venit, Thorvardus Thorarini filius Thorgilsem Skardium Ravnagilo[7] de medio sustulit, eam ob causam, quod rex Thorgilsem Eyafjordo omnibusque territoriis, a boreali plaga montanorum Oxnadalensium sitis, quæ suæ possessioni vindicaret, præfecerat, quorum possidendorum jus

1) Thorhallium, *cet.*, *F.* 2) multos interioris admissionis aliis navibus in Islandiam misit, exploratum, quo modo dynasta fidem datam exsolveret, *add. B, F.* 3) quod sibi majorem, quam ulli Islando honorem præstitisset, tam titulo, quo se ornasset, quam multis aliis muneribus, addens, se hunc titulum gratis adeptum esse, neque ullum vectigal eo nomine civibus impositum iri, *add. B, F*; se hunc titulum ita accepisse, ut nihil regi vicissim pollicitus fuerit, *add. G.* 4) vana, *Fr.7.* 5) *a priori signo [absunt in B.* 6) *a signo posteriori* [: atque vana; ceterum multæ feruntur narrationes de rebus G. inter et Isl. intercedentibus, *G*; ut postea commemorabitur, *add. B. Hoc loco explicit* cod. *F.* 7) *omitt. B, G.*

Thorvardus auctoritate Steinvaræ affinis suæ fidens, se habere existimavit.

De rege Hakone et Danis.

298. Rex Hakon Bergis hiemavit, quæ hiems quadragesima et secunda imperii ejus fuit. Vere proxime insequenti [nuntius ab rege Danorum venit, ut rex Hakon, itemque Birger dynasta, ei auxilio venirent, uti polliciti fuissent. Quo allato nuntio, rex Hakon[1] præfectos[2] advocavit et [copias ad expeditionem imperavit[3]; cumque paratus erat, orientem versus secundum litora navigavit. Jadarem prætervecto duo equites ab Dania obcurrerunt, rem memorabilem afferentes, obiisse regem Christophorum, reginam vero ac principes petere, ut eis nihilominus auxilio veniat. Hic ille, ut semper facere solitus est, promissa servavit, et[4] in Daniam profectus est, magnas ornatasque copias ducens; classeque Havniam appulsa, reginam ibi convenit. Birger dynasta [ea æstate in Daniam non venit, et tamen copias in expeditionem evocaverat, easque ab oriente ad Blekingam moverat[5]. Cum rex Hakon Havniam pervenit, regina et principes Danorum pacem cum Alvi filiis fecerant, quare auxilio regis Norvegici sibi non opus esse judicabant[6]. Rex Hakon reginæ eximia munera, eique vicissim regina dedit[7]. Dani regem crea-

[1]) *a signo omitt. B.* [2]) et præsides provinciarum, *add. B.* [3]) naves, quas secum habere statuerat, in mare deducendas curavit, *B*; copiasque e regno evocavit, *add. G.* [4]) amicis in consilium adhibitis, cursum perseverare decrevit, primoque Tunsbergum appulit, quo magna militum multitudo ex Vika conveniebat; itaque magnis stipatus copiis, *add. G.* [5]) non adfuit, *ceteris omissis, B.* [6]) ex verbis regis Hakonis intelligi potuit, eum existimasse, Danos haud sincera fide egisse, *add. B.* [7]) Cum rex Havniæ versaretur, mercatoriam aliquam grandiorem, quam possedit dominus Jon, frater Jacobi, archiepiscopi Lundensis, in freto Orano e regione

runt Eirikum, filium Christophori, ætate puerum[1].

Rex Hakon et rex Magnus Bergas veniunt.

299. Rex Hakon eodem autumno in Norvegiam rediit, et Bergas se contulit, ubi hiemem transegit, imperii sui quadragesimam tertiam. Ea hieme obiit Petrus episcopus Hamarensis; quo mortuo canonici, de eligendo episcopo concilia habentes, inter se non consentiebant, cumque nullum eligere possent, jus eligendi ab ipsis recessit et ad archiepiscopum transiit. Dein legatos ad eum miserunt, orantes ut decerneret, quem ex iis, quos rogassent, episcopum jubere vellet. Archiepiscopus eligendi quidem jus eis restituit, canonicum tamen aliquem, nomine Lodinem, regi Hakoni non amicum, designavit.

Pacta inter regem Hakonem et Gizurem dynastam.

300. Rex Hakon hiemem Bergis consumsit. Præcedenti æstate fama ex Islandia cognoverat, Gizurem in mandatis ad Islandos promovendis parvam curam adhibuisse. Quare principio insequentis veris Ivarem Arnljoti et Paulum Linseymam[2] in Islandiam misit, præcipiens, ut ante comitia generalia adessent. Illi, dicto audientes,

---

Malmogiæ intercepit, qua vehebantur homines, qui cum Jarmare fuerant; fratres autem archiepiscopi maxime ex Danorum principibus Jarmarem adjuverunt Hos homines rex Hakon in conventu produci, Danosque accedere et agnoscere jussit, utrum mercatores, an prædones essent. Qui cum ab incolis pro maximis prædonibus agniti essent, alii securi percussi, alii alia pœna multati sunt Rex Hakon captam mercatoriam retinuit, eaque deinceps pro corbita equaria usus est, *add. B, G, Fr.* 7; Ubi vero Jarmar cognovit, regem Hakonem in Daniam pervenisse, meridiem versus ad Vindlandiam refugit, *add. B.*

[1]) *h. l. abest unum aut plura folia in cod. G.* [2]) cum literis, in quibus erat, quantum rex tributum postularet, *add. B.*

comitia adierunt, in quibus aderat Gizur dynasta, et plerique ex primoribus populi. Hic cum literæ regis Hakonis recitatæ essent, magnam sententiarum varietatem, aliis aliter de eis judicantibus, (Ivar) expertus est. Dynasta mandata quidem regia commendavit, sed alia ratione atque in literis scriptum erat, incolæ vero quartæ meridianæ, amici dynastæ, tributo pendendo maxime oblocuti sunt. Qua re factum est, ut Ivar et collega, re infecta, eadem æstate ad regem reverterentur. [Qui deferebant[1], quartæ meridianæ incolas non ita audacter tributum recusaturos fuisse, si voluntati dynastæ contrarium fuisset.

Obitus Henrici episcopi Holensis.

301. Rex Hakon eadem æstate, qua Ivarem et collegam in Islandiam misit, una cum rege Magno orientem versus Tunsbergum profectus est. Inde orientem versus in Albim ad Birgerem dynastam conveniendum tetenderunt; cum quo etiam tum amicissime consenserunt[2]. Dynasta hujusque filii juvenes, multique cum his viri illustres, ad cœnam invitati sunt ab rege. Tum amicitiam inter se denuo firmiter confirmarunt, ut nulla re, quoad utrique viverent, dissolveretur, seque æstate[3] proxime insequenti congressuros pronuntiarunt. Quibus actis rex Hakon in Vikam reversus est. Tum cum eo versabatur Henricus episcopus Holensis, qui cum tunc diu fuerat comitatus; qui cum rex ab oriente per sinum Foldensem navigaret, in morbum incidit. Inde non multo, occidentem versus trajecto sinu, Tunsbergum accesserunt, atque paulo post Henricus episcopus mortuus est. Sepultus est in æde Olavi quæ Tunsbergi est, ipseque

[1]) multorum existimatio erat, *B.* [2]) atque tum digressi sunt, *add. Fr.* 7, *quod in hæc verba desinit.* [3]) vere, *B.*

rex in oratione, qua ad sepulchrum pro officio funebri gratias egit, multa in laudem ejus, quam multis nominibus meruerat, dicebat.

Rex Hakon et rex Magnus Bergas proficiscuntur.

302. Post hæc rex Hakon et rex Magnus [in Thrandheimum[1] profecti sunt, [eoque vigilia S. Olavi pervenerunt[2]. [3]Eodem, [jussu archiepiscopi[4], advenerat Lodin, canonicus Hamarensis, invito rege episcopus designatus; quam ob causam rex archiepiscopo sese præbuit acerbiorem. Nam cum rex amne subvectus oppidum accederet, navisque ejus in lingulam arenosam e regione Bakkii delata in vado hæsisset, archiepiscopo adremigante, suosque, ut in detrahenda navi strenue operam navarent, exhortante, auxilium ab eo accipere noluit; sed navem adplicatis destinis, ne recedente mari inclinaretur, fulciri jussit. Quæ cum accessu æstus aquis innaret, reges ad oppidum adpulerunt. Obviam his archiepiscopus solenni pompa procedebat, regemque Hakonem osculatus est[5]. Post autem paulo, cum reges archiepiscopum in concilium advocassent de electione episcopi Hamarensis, nihil ille voluit nisi Lodinem creari episcopum. Cui cum se rex præfracte opponeret, ideoque res in summam contentionem venisset, tandem eo deductum negotium est, ut rex Hakon ab archiepiscopo ad papam appellaret, quod archiepiscopi summam indignationem movit. Posthæc rex Magnus sese interposuit, et utrorumque amici, ut inter eos conveniret, intercesserunt; quo facto Lodin[6] episcopi dignitatem recusavit.

[1]) Bergas, *B.* [2]) indeque sub vigiliam S. Olavi in Thrandheimum navigare statuerunt, *B.* [3]) cumque Nidarosum venissent, *add. B.* [4]) *omitt. B.* [5]) Dominus Lodin ab latere archiepiscopi incedens, regem, haud nimis sincere, osculatus est, *add. B.* [6]) cum regem offensum animadverteret, *add. B.*

Rex Magnus effecit, ut rex Hakon et archiepiscopus (iterum) convenirent, præsentibus rege Magno, episcopo Sudurheimensi et Gilleberto, quondam [1]archidiacono, tum temporis regis Hakonis clerico (scriba), quem rex Hakon episcopum Hamarensem esse voluit. Cujus rei is exitus fuit, ut archiepiscopus Gillebertum episcopum eligeret, Lodin facto de se judicio renuntiaret. Cumque causa antea esset ad tribunal papæ rejecta, utrique consentientes Gillebertum[2] ad papam miserunt. Itaque is ad papam conveniendum profectus est.

De legatis Hakonis.

303. Post eadem æstate rex Hakon in interiorem Thrandheimum profectus, comitia Frostensia celebravit, ibique causas regias dijudicavit. Quo facto ipse ac rex Magnus profectionem in meridiana pararunt, autumnoque Bergas venerunt, ubi rex Hakon hiemavit, rex Magnus meridiem versus Stavangriam profectus, ibi se continebat. Hoc autumno[3] Ivar et Paulus ab Islandia reversi, ut negotiis sibi mandatis defuncti essent, regi renuntiarunt. Sic æstimavit rex, Gizurem mandata sua non magis procurasse, quam pollicitus fuisset. Hæc quadragesima quarta hiems fuit imperii regis Hakonis. Post eadem hieme obiit regius filius Sverrer, in quo rex magnum[4] damnum factum esse judicavit.

Legati ab regibus in Saxoniam missi.

304. Rex Hakon et rex Magnus præcedenti æstate Nicolaum fratrem in Daniam miserant, ut de nuptiis regis Magni ac virginis Ingilborgæ, regis Eiriki Sancti filiæ, ageret. Idem in Saxoniam usque ad ducem, avum maternum virginis, proficisceretur, atque cognosceret, quid

[1]) in Hjaltlandia, *add. B.* [2]) cum literis, *add. B.* [3]) hac æstate, *B.* [4]) multique alii maximum, *B.*

de hoc negotio responderet; erat enim vir summæ auctoritatis, unusque est ex octo[1] viris imperatoris electoribus; idem, quotiescunque imperator in regno transalpino (Germania) se continet, comitem dispositionum agit. Qui, cum legati ad eum hæc mandata perferrent, rem quidem non repudiabat, dixit vero, neptim suam paterno genere Danam esse, ideoque Danos ejus elocandæ potestatem habere. Dein duas filias suas, eximio cultu ornatas, in conspectum eorum duci jussit, his usus verbis: has quicunque petit, elocandarum penes me jus est. Post hæc legati in Daniam, indeque in Norvegiam reversi, regi Hakoni exitum negotii retulerunt.

De rege Hakone.

305. Post obitum domini juvenis Sverreris rex Hakon et rex Magnus in Sognum profecti, inde [monte superato[2] in Uplanda adscenderunt; [delatis in Ringisakrum[3] occurrit Einar archiepiscopus, qui eos meridiem versus in Vikam comitatus est[4]. Tum dominum Ascatinum et Nicolaum fratrem in Daniam ad reginam, comitem Ernestum tutoresque virginis miserunt, ut de exitu hujus negotii expiscarentur. Qui dum in eo itinere erant, reges[5] orientem versus in Albim ad conveniendum Birgerem dynastam profecti sunt, [et aliquantum temporis in Albi ad ancoras steterunt[6], adventum dynastæ exspectantes, sed frustra. Qua re boream versus in Vikam reversi, [ibi opperiebantur[7], donec dominus Ascatinus et sui ab Dania revenerunt[8]. Hi ea reginæ[9], nec non virginis verba renuntiarunt, ut reges

[1]) septem, *B.* [2]) *omitt. B.* [3]) *omitt. B.* [4]) Nicolaum fratrem Tunsbergi convenerunt, qui exitum negotii sibi demandati eis renuntiavit, *add. B.* [5]) et archiepiscopus, *add. B.* [6]) *omitt. B.* [7]) Tunsbergi se continebant, *B.* [8]) Nicolaus in Dania remanserat, *add. B.* [9]) comitis Ernesti, *add. B.*

splendidum comitatum obviam ei mitterent; regina vero et cognati virginis polliciti sunt, iter ejus splendide [ac lectissimo apparatu[1] instructuros.

Virgo Ingilborga arcessita.

306. Deinde reges legatos curarunt, qui virginem arcesserent; his præerant Hakon episcopus, Ogmundus Krækedansus[2], Paulus Gasa, Lodin Staurius, qui septem naves, plerasque ingentes[3], et magnas beneque ornatas copias habuerunt. In Daniam profecti, tempore a Danis præstituto nempe dimidio mense ante vigiliam S. Olavi Hosverum[4] in Jotia adpulerunt. Quo cum venissent, neminem invenerunt, neque reginæ, neque comitis nomine, qui negotium suum expediret. Itaque miserunt ad monasterium illud, in quo virgo se continebat, qui quærerent, ecquid de ejus in Norvegiam profectione ante ipsorum adventum constitutum esset. Ea respondit, nihil, quantum sciret, ea de re constitutum esse: [reginam impediri, quominus ei rei animum adjiciat[5], propter bellum, quod ei cum duce esset. Quibus rebus cognitis, Hakon episcopus cum suis ad monasterium adscenderunt, ut virginem convenirent. In cujus colloquium venientes[6] orarunt, ut suo ipsius arbitrio usa, rem suam Dei regisque Hakonis potestati ipsorumque curæ permitteret. Ea primo multa opposuit, in primis quod ipsa rebus ad tam subitam profectionem necessariis destituta esset. Illi dixerunt, se omnia

---

[1]) *omitt. B.* [2]) Borgar, filius ejus, *add. B.* [3]) episcopus navem viginti transtrorum, Ogmundus ingentem draconem, Paulus Gasa item alium, *add. B.* [4]) Rossanesum, *B*, nunc *Horsens.* [5]) post hæc pedissequum suum ad reginam misit, et quæsivit an aliquid de sua profectione vellet prospicere, cui regina respondit, se non posse rerum ejus curam gerere, *B.* [6]) *hic iterum incipit G.*

parata habere, quæ ei opus essent. Is autem fuit hujus colloquii exitus, ut Hakon episcopus virginem Ingilborgam regi Magno desponderet. Dein tempus constituerunt, quo ad arcessendam virginem adessent[1]. Hoc tempore Birger dynasta, qui in freto Orano classem Svecicam in ancoris tenuit, Norvegorum itinere cognito, ad Hakonem episcopum misit, ut adventum suum exspectarent, eos enim, si vacaret tempus, convenire statuisse. Neque vero eo minus Norvegi profectionem maturabant, cum antea cognovissent, dynastam nuptias virginis regi Valdemari, filio suo, petiisse, quam ob rem negotium ipsorum fidei demandatum ei committere non sunt ausi. Itaque, cum adesset constitutum tempus, [ad monasterium in armis egressi, quod Danis male credebant, virginem, ut se ad naves comitaretur, orarunt[2]. Ea omnia, quæ pollicita fuerat, præstitit, eorum comitatui se adjunxit, unaque cum ea duo equites et pedissequi ejus, octoque matronæ; dein ad naves descenderunt[3]. Quæ omnia tam celeriter administrata sunt, ut Dani animum non prius adverterent, quam illa se in viam dedisset[4]. Norvegi confestim ab Dania solverunt, et nusquam

[1]) si nihil antea de profectione ejus ab regina constitueretur, *add. B.* [2]) Norvegi se ad escensionem pararunt, custodibus ad naves relictis; episcopus ac centuriones Norvegorum delectique milites haud secus se armarunt, quam si in prælium ituri essent; solliciti enim erant, quid Dani inceptarent, ubi cognovissent, eos in tam frequenti terra a copiis laborare. Ubi ad monasterium venerunt, nihil magis quam antea constitutum erat; conveniunt virginem, petunt, ut fidem dictis præstet, seque ad naves comitetur, *B, G.* [3]) Prior monasterii, Norvegos magnopere veritus, parum se huic negotio immiscuit, *add. B, G.* [4]) quin et equites, qui eam comitabantur, adeo erant omnium ignari, ut nullas haberent vestes, præter quotidianas, *add. B.*

ad terram accesserunt, prius quam Tunsbergum vespere vigiliæ festi Olavi posterioris[1] adpellerent.

De legatis Scotorum regis.

307. Dum in Dania versabantur, reges boream versus Bergas se contulerunt. Tum ex occidente ab Scotia advenere legati Alexandri Scotorum regis, aliquis archidiaconus et eques, cui nomen erat Misselus. Hi speciosis dictis, potius quam bona fide, uti regi visum, negotium agebant. Iidem ita abscesserunt, ut nemo adverterit animum, prius quam abessent[2]. Tum rex ad eos retrahendos Brynjolvum Jonis filium misit, qui eos reduxit. Hos rex in Norvegia jussit hiemare, eo quod, secus quam alii legati, sine venia discedere voluissent.

De rege Hakone.

308. [Rex Hakon, de virginis in Norvegiam adventu certior factus[3], ad eam et episcopum excipiendos præparari jussit, omnes viros excellentissimos ad se arcessivit, Einarem archiepiscopum, dominum Knutum dynastam et omnes episcopos[4]; nam rex Magnus nuptias quam pri-

[1]) die 3. Augusti. [2]) velum sustulissent, *G, B.* [3]) Hakon episcopus, missis ad regem Hakonem literis omnia de itinere suo retulit, item virginem Engilborgam in Norvegiam advenisse, Dei ipsiusque fidei se committentem; ideo tam paucis comitatam, quod Danis male credentes non ausi fuissent tamdiu in Dania tempus terere, donec se virgo ex sententia et pro dignitate ad abeundum comparare posset: eandem vero possessionibus Danicis abundare. Quibus literis ad regem Hakonem Bergas perlatis, exitu negotii Hakoni episcopo commissi lætus, cum virgo in ejus comitatu esset, propria voluntate a meridie profecta, *B.* [4]) Archiepiscopus tum Bergis erat, hac æstate unacum rege Magno ipsius nave ab oriente profectus Stavangriam, ubi hac æstate una versabantur eodemque convictu et mensa utebantur, *add, B;* rex homines obviam episcopo ac regiæ filiæ misit, *add. G.*

mum celebrari voluit[1]. Hakon episcopus et virgo tribus[2] ante festum Mariæ posterius[3] noctibus Bergas delati, primo Laxavogum intrarunt[4]. Postero die reges cum primoribus obviam virgini remis vecti sunt, quam advenientem omnesque comites rex Hakon comiter salutavit. [5]Tum virgo in monasterium[6] Michaelis[7] unacum Hakone episcopo concessit[8]. Rex Hakon, domum reversus, postquam virginem conspexerat, sic locutus est: equidem hanc virginem comiter accipere cogitaveram, nunc vero contemplanti tantam mihi illa spondere videtur fortunam, ut mihi deliberatum sit, majorem usquequaque curam ejus habere, quam antea cogitaveram[9]. Post hæc rex Hakon duo[10] in ædibus regiis palatia, [in quibus convivium nuptiale celebraret[11] instruenda curavit.

Nuptiæ.

309. Proximo post festum Michaelis posterius[12] die solis virgo Ingilborga regi Magno solenniter desponsa est. Quo facto rex Magnus epulas nuptiales celebravit. Uterque rex, archi-

[1]) episcopus ac sui difficilioribus ventis retardati, circiter per tres hebdomadas in itinere detinebantur, *add. B, G.* [2]) aliquot, *G.* [3]) die 8. Septembris. [4]) Rex Hakon et rex Magnus, qui in oppido aderant, item archiepiscopus cum omnibus primoribus, extemplo ad naves descenderunt, obviam virgini remis processuri, sed vehementia tempestatis eos ab incepto retraxit, *add. B, G.* [5]) tum constitutum est, ne virgo ædes regias ingrederetur, antequam nuptiæ celebrarentur, *add. G, B.* [6]) templum, *B, G.* [7]) Mariæ, *G.* [8]) ibique circiter septem noctes mansit, *add. G, B.* [9]) rex Hakon regi Magno optionem concessit, utrum magnum illud navale, in quo convivium celebratum fuerat, quando ipse inauguratus fuit, instrui vellet, an epulas apparari mallet in ædibus, quæ in aula regia essent. Cui rex Magnus respondit, in aula regia tam eximia palatia esse, quæ tum non erant, cum priores nuptiæ celebrabantur, ut instructiora reperiri non possent, *add. B, G.* [10]) tria, *B, G.* [11]) omni genere lectissimi apparatus qualem præstare Norvegia potuit, *G.* [12]) prius, *B, prave.*

episcopus, episcopi suffraganei, Knutus dynasta, præfecti, aulicique, in palatio lapideo accumbebant; Regina domina Margareta, virgo Ingilborga omnesque sui comites[1] in palatio ligneo[2]. Numerus convivarum ad mille trecentos[3] viginti recensitus est, præter famulos. Quod convivium maximo sumtu et exquisitissimo apparatu instructum est; et perhibent, nullas epulas pari splendore instauratas in Norvegia fuisse: [4]non enim vinum magis quam alius potus defuit. Rex Hakon sententias amicorum et consiliariorum exquisivit, an rex Magnus tum statim coronaretur. Qua de re sententiæ variabant; erant qui dicebant, regem Magnum una cum corona superbiam sumturum, futuram dissidiorum materiem: Hakon vero episcopus aliique qui virginem arcessiverant, significarunt, regem Hakonem pollicitum, fore ut utrique coronarentur, itaque orarunt, ut quæ rex utrisque honoris amplificandi causa pollicitus esset, præstaret. Rex se exoratu difficilem præbuit[5]. Hic rex Magnus ipse causam suam apud patrem agere cœpit, sic dicens: eorum hominum verbis, domine, ne animum inducas credere, qui dicunt, me quemquam tibi parem æstimaturum, etsi mihi majorem, quam ullus alius Norvegiæ rex filio suo tribuit, honorem concedas; etenim nosti, me omnibus in rebus facilem tibi fuisse[6],

[1]) feminæ (virique, *add. G*) et monachi, multique alii viri excellentes, *add. B, G.* [2]) In palatio, in quo convivium jolense celebrari consvevit, accumbebat Ogmundus Krækedansus, et Erlingus Alvi f., mercatores, peregrini, oppidani (omnes monasteriorum incolæ, *G*), *add. B, G.* [3]) nongentos, *B, G.* [4]) Rex Hakoo præceperat, ut in eo palatio, in quo ipse arbiter convivii esset, quisque sibi potus genus, quod placeret, optaret, *add. B, G.* [5]) Hoc idem cum multi ex amicis eorum svaderent, tandem factum est, ut, quorsum evasura res esset, haud satis sciretur, *add. G.* [6]) neque nunc minus rex sum, quam antea, id quod et tibi et mihi honori est, *add. B.*

et spero in posterum item futurum, etsi mihi, quam pollicitus es, dignitatem concedas. Cui rex Hakon: vera narras, Magne rex, te studiosissime mihi operam dedisse; quare rem indignam fecisse me existimabo, si tibi summum honorem, quantum maximum divina permittit clementia, concedere recusavero. Convivium nuptiale per triduum duravit.

Rex Magnus inauguratus.

310. Festum crucis incidebat in diem Jovis. Tum rex Hakon apparatum[1] denuo faciendum curavit, statuerat enim, ut hoc ipso die[2] rex Magnus coronaretur[3]; qui apparatus omnibus in rebus in eandem formam est institutus, atque quando rex Hakon coronatus fuit[4]. Inter missam eques Misselus, in choro stans, rationem coronationis magnopere demiratus est: non enim

[1]) in ædibus (regiis), *add. B, G.* [2]) prouti a Deo fuerat prædestinatum, *add. B, G.* [3]) tum officium divinum in oppido primo mane celebratum, quo peracto omnis populus ad ædes regias affluebat, *add. B, G.* [4]) eadem, quæ tunc, omnium rerum dispositio fuit. Primi ibant, qui viam facerent, tum qui signa portabant, dein præsides provinciarum, post hos . . . *h. l. explicit cod. membr. G;* tum plurima aulicorum pars plena se induit armatura, ut et ædes regias circumiret et viam ad ædem Christi aperiret; primo aulici ibant, qui viam facerent, dein qui signa portabant, tum provinciarum præsides et a mensa ministri, post hos præfecti, tum 4 præfecti, ingentem abacum, cui regius cultus et ornatus inauguralis impositus erat, supra capita sublatum inter se portantes; his proximi Erlingus Alvi et Brynjolvus Jonis, duo sceptra argentea, multo auro distincta, ferentes; dein Knutus dynasta, a duobus aulæmagistris ductus, utpote graviter ægrotans. Ab ejus latere ibat Gautus Jonis filius, gladium inauguralem portans, tum reges ducti; ad portam ædium regiarum episcopi, abbates, clerici solenni pompa occurrentes, cantum incipiebant, atque ita ad altare procedebant; inde missa cantari cœpta, et inauguratio ex præscriptis sanctæ ecclesiæ peracta, *add. B.*

moris est, reges in Scotia coronari[1]; cumque rex Hakon vestibus indutus erat, rexque Hakon et archiepiscopus[2] eum gladio inaugurali circumdabant, eques Scotus: audivi, inquit, equites hac in terra non creari, ego vero nullum equitem ritu æque solenni, atque hunc, creatum vidi, quem decem[3] excellentissimi principes gladio inaugurali circumdent. Regem Magnum cultu inaugurali ornatum archiepiscopus ad sedem ejus duxit. Dein reginam inaugurarunt. Tum rex Hakon ad sellam, qua rex Magnus sedebat, accedens, adsurgere parantis humero manu imposita: nulli[4] homini corpus hodie inclinato; adest enim dies, quam ut viderem cupide optaram, qua viscera mea tali honore mactata videam, potius quam ut hanc tibi dignitatem invideam[5]. Post hæc reges accubitum iverunt, eoque die rex Magnus coronam capite gestavit. Hic splendidissimum convivium, in honorem regis Magni et reginæ, dominæ Ingilborgæ, eorumque asseclarum[6], celebratum. Sic Sturla:

Terrifice regum princeps! juvenis
nomen regium sumsisti per illustrem
inaugurationem. Tua strenuitas
in dies hominibus innotescit.

[1]) qui inauguratione tantopere affectus est, ut lacrimaretur, donec a circumstantibus admonitus est, *add. B.* [2]) aliique tres episcopi, *add. B.* [3]) quinque, *B.* [4]) ne mihi adsurgito, fili, inquit, nunc enim te quam magnificentissime geras oportet, neque cuiquam, *B.* [5]) ideo vero alios hac in re consului, quod quid alii sentirent scire vellem; qui vero, ne hoc facerem, dissvadebant, iidem et meæ et majorum tuorum causæ parum faverant, quod eis Deus ignoscat. Peracta missa, archiepiscopus ceterique episcopi regem ad cubiculum deducebant, Deo laudem concinentes; dein rex se ornatu inaugurali exuit, archiepiscopo singula officia, quæ ad inaugurationem pertinebant, administrante; post hæc plenum ornatum regium induit, *add. B.* [6]) omnium amicorum, *B.*

Atque deinde, diserte, bellicose
princeps! plenum universi populi
imperium consecutus es. Hanc
ego gloriam imperatoris prædico[1].

Strenue regis fili! sancti monarchæ
gnatam uxorem gloriose duxisti.
Te Deus abundanti fortunæ
benignitate beat.
Excellens Eirikus apud sanctum
Deum omnia efficere valet.
Carissime rex, tua fortuna
perpetuo ex sententia augetur[2].

Inter has epulas reges multa splendida munera dederunt [omnibus principibus, item Danis illis[3], qui virginem ab Dania comitati erant, quos (rex Magnus, liberaliter donatos dimisit, [re sua bene contentos, parte eorum apud reginam remanente[4].

Obitus Knuti dynastæ.

311. Knutus dynasta convivio durante admodum æger erat, ut antea scriptum est[5]; dein morbo succumbens mortuus est. Quem rex Hakon pro dignitate et natalibus honorifice extulit; sepultus est apud patrem in æde Christi.

---

[1]) Constructio: *ægr jöfra þengill! úngr tóktu á þik konungs nafn með a) frægri vigslu; jafnan kynnist mönnum þitt kapp. Og síðan hlutuð, snjallmæltr sókngæðir, framkomið vald allrar aldar; ek lýsi hèr veg vísa b).*

a) *við*, id., *B.* *b)* idem porro, *add. B.*

[2]) Constructio: *hraustr þengils son! hafit hála fengit dóttur heilags þjóðkonungs; guð reifir þik gæfu gnótt. Snjallr Eirikr má stýra öllu við hreinan guð. Alldýr konungr! yðar þroski gengr einart óskum.*

[3]) primo archiepiscopo ceterisque principibus; rex Magnus omnes suos contubernales multosque alios muneribus donavit, post convivium autem omnes Danos ad cœnam invitavit, *B.* [4]) hi domum in Daniam redierunt, matronis et famulis, qui reginæ placuissent, apud eam remanentibus, *B.* [5]) vide p. 100. var. lect. 4.

Knutus dynasta omnes æquales omnigena artium liberalium peritia superavit, erat vir doctus, et munificentissimus, statura celsa, ore venusto; nimiæ vinolentiæ, qua sibi infirmam valetudinem contraxerat[1]. Hoc autumno ex Grænlandia venerunt Oddus Sjoltensis, Paulus Magni filius et Knarar-Leivus, qui quatuor hiemes abfuerant; hi retulerunt, Grænlandos se tributo solvendo subjecisse, item ut de omnibus homicidiis, sive Norvegi sive Grænlandi[2] interfecti essent, regi satisfaciendum esset, ita ut septemtrionem versus usque ad stellam polarem multa cæsi civis penderetur. Sic Sturla:

Princeps galea decore! placet tibi
imperii tui fines per frigidam zonam
borealem usque ad stellam polarem
proferre: quo boni homines gaudebunt.
Nullus alius rex, præter te, istis
in regionibus imperium obtinuit.
Eorum locorum populi tuam gloriam
latius, quam sol radios, efferunt[3].

Ea æstate, cujus facta modo mentio est, rex Hakon Halvardum Gulskoum in Islandiam misit[4]. Qui, navi in Hvitam Borgfjordensium appulsa, dynastam quam primum conveniens, regis mandatum audacter exposuit, cui dynasta liberaliter

---

[1]) coofer Sturl hist. lib. 8. eap. 7. [2]) sive io tractu habitato sive in mansionibus borealibus, *add. B.*

[3]) Coostructio: *fjörnis álfr a! þèr líkar at auka yðart vald norðr um kalda heiminn allt und leiðarstjörnu; gegnir fyrðar munu fagna því. Engi annarr þengill, en þú, hefir haldit þar ríki. Allvaldr! þjóðir þangat reiða b) þína dýrð lengra enn röðull skíni.*

a) *fjörnir*, galea, sec. Eddam, *álfr*, genius, oumen; numen galeæ, bellator. *b*) *telja*, celebrant, *B.*

[4]) ut negotia sua apud dyoastam procuraret, quo magis hic fidem datam præstaret, *add. B.*

respondebat[1]. Halvardus Reykholtum ad manendum concessit[2]. Insequenti autumno[3] aliquot homines[4] regi Hakoni [terram et cives[5] jurejurando addixerunt. Hiemem insequentem dynasta in quarta boreali se continebat, et [cum colonis colloquium habuit, quo modo postulationibus regiorum et pollicitationibus regi ab ipso datis satisfieri posset. Hic cum appareret, quæ regi fuisset pollicitus, decretum est, ut coloni, ad exsolvendam pensionem postulatam, dynastæ ingentem pecuniæ summam pollicerentur[6], quibusdam duo centusses (argenti), aliis centussim aut duodecim uncias aut minus pollicentibus. Quo Halvardus cognito, declaravit, postulare regem, ut coloni [obsequium et tributi quantum conveniret[7], præstarent[8], nolle vero tantam pecuniæ summam colonis extorqueri. Idem regium negotium incolis quartæ occidentalis commendavit, qui se in conventu Thorsnesensi[9] adfuturos[10] confirmabant. Dynasta vero[11] colonos ad conventum Hegranesensem advocavit, ubi aliquot homines in verba regis Hakonis adegit. Cum autem Rafn Oddi filius in conventu Thorsnesensi non[12] adesset, Halvardus eo non profectus est. Itaque res ad comitia universalia rejecta est, virique maximæ auctoritatis[13] in Vestfjordis globos contraxerunt, [item in quarta meridiana, re-

[1]) seque imperata regis facturum ostendit, *add. B.* [2]) ibique hiemavit, *add. B* [3]) prima hieme, cum dynastam convenisset, *B.* [4]) qui antea adversati fuerant, *add. B.* [5]) fidem, *B.* [6]) *a* [: sententias colonorum, quid respondendum esset, perquisivit; coloni polliciti sunt, se dynastæ causa pecuniam ab rege postulatam exsoluturos. [7]) modicum tributum, *B.* [8]) juris beneficia vicissim pollicentem, *B.* [9]) proximo vere, *add. B.* [10]) regique terram et cives jurejurando adserturos, *add. B.* [11]) de hac re certior factus, *add. B.* [12]) *sic B et Sturl. hist. lib.* 10, *p.* 319; *omitt. A.* [13]) cum tempus comitiorum adpeteret, *add. B.*

gisque causam in comitiis universalibus adjuvare statuerunt[1]. Quibus rebus cognitis, dynasta negotium regium incolis quartæ borealis[2] commendavit, se proditum appellans, ni postulatis regis satis fieret. Constituto senaculo, plerique ex colonis excellentissimis quartæ borealis, nec non meridianæ citra Thjorsam, regi Hakoni terram, cives perpetuumque tributum, [uti literæ in hanc rem scriptæ testantur[3], jurejurando addixerunt[4]. Sigvardus episcopus cum Halvardo [occidentem versus in Borgarfjordum[5] equitavit ad conventum Thveraensem, ubi quartæ occidentalis incolæ eisdem sese[6] juramentis obstrinxerunt, quæ primo principes dixerunt, Rafn[7], Sigvatus Bödvaris, Sturla Thordi, Einar Thorvaldi, Vigfus Gunsteinis, ternique cum singulis horum coloni; tres quoque coloni pro Borgfjordensibus jurarunt[8].

De rego Magno.

312. [Proxima post hieme, quam rex Magnus nuptias suas celebraverat coronatusque fuerat, Bergis se continebat, item rex Hakon, ultra festum jolense[9]; quæ hiems imperii ejus quadra-

1) *ab* [: miserunt ad Steinvaræ filios et Andreæ filios, ut cum omnibus copiis ab oriente Thjorsæ in comitia equitarent: Thorvardus Thorarini filius se Ostfjordenses adducturum pollicitus fuerat. Gissur dynasta magno stipatus hominum numero comitia adiit, *B.* 2) et meridianæ, *add. B.* 3) *omitt. B.* 4) Dein dynasta ex comitiis equitavit, et meridiem versus in Laugardalum profectus, ibi copias aliquantum temporis continebat, *add. B.* 5) *omitt. B.* 6) fidei et obsequii, *add. B.* 7) Oddi filius, *add. B.* 8) tum omnes Islandi tributo regi Hakoni solvendo se obstrinxerant, præter Ostfjordenses a montanis Helkundæis et incolas qvartæ meridianæ ad Thjorsam usque, *add. B* 9) Rex Hakon Bergis hiemavit, rex vero Magnus meridiem versus Stavangriam profectus est. Quem ducens ad navem Einar archiepiscopus, ita locutus est: meus a te discessus, præterquam nunc, semper mihi acerbus fuit, nunc enim gaudeo, quod omnia officia, quæ tuæ dignitatis augendæ gratia potui. præstiti: primo regium

gesima quinta fuit. Primo vere insequenti reges orientem versus in Vikam profecti, ad Albim ad Birgerem dynastam conveniendum, secundum nuntios antea intercedentes, contendere statuerunt, ut certi aliquid constituerent de possessionibus, quas filiæ regis Eiriki in Dania habebant, quarum postulandarum jus erat penes regem Magnum et regem Valdemarem, qui Sophiam, regis Eiriki filiam[1], uxorem duxerat. Reges Bergis profecti, remanentibus regina Margareta et domina Ingilborga, quæ tum gravida erat, cum in Vikam venissent, legatos Birgeris dynastæ[2] convenerunt, qui significabant, dynastam negotiis occupatum impediri, quo minus convenire reges posset, petere vero, ut utrique legatos in Daniam mitterent, qui certiores fierent, [quid regina Margareta de possessionibus ante memoratis vellet constituere, et efficerent, ut hæ inter sorores ceterasque duas, quæ innuptæ erant, dividerentur[3].

De rege Hakone.

313. Itaque rex Hakon et rex Magnus Paulum Gasam, Andream Plytum, Thorlogum Bosium in Daniam miserunt, ut, nomine regis Magni et reginæ Ingilborgæ, dividendarum possessionum præsentes arbitri essent. Qui cum in Daniam venirent, aderat ibi Adalbrictus, dux Brunsvikensis, qui una cum regina summæ rei-

nomen tibi dedi, tum sponsalitia tua cum regina peregi, dein te ac reginam coronavi: restat unum, quod Deus mihi contingere ne faxit, ut tuo funeri adsistam. Rex Magnus episcopo pro his dictis et pro præstito officio gratias egit Rex Magnus Stavangriæ aliquantisper moratus, ante festum jolense boream versus rediit, et una cum rege Hakone festum Bergis celebravit, *B.*

[1]) sororem reginæ Engilborgæ, *add. B.* [2]) Tunsbergi, *add. B,*
[3]) quid cujusque sororum esset, Engilborgæ et Sophiæ, duarumve, quæ innuptæ erant, deindeque possessiones ex æquo dividerent, *B.*

publicæ præfuit. Apud quem Paulus et collegæ æstatem transegerunt, neque negotiis sibi mandatis ulla responsa impetrare potuerunt. [1]Rex Magnus orientem versus Borgam concessit, ut præfecturarum, quas rex Hakon dominæ Ingilborgæ [in nuptiis ejus et Magni regis[2] concesserat, curam gereret[3]. Dein uterque rex circa tempus vigiliarum Bergas reversi, æstatem ibi transegerunt. Hac æstate rex Hakon Lodinem Leppum et Hakonem Eyselem ad Sultanum Tunetanum[4] misit, multis cum accipitribus aliisque rebus in ea terra raris. Quos in Afrikam delatos Sultanus benigne accepit, [apud quem multum hiemis versabantur[5]. Sic Sturla:

Populi potens! tuam ob liberalitatem
celebraris in peregrina Saracenorum terra,
ad fines usque Blalaudiæ; tui accipitres
populis, in ea regione indigenis, placent.
Splendida monumenta rerum a te præclare
gestarum passim indesinenter feruntur.
Diserte princeps! res tuæ pretiosæ, magni
æstimatæ, universum ornant orbem terrarum[6].

Hac æstate Halvardus Gulskous, ab Islandia redux, Islandos regi Hakoni tributum, jurejurando

---

[1]) Rex Hakon Osloam profectus est, sed, *add. B.* [2]) *omitt B.* [3]) in hoc itinere rex Magnus, quod vehementius equitarat, morbum nactus, Osloam rediit, vi morbi aliquantum remittente; tum ad templum accedenti episcopus solenni pompa obviam procedebat, a quo tempore revalescere cœpit, *add. B.* [4]) regem Serklandiæ (Saracenorum), *B.* [5]) *omitt. B.*

[6]) Constructio: *allvaldr! (þú) dyrðkast af þinni mildi út með Serkjum, allt með Blálands jaðri; þjóðum a) þaðra innanlands líka þínir haukar. Veglig mæti b) hrjóta víða vægðarlaust af yðrum frægðum. Mærðar tínir! þínar hollar hnossir prýða c) allan heiminn.*

a) *þengil*, regi, *B.* b) *vel* splendida cimelia (ob res — gestas). c) *prýði*, ornent, *B.*

interposito, concessisse renuntiavit. Cum eo una advenere ex Islandia, Sigvatus Bödvaris et Sturla Rafnis filius, item abbas Brandus Jonis filius, qui ab archiepiscopo Einare accitus fuerat[1]. Eadem æstate Bergis natus est Olavus, filius regis Magni et reginæ Ingilborgæ. Insequenti autumno reges septemtrionem versus in Thrandheimum profecti sunt, et una cum eis utraque regina, Olavo juvene principe in cœnobio monialium remanente[2]. Hiemem proximam reges in Thrandheimo exegerunt. Hac hieme ante festum jolense Andreas Plyttus ab Dania rediit, renuntians, [ducem ac reginam nullas possessiones, quæ reginæ Ingilborgæ erant, cessisse, nullamque inter filias regis Eiriki partitionem patrimonii factam esse, sese tamen factos certiores[3], et quantæ et quo loco sitæ possessiones essent.

Copiæ in expeditionem imperatæ.

314. [4]Æstate proxime antecedenti literæ [regum Hebudensium[5] allatæ erant, magnopere querentium[5] de populationibus ab dynasta Rossiæ et Kiarnaco Makamalis filio aliisque Scotis in Hebudibus factis, qui in Skidiam profecti oppida et templa incenderant, magnamque multitudinem, viros feminasque, interfecerant; addiderunt, in-

[1]) ad eum se recepit. Thorlogus Bosius Bergas ad regem Hakonem reversus, se nihil efficere posse demonstrabat, Paulus autem Gasa et Andreas Plyttus remanserunt, *add. B.* [2]) Quibus in Thrandheimum delatis archiepiscopus splendida pompa obviam procedebat, *add. B.* [3]) nullam inter Engilborgam ac sorores factam partitionem esse, sese tamen certiorem factum, *B.* [4]) Rex Hakon festum jolense in Thrandheimo magno cum sumtu celebravit; apud quem abbas Brandus versabatur, amicissime habitus. Einar archiepiscopus, hac hieme morbo tentatus, raro regem visebat; bene tamen de omnibus inter eos conveniebat, rege Magno omnem curam ad gratiam conciliandam conferente, *add. B.* [5]) regis Hebudensis — querentis, *B.*

fantes ab Scotis captos, hastarum cuspidibus impositos ac tam diu concussos, donec corpora ad manus usque tenentium defluxissent, dein exanima ex hastis projecta; præterea, regem Scotorum omnes Hebudes in potestatem redigere statuisse[1]. Quibus rebus cognitis, rex Hakon magna affectus sollicitudine rem ad consilium[2] retulit. Sententiis autem quantumvis variantibus, eadem hieme post festum jolense literis per totam Norvegiam missis, copias in expeditionem imperavit, militum[3] ac cibariorum [tantum, quantum conquiri toto regno posse judicabat[4]. Quas universas copias [principio æstatis[5] Bergas ad se venire jussit.

Brandus abbas episcopus Holensis electus.

315. Archiepiscopus Einar eodem vere colloquium cum canonicis habuit de episcopo Holensi[6] Islandiæ eligendo; [inter quos convenit, ut Brandum episcopum eligerent. Eodemque die dominus Gillebertus, qui nuper a curia redierat, auctoritate regis electus est[7]. Itaque archiepiscopus Einar quarto non. Mart. utrumque episcopum inauguravit, Gillebertum Hamarensem, Brandum Holensem Islandis[8].

Rex expeditionem in Scotiam ingreditur.

316. Medio tempore jejunii rex Hakon Nidaroso profectus[9], mediterraneo itinere orientem versus in Vikam, indeque in Albim ad Birgerem

---

1) si vita suppeteret, *add. B.* 2) amicos, *B.* 3) naviumque, *add. B.* 4) *omitt. B.* 5) *omitt. B.* 6) *omitt. B.* 7) hic Brandum abbatem consensu utriusque regis elegerunt. Dominus Gillebertus, qui tum nuper Roma redierat, literas papæ protulit, quibus archiepiscopo electionem episcopi Hamarensis permisit, ita tamen, ut Gillebertum, quem optasset rex, eligeret, *B.* 8) Præsentes adfuere, Petrus episcopus Bergensis et Thorgils episcopus Stavangriensis, *add. B.* 9) in Orkadalum indeque trajecto monte, *add. B.*

dynastam conveniendum contendit[1]. Sed Ljodhusa delatus, cum dynasta discessisset, septemtrionem versus in Vikam rediit. [Rex Magnus post festum paschale meridiem versus Bergas venit, atque inde[2] se Stavangriam contulit. Rex Hakon Bergas festo Crucis venit[3], apparatumque quam celerrime maturavit[4]. Magna huc ad eum multitudo, omnes fere clientes, provinciarum præsides, magnusque evocatorum numerus confluebat.

Rex Hakon concionem militum habet.

317. Post hæc rex Hakon universalia comitia Bergis in Bakkis (ripis) habuit, quo ingens multitudo convenit. Hic consilium itineris aperuit, se mare occidentale exercitum illum in Scotiam traducturum, ut populationes ab Scotis in regno suo factas ulcisceretur. Regi Magno proponenti, ut ipse ejus loco hanc expeditionem susciperet, rex Hakon remaneret, hic multis disertis verbis gratias egit; dixit tamen, se majorem natu esse, diutiusque res terrarum occiduarum cognitas habuisse, ideoque hanc velle expeditionem suscipere. Omnem vero reipublicæ administrationem regi Magno tradidit. [His comitiis multas res ad rempublicam pertinentes ordinavit[5]; colonis remisit, ne quæ causæ, gravissimis exceptis, se absente a provinciarum præsidibus agerentur. Huic expeditioni rex Hakon navem destinavit, ingentem illam[6], quam Bergis sola quercu faciendam curarat, eximiis draconum

[1]) secundum nuntios inter eum ac Birgerem dynastam intercedentes, ut Ljodhusis hebdomade paschali convenirent, *add. B.* [2]) Paulo post rex Magnus et utraque regina ex Thrandheimo profecti sunt; prima feria paschatis in Frekeyarsundo rei divinæ operam dedit; inde, *B.* [3]) ibi per vernum tempus moratus est, *add. B.* [4]) Cum rex Magnus copiis evocandis et navibus apparandis in provincia Rygiorum operam dedisset, ad regem Hakonem se contulit, *add. B.* [5]) *omitt. B,* [6]) viginti et septem interscalmiorum, *add. B.*

capitibus deauratis ornatam, itemque cervicibus; multas præterea ingentes naves beneque ornatas habuit. Præcedenti vere rex Hakon Jonem Langlivæ filium occidentem versus [in Orcades[1] miserat[2], ut duces, qui cursum [in Hjaltlandiam[3] monstraret, arcesserent. [Jon ac sui in Hebudes profecti, regi Duggali[4] classem ab oriente adventurum nuntiarunt. Fama autem percrebuerat, Scotos proxima æstate in insulas incursionem facturos; sed Duggale rege divulgante, quadraginta naves ab Norvegia solvisse, a proposito retracti sunt.

De rege Hakone.

318. Aliquanto ante quam rex Hakon paratus esset, quatuor[5] naves occidentem versus præmisit, præfectis Rognvaldo Urka[6], [Erlingo Ivaris, Andrea Nicolai[7], Halvardo Rufo[8]. Rex Hakon, nave sua parata, ex oppido solvit, [universamque classem[9] in Eidsvogo constituit, dein ipse in oppidum reversus, aliquot ibi noctes moratus est; inde[10] in Herloverum navigavit.*) Sic habet *Melos Corvinum*:**)

Catervæ, ex Finnorum territoriis
ad prœlium excitæ, confluebant
ad excelsum principem, qui stridorem
hastarum tempestatis ciere amavit.
Strepentes undæ oceani, terram
ambientis, victrices carinas

---

1) per mare, *B.* 2) et Henricum Skot, *add. B.* 3) *omitt. B.* 4) Hi regem Duggalem convenerunt, eique, *B.* 5) octo, *B.* 6) Nicolai filio, *B.* 7) *a* [: *omitt. B.* 8) pluribusque aliis; qui ad oram maritimam excubantes ventis adversis diutius tenebantur, *add. B.* 9) maximamque classis partem, *B.* 10) ad navem degressus, *add. B.*

*) Huc universus exercitus, ex borealibus et meridianis regni partibus, convenit, ingentemque multitudinem effecit, *add. B.*
**) auctore Sturla, *add. B.*

celsarum sedium custodis, ab Albi
usque Gothorum orientalium, vexere[1].

Nemo liberalium virorum majores
uno loco congregatas conspexit
catervas ullius bellatoris, teli
impetum incitare amantis.
Severus fraudum domitor
extrema terrarum litora
navibus bellicis et clypeis
circulo ornatis circumcinxit[2].

Flamma Ægeris crepuit
in Gestilis celetibus,
sonoro adsvetis mari
super monarcha nobili.
Inexhaustum resplenduit
loricæ fulminis jubar
ex velivolis dromonibus
super eleganti bellatore[3].

---

[1]) Constructio: *sóknhvattar sveitir sóttu háleitan geira glyggs glymstæri or Finnbygðum. Gjálfr jarðbeltis brá a) sigr-flaustum hásæta gætis b) allt austan af Gautelfi.*

a) conjeci; *frá*, *A*; *bar*, *B*; nam sensus est, copias ad regem ex longinquissimis Norvegiæ partibus convenisse. *b*) i. e. regis Hakonis.

[2]) Constructio: *aungr ormvengis ótti a*) *sá fleiri vígdróttir fleins flugstæris í einum stað. Harðr lómblekkir b*) *lukti útstrandir landa hríða-herskíðum c*) *ok d*) *ranngarði e*).

a) ad verbum, terror soli serpentini, i e. vir liberalis, auro non parcens. *b*) i. e. rex Hakon; *lóm blekki*, *B*. *c*) junge *her-hríðaskíð*, bellica procellarum xylosolea v. tabula. i. e. navis bellica (*herskip*). *d*) *at*, *B*, mendose. *e*) *rángarði*, *B*, mend.; id. add.: Rex Hakon cum universa classe ad Herloverum stabat, qui exercitus et magnus erat et ornatus; rex multas habuit naves ingentes et splendide ornatas, teste poeta.

[3]) Constructio: *Ægis eldr a*) *glumdi of nafnfrægjum allvaldi á gjálfr-tömdum Gestils skeiðhestum b*). *Óþrotlig brynreiðar*

Rognvaldus ac socii in alto disjuncti sunt; ex quibus Rognvaldus cum aliquot navibus Orcades attigit, Erlingus, Andreas et Halvardus a meridie Hjaltlandiæ navigantes, occidentem versus Thareyarfjordum[1] præterlati, nullam terram prius conspexerunt, quam Sulnastapium[2] ab occidentali plaga Orcadum. Dein Scotiæ litora subeuntes, ad Dyrnesum appulerunt, ibique facta escensione castellum aliquod diruerunt, eis qui tenebant aufugientibus; tum amplius viginti villas incenderunt; inde in Hebudes vecti, Magnum[3] Monabiæ[4] regem ibi deprehenderunt.

Rex Hakon e Norvegia solvit.

319. Tribus post[5] festum Seloensium noctibus rex Hakon cum universa classe mare Solundæum ingressus est; tum Norvegiæ rex præfuerat annos sex et quadraginta; ventum nactus est satis commodum serenamque tempestatem. Classis adspectu admodum splendida erat, quod sequentia testantur:

Splendor eximii æstûs fulgoris,
redditus ab cimeliis Bellonæ,
affixa quæ navibus erant,
in sudo cœlo refulsit.
Iter cohortium munifici

sól e) skein af skautvõnum skeiðum of d) snotrum e) sigdeili f).

a) i. e. aurum, aurata navium ornamenta. *b*) i. e. navibus. *c*) i. e. aurum; *brynreið*, fulmen loricæ, gladius; hujus *sól*, aurum. *d*) sic correxerunt editores; *af*, *A*, forte idem; *um*, eod. sensu, *B*. *e*) *snotran*, *B*, in accus., eodem sensu, adsentiente usu poetico. *f*) Post aliquot noctibus, quam rex Hakon in Herloverum venerat, Rognvaldus et Erlingus cum navibus, quas habebant, vela in altum dederunt, *add. B.*

[1]) Barreyarfjordum, *B*. [2]) Sulnaskerum, *B*. [3]) *omitt. B.* [4]) Manniæ, *B*. [5]) ante, *B*.

principis per oceani gurgites
haud absimile erat
cœlestibus fulminibus[1].

Rex Hakon navis suæ propugnatores magna cura delegerat. Hi erant in interscalmio anteriore: Thorleivus abbas Holmensis, dominus Ascatinus, quatuor sacerdotes et[2] amanuenses regii[3], Andreas Thissisoensis, Andreas Havardi, Guttormus Gullii[4] et Thorstein, frater ejus, Eirikus Skota Gauti filius, et plures. Hi in interscalmio angusto: Aslakus Dagi, Steinar Herka, Clemens Humilis[5], Andreas Gumsus (irrisor), Eirikus Duggalis filius[6], Sigvatus Bödvaris, Hoskuldus Oddi, Jon Hoglivius (quieti deditus), Arnius Slinkus[7] (vacillans). In tertio interscalmio erat Sigurdus Ivaris[8] filius, [Ivar Helgii[9] Lovloensis[10], Erlendus Skolbein[11] (fuscis pedibus), Dagus Sudurheimensis[12]; Brynjolvus Jonis, Gudleikus Sneis (paxillus), et adhuc plures ex cubiculariis regiis; Andreas Plytus erat quæstor regis. Hi in prora erant: Eirikus Skiva, Thorfinuus Sigvaldii, Karius Endridii, Gudbrandus[13] Jonis, pluresque a mensa ministri; ple-

---

[1]) Constructio: *brims vegljóma* a) *ljósum* b) *laust af liðföstum valdrósar blómum* c) *á bjarthimna. Ferð flokka hringa-friðskerðis* d) *um hafstrauma var áþokkut heims eldingum.*

a) *vígljóma,* splendor bellicus, *B*, haud apte, ut puto, cum ceteris conciliatur. b) *ljós*, lumen, de splendore (auri). c) *blóm valdrósar*, flores (i. e. eimelia) deæ cæsilegæ, de scutis intelligo. d) i. e regis; *hringa friðskerðir,* qui annulis quietem non concedit, eos liberaliter distribuit.

[2]) ceterique, *B.* [3]) hi ex laicis: Aslakus Guss, aulæmagister regis, *add. B.* [4]) Gillii, *B.* [5]) Longus, *B.* [6]) pater regis Duggalis, Einar Lungbardus, Arnbjorn Svæla, *add. B.* [7]) Slyngus, *B.* [8]) Kovæ, *add. B.* [9]) Helgius Ivaris, *B.* [10]) Lovalækensis, *B.* [11]) Skosvein (pedissequus), *B.* [12]) Hebudensis, *B.* [13]) Gudmundus, *B.*

rumque quaterni in singulis semi-interscalmiis erant. Regem Hakonem Bergis proficiscentem Magnus dynasta Orcadensis comitatus est, cui navem longam eximiam dedit. Hi præfecti cum rege erant: Brynjolvus Jonis, Finnus Gauti, Erlingus Alvi, Erlendus Rufus, Bardus Hestbæensis, Eilivus Naustdalensis, Andreas Pottus, Ogmundus Krækedansus. [Hi in interscalmio ante malum erant: Rognvaldus Urka, Erlingus Ivaris, Jon Drotninga; Gautus Meliensis et Nicolaus Gizkiensis apud regem Magnum remanserunt[1]. Rex Hakon facilibus ventis usus, binoctio in alto peracto, Hjaltlandiam cum magna parte classis attigit, quo loco dicitur fretum Breidoense. Sic Sturla:

Terrarum rector tabulis, aquas
non transmittentibus, dissecuit
longi gurgitis cæruleas undas,
apicibus elatas sublimibus.
Purus portus igne soli
angvillarii, prunarum instar
rubente, a fortunatissimis proris
navium emisso, collustratus est[2].

Rex Hakon cum in freto Breidoensi pæne dimidium mensem stetisset, inde in Orcades navigavit, et aliquantum temporis in sinu Ellidæo,

[1]) ab [: Rognvaldsoam præternavigarunt; Erlingus Ivaris, Jon Drotninga, et plures adhuc gubernatores, Bergis remanserunt, nondum parati; multi alii cum rege Hakone fuere eximii gubernatores, quorum infra fiet mentio, *B.*

[2]) Constructio: *landa stýrandi leysti heldum húfum háfaldar a) bládúfur langrastar b). Hrein höfu lýstist glóðrauðum eldi álfoldar c) af auðar-hestum d) skipstöfnum.*

a) conjectura; *haf aldar, B*; *um haf aldir, A.* *b*) *lögrastar* marini gurgitis (vorticis), *B.* *c*) i. e. auro. *d*) vel: ornatissimis, ab *auðr*, divitiæ; ceterum *hestum* h. l. est id. q. *hæstum.*

qui Kirkjovogo proximus[1] est, stetit. Hic suis[2] aperuit, se copias divisurum, partemque meridiem versus in Breidafjordum missurum ad populationem eo loco faciendam. Ipse vero [in sinum Rognvaldi navigavit[3], ibique aliquantisper stetit; tum missis in Katanesum nuntiis stipendium incolis imperavit, [4]pacem vicissim pollicitus, alioquin ultima quævis denuntians; Katanesii vero conditionem stipendii subierunt[5]; id quod sequentes versus testantur:

Prudens ille custos locorum borealium,
in concedendis induciis facilis,
primo stipendia accepit ab incolis
Katanesiæ incolumitate donatis.
Omnes homines, lata regna incolentes,
terribilem armatura indutum
bellatorem, cinctum militarem
constringere svetum, pertimuerunt[6].

---

[1]) propinquus, *B.* [2]) colloquium cum consiliariis suis habuit, eisque, *B.* [3]) remanere voluit, Orcadenses cum navibus majoribus et maxima parte classis apud se retinens, coloni vero et evocati aperte negabant, se quoquam in expeditionem ituros, nisi ipso rege comitante, quam ob causam consilium hujus profectionis abjectum est. Vigilia Olavi incidit in diem solis; tum rex in tentorio suo rem divinam peragendam curavit solenniter, eodemque die militem in navi sua convivio excepit. Post vigiliam Olavi ex sinu Ellidæo solvit, et Mulium meridiem versus prætervectus, insulas Rognvaldi prænavigavit cum classe universa; tum ad eum Rognvaldus ex Orcadibus cum omnibus, quas habebat, navibus venerat. Rex Hakon classem in sinu Rognvaldi constituit, *B.* [4]) si subirent, *add. B.* [5]) quod stipendium rex suis servandum tradidit, *add. B.*

[6]) Constructio: *hinn griðmildi, fróðr gætir norðsætra a) tók fyrst gjöld af fjörleystum b) Nesþjóðum. Öll öld á c) stórvöldum d) var hrædd við ógnfullinn herklæddan herði böðgerðar.*

a) vegs sætra, B, mallem *vegsætra,* sedium honorificarum i. e. soliorum. *b) fjörlestir, B,* haud apte h. l. *c) of, B. d)* sic *B*; *stórveldum,* id. *A.*

Cum rex Hakon in sinu Rognvaldi stetit, sol densis tenebris obductus est, ita ut exiguus luminis circulus circa orbem solis conspiceretur, quod aliquantum diei tenuit[1]. Vigilia festi Laurentii rex Hakon[2] sinum Petlandicum transnavigavit, [Oreadensibus, cum parati essent, subsequi jussis. Remansit et Magnus dynasta. Rex Hakon vigilia festi Laurentii Hvarvum cum universa classe prætervectus, portum ingressus est, quo loco sinus Halsoæ dicitur.[3] Dein in Raunoas navigarunt, inde in fretum Skidiense vecti, locum Kerlingarsteinem dictum accesserunt. Huc Magnus, Monabiæ rex, affinesque Erlingus Ivaris, Andreas Nicolai et Halvardus[4] venerunt[5]. Inde rex Hakon in fretum Mylæum navigavit, inde ad Kjarbaroam subiit, quo tota classis, et rex Duggal et Hebudenses, convenerunt. Tum rex Hakon amplius centum et viginti naves, plerasque ingentes et [6]bene instructas, habuit.

Rex Hakon suos in Saliriam misit.

320. Rex Hakon, cum ad Kjarbaroam staret, classem divisit, et quinquaginta naves me-

[1]) Rex Hakon ingratos nuntios ex Hebudibus acceperat; nam Jon Langlivæ filius regem, postquam occidentem versus navigarat, in Hjaltlandia convenerat, nuntians, Jonem regem Hebudensium haud dubie fidem migrasse et ad regem Scotorum transiisse. Quod rex Hakon inexpertum credere noluit, *add. B.* [2]) ex sinu Rognvaldi in, *add. B.* [3]) *ab* [: tum cognoverat, Jonem Drotningam et Kolbeinem Aslaki, navesque quæ ab oriente venturæ exspectabantur, quæque remanserant, in insulas venisse. Rex Hakon cum universa classe in portum, Asleivæ sinum dictum, inde in Ljodhusa navigavit, *B.* [4]) et Nicolaus Tartus, *add. B.* [5]) Hi omnes socia classe cum Jone Drotninga navigantes, ab eo disjuncti in alto fuerant; ex quibus Nicolaus, a quo ab Norvegia navigarat, nusquam ad terram, priusquam Ljodhusis, adpulerat. Quo die rex Hakon ex freto Skidiensi navigavit, rex Duggal cursoria vectus ad eum venit, atque petivit, ut quantocissime subsequeretur, *add. B.* [6]) viris et armis, *add. B.*

ridiem versus ad promontorium[1] Satiriæ, ad populationem faciendam, misit, præfectis rege Duggale, Magno Monabiæ rege, Brynjolvo Jonis, Rognvaldo Urkæ[2], Andrea Potto, Ogmundo Krækedanso, Vigleiko sacerdotis filio. Præterea quinque[3] naves Botam misit, præfectis Erlendo Rufo, Andrea Nicolai, Simone Stutto (curto), Ivare Ungio (juvene)[4]. Dein rex Hakon meridiem versus navigans, prætervectus Satiriam, ad Gudoam constitit. Huc ad eum Jon rex venit, qui navem Thorgilsis episcopi adscendit. Quem cum rex hortaretur, ut se, prouti deberet, comitaretur, recusavit, dicens, se in verba regis Scotiæ jurasse, ab eoque ampliores, quam ab rege Norvegiæ, præfecturas accepisse; quare petere, ut de eis, quas sibi tradidisset, aliquid certi constitueret[5]. Ibidem aliquis ex monasterio cinereorum monachorum (Franciscanorum) ad regem Hakonem venit, pacem monasterio suo et ædi sacræ petens; quam rex datis literis suis ei concessit. Venerunt et ad regem missi a Duggale rege, qui afferebant, principes Satiriæ præfectos, Myrgadum[6] et Engum, Ilam tenere et regi Hakoni [sese in potestatem dedere velle[7]. Quibus rex respondit, si in potestatem suam venissent ante sequentis diei meridiem, se peninsulam non populaturum; sin minus, suos ad populationem faciendam missurum. Ita legati rediere. Postero mane Myrgadus et Engus ad regem Hakonem venientes, omnia sua ejus fidei commiserunt, in verba ejus jurarunt, obsides de-

[1]) isthmum, *B.* [2]) Orkæ, *B.* [3]) quindecim, *B.* [4]) Eyfarius et Guttormus Hebudensis, sua quisque nave vectus, *add. B.* [5]) Hunc rex aliquantum temporis, ad animum ejus mitigandum, apud se retinuit, multis cum graviter incusantibus, *add. B.* [6]) Margadum, *B.* [7]) terras quas tenerent dedere regique societatem offerre velle, *B*

derunt[1]. Rex Hakon peninsulæ stipendium mille ducentorum boum imposuit. Engus et Myrgadus insulam Ilam in potestatem regis tradiderunt; rex vero eidem insulæ Engum præfecit, eadem lege, qua alios Hebudenses aliis præfecturis ornaverat. Sic habet *Melos Corvinum:*

Princeps eloquio citus, Ringorum
conventus late agens, navium
splendidarum cursum, per maris
vias, inter Hebudes direxit.
Ilam, armis occupatam,
Engus in potestatem tradidit
strenui principis, splendidum
cubile serpentum consumere sveti[2].

Imperiosus bellicarum navium
moderator terrorem incussit
terris, lavatis adspergine
procellarum occidentalium.
Reguli, securitatis expertes,
capita sua casside tecta
violento prædonum terrori
in potestatem tradiderunt[3].

---

[1]) rex autem pollicitus est, si pacem servarent, ipsos in gratiam cum rege Scotorum reducturum, *add. B.*

[2]) Constructio: *inn hraðmælti Hringa viðþingaðr a) hèlt lofskeiðum leygs leiðir í Suðreyjum b). Engus gaf upp herfengna Il fyrir alkeppnum c) cyði dalreyðar ítr-bóla d).*

a) virðingu, B; ɔ: rex Norvegicus. *b) Suðreyjar, B. c)* h. l. incipit *Fragm.* 8. *d) dalreyðr,* balæna v. salmo vallis, serpens, ejus *ítrból,* splendidum aurum.

[3]) Constructio: *af stórráðum stýri gindýra a) stóð ógn of jarðir, úrðvegnar vestrgarða b). Friðlausir jöfrar [færðu c) hjálmhirða d) hausa ósvifrum e) ótta rándróttar.*

a) gindýr, animalia rictus, i. e. dracones, naves bellicæ. *b)* sic resolve: *þvegnar úri vestgarða,* i. e. terræ in oceano occidentali (Atlantico) sitæ. *c)* sic, *Fr.* 8; *færða, A. d) hjálmhirði,* galeæ custodi (bellatori), *Fr.* 8; *a* [: *meiðir hjálmhriða,* præliatores, *B. e) ósvifrir, Fr.* 8, refer. ad *jöfrar.*

In meridiana parte Satiriæ castellum est, quod ab equite aliquo tenebatur. Hic regem Hakonem conveniens, castellum in potestatem ejus tradidit, cui rex Guttormum Bakkakolvum[1] præfecit[2]. [Ibi Simon frater mortuus est, cujus funus in Satiriam superiorem deportatum et in monasterio Franciscanorum sepultum, sepulchrumque stragulis velatum; hunc sanctum appellant[3].

De populatione regis Hakonis.

321. Jam de parte exercitus, ab rege in isthmum Satiriæ ad populandum missa, narrandum. Hi eo loco escenderunt, obvia territoria incenderunt, quicquid nancisci poterant pecuniæ rapuerunt, quin aliquot homines interfecerunt; omnes vero, quibus facultas esset, aufugerunt. [4]Ubi vero in tractus frequentiores devenerunt, [allatæ sunt literæ[5] regis Hakonis, populationem vetantes. Quare[6] ad Gudoam ad regem Hakonem reversi sunt. Ad hæc respiciunt sequentes versus:

Animo asperi flammæ vulnificæ
gestores, a possessore splendidorum
cimeliorum emissi, Satiriam a
plaga meridiana circumflectebant.
Milites, in gladii tempestatem intenti,
volucres errones, nigris indumentis

[1]) pluresque cum eo, *add. Fr.* 8. [2]) missis, qui res eo loco servatas acciperent, *add. Fr.* 8. [3]) Simon frater aliquantisper æger jacuerat, cumque rex Hakon ad Gudoam (Gudoas, *Fr.* 8) staret, mortuus est; funus ejus in interiora Satiriæ deportatum, quod acceptum Franciscani in æde sua sepeliverunt, sepulchrum ejus stragulis velarunt, eumque sanctum appellarunt, *B*, *Fr.* 8. [4]) Hic difficultates et graves itinerum molestias experti sunt, *add. Fr.* 8. [5]) venerunt nuntii, *B*; occurrerunt illis missi, *Fr.* 8. [6]) Quod interdictum ægerrime ferentes, ad naves redierunt, captivam prædam secum portantes, et, *Fr.* 8.

vestitos plumeisque velleribus
velatos, in Scotia saturaverunt[1].

Rex Hakon levia navigia meridiem versus Botam[2] præmisit, quod serius ventum secundum nactus esset, missis eodem occursura. Hic acciderat, ut castellum cepissent, nam qui id tenebant[3], deditione facta, pacem sibi a Norvegis pacti erant. Erat ibidem[4] gubernator navis alicujus, nomine Rudrius[5], qui se natalium ratione jus possidendæ Botæ habere existimans, eum insulam ab Scotis obtinere non posset, gravi seditione concitata multos homines interfecit, quam ob rem ab rege Scotorum extorris factus est. Is regem Hakonem[6] conveniens unacum duobus fratribus suis, in verba ejus juravit, atque ejus ministeriis se addixit. Cum vero illi, qui castellum dediderant, ab Norvegis abscesserant, Rudrius[7] novem[8] ex iis interfecit, quod nullam eis incolumitatem pollicitus fuisset. Post hæc insula[9] in potestatem regis Hakonis pervenit. Quo sequentes versus spectant:

Celebres nesciique cedere milites
regis bellicosi latam Botam

---

[1]) Constructio: *Geðstrangir sárs logrunnar a) gætis b) vegmæta c) gengu sunnan um Satíri. Brands byrgegnir d) bragnar söddu svartklædda snóka e) dýnflóka f) á Skotlandi.*

a) resolve: *runnar sárs logs*, i. e. milites. *b*) *gietis*, *Fr.* 8, id.; *Geitis*, piratæ, *B*, et potest *Geitis vegr* esse maris appellatio, sed *c*) *meita*, *B*, ɔ: piratæ, difficultatem creat. *d*) *byregnis*, tempestatem (gladii) cientis, i. e bellicosi regis, *B*. *e*) sic *B*; *sóknar*, pugnæ, *A*. *Fr.* 8, quod procedet, si sequens *flóki* pro ave capiatur. Ego *snoki* v. *snokr*, de animali volitante aut rapaci sumsi. *f*) sic *Fr.* 8; *dýnkróka*, plumæ uncorum, i. e. ungvium, commodo sensu, *B*; *dynbroka*, *A*, forte inde deflexum; intelliguntur corvi.

[2]) præfecto Andrea Potto, *add. Fr.* 8. [3]) ab adversariis oppugnati, *add. Fr.* 8. [4]) cum Norvegis, *add. Fr.* 8. [5]) Rudius, *Fr.* 8. [6]) in Hebudibus, *add. Fr.* 8. [7]) Rudius eos insecutus, *Fr.* 8. [8]) multos, *Fr.* 8. [9]) Bota, *add. B.*

ab annulorum possessoribus
Deo invisis expugnaverunt.
Hostes imperatoris ceciderunt
in Hebudibus. Corvus, cæsorum
corporibus insistens, fissile
volucrium telum motitavit[1].

Norvegi, qui in Bota fuerant, in interiora Scotiæ penetrantes, oppidum aliquod multaque prædia inflammarunt. Rudrius multa per loca[2] grassatus, quæ potuit maleficia patravit. Quo spectant sequentia:

Territoria infidorum colonorum
combusta arserunt. Domuum
pernicies, in maritimis
locis grassans, fervida erat.
Telorum conjectores, fato præpediti,
ceciderunt in meridiana regione,
oppugnati a classiariis
e navibus egressis[3].

Rex Hakon in Hebudibus populatur.

322. Cum rex Hakon in Hebudibus esset, nuntii ad eum ex Hibernia venerunt, dicentes,

[1]) Constructio: *fræg ok úvægin ferð a) friðskerðis vann breiða Bót af guðleiðum baugnjótum. Fjandr stillis féllu í Suðreyjum: hrafn hræfðist b) [kleyfðan hjör c) fleygs d) af e) valtafni.*

a) *B, Fr.* 8; *ferðir, A.* b) *hræyfðist*, id., *Fr.* 8; *hreifðo, B.* c) sic ego; omnes una voce exhibent: *hjörkleyfðan*, *A*; *hjorklyfðan, B*; *hjörklufðan, Fr.* 8, eod. sensu. d) *fleygr*, volucris, *Fr.* 8., refer. ad *hrafn.* e) *á*, id., *B.*

[2]) cædibus et rapinis, *add. Fr.* 8.

[3]) Constructio: *bygðir údygðar búmanna brunnu: hallar lífgalli a) hafsætra b) var c) heitr. Feigir fleinþollar féllu suðr, sóttir d) svanteigar herdróttum e) af f) sæskíðum.*

a) i.e. ignis; sic *Fr.* 8: *lífgalla, A.* b) *Fr.* 8., vel *hásætra*; *í hafsætrum*, eod. sensu, *A*; *í hjálmsetrum*, in horreis, *B.* c) *add. Fr.* 8; omitt. *A, B.* d) *sóttu, Fr.* 8. e) *her drótta, B*; *lið dróttum, Fr.* 8. f) sic *B, Fr.* 8; *á, A.*

Hibernos sese in ejus potestatem tradituros pollicere, si ipsos [difficultatibus, quibus ab Anglis, optima tenentibus oppida maritima, subacti impedirentur[1], liberasset. Tum rex Sigurdum Hebudensem cum levibus navigiis in Hiberniam misit, [exploratum[2], quibus conditionibus Hiberni auxilium suum mereri vellent[3]. Post hæc rex Hakon[4] meridiem versus navigans, promontorium Satiriæ cum universa classe[5] prætervectus, ad [fretum Heroæ[6] appulit. Eo tempore legati ab rege Scotorum missi, fratres prædicatores aut nudipedes, frequenter ad regem Hakonem venerunt, de pace inter reges concilianda intercedentes. Tunc rex Hakon regem Jonem dimissum tuto quo vellet abire jussit, eumque multis eximiis muneribus donavit[7]. [Paulo post[8] rex Hakon legatos ad regem Scotorum misit[9], [quos ad speciem liberaliter excepit, seque ad pacem inclinare simulavit[10]; [itaque legati redierunt[11]. Rex Hakon omnes insulas ab occidentali Scotiæ latere sitas, quas suæ possessioni vindicaret, in tabulas referendas curaverat; Scotorum vero rex, quas abalienare nollet, nimirum Botam, Hersoam, Kumroas[12], designaverat. Ceteris

[1]) servitute Anglorum, *B.* [2]) sciscitatum, *B.* [3]) *ab* [*omitt. Fr.* 8. [4]) ex Gudoa, *add. Fr.* 8. [5]) quam tum apud se habebat, *add. Fr.* 8. [6]) Heroas, *B.*, [7]) ille vero se omnem operam daturum, ut pax cum rege Scotorum confieret, regemque Hakonem, si nuntium misisset, conventurum pollicitus est, *add. B.* [8]) His de pace intercessionibus, ab legatis Scotorum regis factis, permotus, *Fr.* 8. [9]) de pace, præfectis legationis duobus episcopis, Gilleberto Hamarensi et Henriko Orcadensi, Andrea Nicolai, Andrea Plyto, Paulo Suro, *add. B, Fr.* 8; qui regem Scotorum in emporio Noare convenientes de pace agere cœperunt, *add. Fr.* 8. [10]) *a* [*omitt. Fr.* 8; seque legatos de pacis conditionibus, quæ sibi placerent, ad regem Hakonem missurum significavit, *add. B.* [11]) *omitt. Fr.* 8; Scoti autem paulo post advenerunt, *add. B.* [12]) Kinuroas, *Fr.* 8.

autem de rebus etsi tantum non inter reges conveniebat, tamen de pace non potuit convenire. Scoti, [quod æstas ad finem vergere asperiorque incidere tempestas cœpit[1], reconciliationem trahebant[2]. Inde rex Hakon cum universa classe Kumroas[3] subiit[4]. Hic plerique hortati sunt, ut induciæ renuntiarentur, [et populationes fierent, nam milites inopia cibariorum laborare cœperant[5].

De populationibus regis Hakonis in Scotia.

323. Rex Hakon [nuntium regi Scotorum misit[6], ut cum universis copiis convenirent, [et iterum de pace agerent[7]; alioquin bellare perseverarent[8]. Rex Scotorum a bello adversus regem Hakonem gerendo se[9] alienum ostendit[10]. Sic habet *Melos Corvinum:*

Princeps Norvegiæ pugnandi peritus,
victoriam viris strenue concilians,
sæpius hastarum manubriis
negotium facessere solitus fuit.
Trepidi homines, regiones maritimas
exteriores incolentes, cum fortissimo

[1]) a [*omitt. B.* [2]) itaque ad regem suum redierunt, *add. B.* [3]) Kinnroas, *Fr.* 8. [4]) Tum iterum internuntii de pace intercedere cœperunt, Scotis ad pacem se inclinare ostendentibus, *add. Fr.* 8; tum denuo conventus de pace, in interiori Scotia habendus, indictus est; quo rex Hakon episcopos et præfectos misit, cum quibus equites aliquot et monachi congressi, multa quidem de pace loquebantur, eodem tamen ut antea exitu; et procedente die cum Scoti magno numero ex mediterraneis adfluere cœpissent, Norvegi, insidias veriti, ad naves descenderunt, regemque convenientes colloquium renuntiarunt, *add. B, Fr.* 8. [5]) ab [*omitt. B.* [6]) aulicum suum, Kolbeinem, cognomine Potentem, ad regem Scotorum misit; is tabulas pacis, regi Hakoni ab rege Scotorum missas, attulit, et quas rex Hakon regi Scotorum miserat, referret; idem proponeret, *B, Fr.* 8. [7]) si de pace, Deo adjuvante, conveniret, bene esse, *add. B.* [8]) cum omnibus copiis, Deo, uter vinceret, decernente, *add. B.* [9]) haud, *add. B.* [10]) nullis autem datis certis responsis, Kolbein ad regem rediit, exitu negotii male audiens, *add. B.*

principe, munificentia excellente,
prælium committere non ausi sunt[1].

[2]Itaque induciis penitus renuntiatis, rex Hakon[3] quadraginta[4] naves in[5] Skipafjordum misit, præfectis Magno Monabiæ rege, et Duggale rege, hujus fratre Aleine, Engo et Myrgado[6]. Qui cum sinum intrassent, sumtas scaphas suas in lacum aliquem magnum, [dictum Sokolofnium[7], pertraxerunt. Circa hunc lacum regnum unius dynastæ, Lofnatlmm[8] dictum, situm fuit; in eodem lacu magnus insularum [frequenter habitatarum[9] numerus. Has insulas Norvegi [igne[10] vastarunt, totumque tractum habitatum circa lacum incenderunt, et[11] effusisime populati sunt[12]. Sic Sturla:

Fugam detestantes liberales milites
regis, stridentes hastas contorquentis,
lata per spatia litorum
scaphas navium pertraxerunt.

---

[1]) Constructio: *enn böðfróði a) sigrmagnaðr bragna austan bauð optarr spjótskoptum orrostu b). Úfegnir þegnar útverja þorðut berjast við þrekstærðan c) bjórs blikrýri.*

a) bókfróði, librorum peritus, literarum sciens, *B.* *b)* i. e. bella gerebat. *c) þrekstirðan*, *B*, sensu haud multum abludente.

[2]) Hi inter se de pace colloquerentur, præsentibus optimis viris; quod si incassum foret, proposuit rex Hakon, ut cum universis copiis confligerent, isque, cui Deo placeret, victoria potiretur. Quas conditiones cum Kolbein regi proponeret, ille quidem dimicare cum rege Hakone non detrectavit, verum tamen Kolbein sic rediit, ut nulla de hoc negotio certa responsa referret. Hic Kolbein tabulas (literas) regis Hakonis recepit, Scotorum regis reddidit. Regem Hakonem conveniens, exitum negotii exposuit, *add. B, Fr.* 8. [3]) divisis copiis, *add. B, Fr.* 8. [4]) sexaginta, *B, Fr.* 8. [5]) sinum dictum, *add. Fr.* 8. [6]) qui Hebudensibus præerant, Norvegis autem præfuere Vigleikus præpositi filius et Ivar Holmus, *add. B, Fr.* 8. [7]) Lokulofrium, *B; ab* [*omitt. Fr.* 8. [8]) Lofnardum, *B.* [9]) *omitt. B.* [10]) ferroque, *add. Fr.* 8. [11]) *h. l. explicit Fr.* 8. [12]) *ab* [: scaphis suis secum tractis, vastarunt, *B.*

Iidem, viarum difficultates
non timentes, tempestatibus
hastarum insulas, in lacu
late habitato sitas, vastarunt[1].

Alein, frater regis Duggalis, per transversam Scotiam transgressus, magnum interfecit hominum numerum; multas boum centurias rapuit, effuseque populationem fecit. Quo sequentes versus respiciunt:

Animo asperi milites gradu
accelerato passim invaserunt
latos tractus habitatos
mœsti luporum altoris.
Alein, animosus ille in acie
pugnator, vitæ consumtorem
haud frigidum conciliavit
hominibus in bello exitioso[2].

Dein Norvegi ad naves suas reversi sunt. [Eo loco[3] vehementem tempestatem nacti, circiter decem navium jacturam fecerunt. Tum Ivar Holmus subito morbo correptus, mortem obiit.

De naufragio in Hebudibus facto[4].

324. [Rex Hakon in Hebudibus, ut antea scriptum est, in ancoris stabat[5]. Festum Michaelis in diem Saturni incidebat, nocte autem proximum diem lunæ antecedente, vehementi [atque

---

1) Constructio: *flugskjarrir baugnjótar darra dynsveigis drógu báta breiðar strandleiðir. Herskatnar, úhræddir vegs, eyddu geirþeyjum eyjar í víðbygðu a) vatni.*

a) correctio editorum; *víðbygðum, A.*

2) Constructio: *geðstirðir virðar herðu víða herferðir í stórbygðir hryggs vargfæðis. Hinn fólkrakki Aleinn fèkk öldum úkaldan a) felli b) lífdvalar c) (í) gunnspelli.*

a) *úsjaldan*, haud raro, *B.* *b*) *fellu, B.* *c*) i. e. homines incendio necavit.

3) in Skipafjordo, *B.* 4) *add. Fragm.* 9, *quod hic incipit.* 5) *omitt. B.*

furiosa tempestate coorta, una corbita et navis longa[1] in Scotiam dejecta est. [Die lunæ ventus tantopere sæviit, ut alii malos succiderent, alii e statione deferrentur. [Navis quoque regia introrsum in fretum delata est, quæ etsi septem ancoris, præter sacram octavam, nitebatur[2], nihilo tamen secius dejecta e statione est[3]. Paulo post ancoræ substiterunt. Quæ tempestas tam fuit vehemens, ut magica vi effecta vulgo diceretur; magnamque eo loco cœlo marisque injuriam nautæ exantlabant. Huc sequentes versus spectant:

Sciendi avidus diribitor
Ingiarum divitiarum
graves incantationes est
expertus barbarorum.
Nam fatiscentes pelagi undæ
naves annulorum consumtoris,

---

[1]) tempestate cum vento et procellis (noctu ante lucem, *add. Fr.* 9.) coorta, illi, qui custodiam agebant ancoralium in nave regia, exclamantes, corbitam aliquam a prora in oras deferri significabant. Homines subito exsurgere, tentoria navalia raptim evellere, vestes induere. Interea rudentes corbitæ capiti navis regiæ inhærentes, nares avellebant. Quo facto corbita secundum latus navis delata puppim versus, ancora ancorali navis regiæ inhærente, effecit, ut ancoræ (navis regiæ) laxari inciperent Hic rex præcidi ancorale corbitæ jussit, quo facto in insulam delata est, regii vero in tuto consistentes, ad lucem sine tentoriis agebant. Postero mane corbita, accessu maris levata, *B*, *Fr.* 9. [2]) *a priore* [: increbescente vento, cum quicquid præsto esset funium ancoralium adhibitum esset, quinta ancora e navi regia demissa est; rex vero, conscensa scapha, ad insulam transvectus, missam sibi cani fecit; navibus autem introrsum in fretum deferri incipientibus, ad sacram ancoram confugitum est, navis, *B.* [3]) quinque circiter naves in terram sunt ejectæ; tum regia navis, quæ septem ancoris tenebatur, præter octavam corbitæ (ancorali adnexam, *add. Fr.* 9), dentibus in fundo hærentibus, consistere cœpit, *add. B, Fr.* 9.

pulchris velis ornatas, ab oris
litori adhærentibus avulserunt[1].

Procellosa tempestas, magna
vi magica effecta, afflavit
viros pugnandi cupidos in
navibus multitudine plenis.
Resonans mare, telluri
nocivum, strenuos milites
unacum clypeis bellicis
in Scotiæ litora ejiciebat[2].

De Scotis et rege Hakone.

325. Scoti, cum viderent naves in terram deferri, congregati descenderunt, impetuque in Norvegos[3] facto, tela in eos conjecerunt; illi vero se[4] defendebant, [corbita pro munimento usi, Scotis interdum oppugnantibus, semper vero refugientibus; unde factum, ut eo loco pauci caderent, complures vulnerarentur[5]. Tandem rex Hakon, [desæviente nonnihil tempestate[6], aliquot scaphis auxilia submisit. Quo sequentia spectant:

1) Constructio: *margfrèttinn framstiklir a) Inga auðar b) mætti miklum c) gerningum óþjóða. Lábrostinn lögr leysti [hin skautfögru d) flaust bauglestis e) or frónlæstum f) festum g).*

a) sic Fr.9, una voce; fram stiklir, divisim, *A*; *framstikla, B.* *b) sic Fr.9; æði, B; óðrar, A*, quod procederet, si in seqq legatur *óþjóðar*; *Ingi* pro nano accipio, et divitias Ingianas de auro et rebus pretiosis intelligo. *c) miklu, B.* *d) Fr.9; en skaut fögru, A; — fögrum, B.* *e) B, Fr.9; baugestis (e=æ), A; farnestum*, fibulis navalibus, i. e. ancoris, *B.* *g) Fr.9; flestum*, plurimis, *A, B.*

2) Constructio: *fjölmagnat a) hríðar hregg blès of böðfúsa b) bragna á herbygðum c) brimskíðum. Gjálfr-undit grundar grand d) rak allkepnu öld með herskjöldu upp at Skotlandi.*

a) B; fjöld magnat, A. *b) böðfúsum, Fr 9*, in quo reliqua hujus strophæ abrupta sunt *c) herdyggva, B.* *d)* verti quoque potest: sonorus ventus, terræ noxius.

3) Ostmannos, *B.* 4) strenue, *add. B.* 5) *a* [: *omitt. B.* 6) ad opem ferendam iis, qui in terra erant, *B.*

Tandem gladialis fulgoris
consumtor, victoria clarus,
animo acrem cohortem
ad prœlium submisit.
Hæc cohors, quæ gloriam
regiarum laudum æstimavit,
globum hostium arcipotentium,
audacia ferocium, interfecit[1].

[Ut primum regii in terram erant expositi, Scoti aufugerunt. Postero mane[2] rex Hakon in terram[3] magna multitudine egressus, corbitam exonerandam et ad naves reducendam curavit.

Prœlium in Scotia.

326. Paulo post exercitus Scotorum conspectus est, qui cum ingens esset, ipse Scotorum rex adesse vulgo credebatur. Ogmundus Krækedansus, in tumulo quodam cum globo militum constitutus, a primo agmine Scotorum oppugnatus

[1]) Constructio: *hinn sigrmæti sverða blikskerðir a) sendi snarlynda sveit sið til brynhriðar. Sá drengja herr b) er dæmði lof þengils c) sæmða b), [drap hina d) dulgreypu e) dalgauta f) drótt g).*

a) sverða blik, fulgor ensium, h. l., ut alibi, de auro intelligo. *b)* conjeci; *hersæmða, A*; — *sæmði, B.* *c) A* una voce *lofþengils*, gloriosi regis. *d) drápi, B.* *e)* correctio edd.; *dulmiklu, A*, contra metrum; *dulgreipa, B.* *f)* derivo a *dalr*, arcus, poet., et *gautar*, Gothi. *g)* constructio sec. *B.* talis est: *sá her, er dæmði dulgreipa drótt dalgauta drápi, sæmdi lof drengja þengils*, ubi *at dæma drápi*, neci damnare, est interficere.

[2]) Norvegis in terra pernoctantibus, Scoti corbita noctu conscensa, quantum potuerunt pecuniæ abstulerunt, *B*; Norvegi, cum vespere et noctu ad lucem in terra pernoctassent, corbitam conscenderunt. Statim illucescente die regii in navi prætoria vestes armaque induti, cum aliis classiariis ad terram remigarunt. Interim Scoti stlatam conscenderant, et quantum portare rerum potuissent, abstulerant. Paulo post, *Fr.* 9. [3]) cum aliquot præfectis et, *add. Fr.* 9.

est. Norvegi cum regem Hakonem, quem exponi periculo nollent, hortarentur, ut ad naves se reciperet, ille se ducem in terra obtulit, eis vero negantibus, scapha vectus ad insulam se ad classem recepit. Hi præfecti in terra erant: dominus Andreas Nicolai, Ogmundus Krækedansus, Erlingus Alvi, Andreas Pottus, Erlendus Rufus, Rognvaldus Urka, Thorlogus Bosius, Paulus Surus[1]. Omnino in terra octo aut novem centuriæ erant, quarum duæ in tumulo apud Ogmundum consistebant, cetera manus infra in glarea (loco glareoso) stabat. Mox exercitus Scotorum adpropinquavit, ad quinque centurias equitum, vecti equis loricatis, multosque habentes mulos Hispanicos, omnes eximios; magnum habuerunt peditum numerum bene armatorum, plurimum arcubus et securibus utebantur. Norvegi, qui in tumulo erant, veriti, ne ab Scotis circumvenirentur, passim ad litus recedere cœperunt. Interea Andreas Nicolai adscenso colle Ogmundum ac suos hortatus est, ut ad litus descendere conarentur, nev more fugientium vagantes palarentur. Scotis interim acriter oppugnantibus et saxa ingerentibus, Norvegi telis oppressi, scutis prætentis, gradum referebant. Ut vero in locum glareosum venerunt, cum citius quam vellent gradum celerarent, ii qui in litore erant, illos fugere rati, alii quidem ad scaphas decurrerunt et a terra solverunt; Andreas vero Pottus super duas scaphas transiliit in tertiam, atque ita effugit Multæ ex scaphis sidebant, aliquot homines interiere. [Quidam Norvegorum gradum secundum mare referebant[2]; ex his cecidit Hakon Steinensis[3], [unus ex aulicis regis

[1]) Andreas Plyttus, *add. B.* [2]) *omitt. B*; multi Norvegorum ad corbitam confugiebant, *Fr.* 9. [3]) et alii duo, *add. B.*

Hakonis[1]. Mox Norvegi meridiem versus a corbita recesserunt, præfectis [Andrea Nicolai[2], Ogmundo Krækedanso, Thorlogo Bosio, [Paulo Surio[3]. Hic vehemens prœlium commissum, iniquo tamen certamine, decem Scotis singulos Norvegorum circumsistentibus. [Juvenis quidam eques Scotus, nomine Ferus, vir genere et auctoritate pollens, galeam capite gerens totam deauratam, et pretiosis lapillis distinctam, cetera armatura pari splendore instructus, majore quam ceteri audacia incursionem in Norvegos faciens, acie eorum perrupta, ad suos se recepit. Tum Andreas Nicolai in aciem Scotorum invectus, eximio illi equiti obcurrit, femur ejus gladio percussit tanta vi, ut lorica dissecaretur, ferrumque in ephippium descenderet. Prostratum Norvegi eximio balteo spoliarunt. Tum acerrimum fuit prœlium, hominibus utrinque, pluribus tamen Scotorum, cadentibus[4]. Sic Sturla:

Circumspecti, animo fortes
æstimatores annuli prostraverunt
virum honore conspicuum
in conflictu loricarum.
Funesti vultures corpore
viri munifici, in prima
acie prostrati, se satiabant;
quis ulciscetur liberalem heroa[5].

[Eilivus Naustdalensis scapha ad prœlii locum

---

1) *omitt. B.* 2) duobus Andreis, *B.* 3) *omitt. B.* 4) *a* [: eo loco aliquis ex equitibus Scotis, nomine Perus, et complures alii ceciderunt, *B.*

5) Constructio: *varir a), hugprúðir hrings virðar hlóðu vegstórum b) baugnirði c) at brynþingi. Valgammar fyldust auðstefni, fjörseldum d) frammi. Hverr mun hefna hringþverris?*

a) vorir, nostri, *B.* *b) sic B; vegstórir, A.* *c) B; baugnirðir, A.* *d) B; fjölseldum, A.*

advectus, magna fortitudine se gessit[1]. Auxiliis vero ad Norvegos confluentibus, Scoti in collem recesserunt, indeque adversarios aliquantisper telis ac saxorum conjectu lacessiverunt. Vergente autem die Norvegi, audacter in collem succedentes, impetum in Scotos fecerunt. Quo sequentes versus[2] respiciunt:

Duces imperatoris Mœrensium
borealium, a militibus lecti,
sonitu martiali adversarios,
pertinacia fidentes, salutabant.
Fortes illi prœlio aulici
regis, celsas sedes occupantis,
ferro caput velati prœlio
gladiis ingeminato successerunt[3].

Acies ferri accidit marginem
velorum bellicorum circum
perfidos hostes, rubro in campo
inter loricarum conflictum,
eo usque donec tandem
Scoti prœliatores, a militibus
fortunatissimi regis pulsi,
in pedes se conjicerent[4].

---

[1]) Durante prœlio tanta erat vehementia tempestatis, ut rex Hakon nullam haberet facultatem copias in terram exponendi. Rognvaldus vero et Eilivus, aliquot comitati, ad prœlium accesserunt, magna audacia usi, item Norvegi, qui scaphas conscenderant; Rognvaldus quidem pulsus ad navem recessit, Eilivus vero strenue operam navavit, *B.* [2]) Melus Corvini, *add. B.*

[3]) Constructio: *hervaldir a) hersar Norðmæra kæris kvöddu kappstudda hölda gunnversum. [Hin gunnrakka b) hirð hásæta gætis gekk járnfaldin of c) hjörstærðum hjaldri.*

a) herfaldir, B. b) hinn geðrakki, B. c) conjeci; *af, A.*

[4]) Constructio: *egg beit gunntjalda brún of ódyggvar aldar a), í rauðtúnum at brynmóti b): áðr en skozkir egghríðar skýþundar c) skyndu undan d) víglundum alþroskins e).*

a) aldir, id , *B. b) B; brynnjóti,* mendose, *A. c) skýðundar,*

Tum Scoti ex tumulo, quantum quisque potuit[1], aufugerunt; quo facto Norvegi conscensis scaphis ad classem[2] remigarunt. Postero mane in terram egressi sunt, eorum qui ceciderant corpora relaturi. Eo autem loco hi ceciderant: Hakon Steinensis, Thorgils Gloppa, aulici regis Hakonis, [3]Karlshofud et Halkel[4], tresque a eandelis ministri[5]. Haud exacte novere Norvegi, quot Scotorum cecidissent, unumquemque enim, qui cecidit, sublatum in silvam deportaverant. Rex Hakon funera suorum ad templum deportanda curavit. [Paulo post[6] rex a Kumroa ad Melasoam[7] navigavit; huc ad eum venere legati, ab eo in Hiberniam missi, qui renuntiarunt, Hibernos polliceri se universas copias ejus[8] sustentaturos, ut ipsos a potestate Anglorum liberaret. Regis quidem animus eo inclinavit, ut in Hiberniam navigaret, sed universo dissvadente exercitu[9], palam fecit, se in Hebudes navigaturum[10]; exercitus enim inopia cibi laborabat[11]. Post hæc rex[12] Gudoam navigavit, indeque in

---

id. (ð=þ), *B. egghrið*, pugna, ejus *ský* (nubes), clypeus, ejus *þundr*, pugnator. *d*) *B*; *undu, A.* *e*) *vel* potentissimi (ɔ: regis), nam *þroski* de fortuna et potentia usurpatur.

1) in montes, *add. B.* 2) magna cum difficultate ob tempestatem *add. B.* 3) ibidem ceciderat gnavus e Thrandheimo colonus, nomine, *add. B.* 4) alius colonus e Fjordis nomine Askel, *B.* 5) Thorstein Batus, Jon Ballhofud, . Halvardus Bunjardus, *add B.* 6) Die Jovis rex tollendas ancoras navesque ad insulam evehendas curavit, eodemque die venit ad eum exercitus, qui Skipafjordum intrarat. Proximo die Veneris, serena tempestate, speculatores misit ad naves ejectas comburendas, eodemque die, *B.* 7) Melanzoam, ubi aliquot noctes consumsit, *B.* 8) insequenti hieme, *add. B.* 9) cum ventus eo proficiscentibus adversus esset, habita militum concione, *add. B.* 10) navigandi veniam omnibus concessurum, *B.* 11) Tum rex funus Ivaris Holmi Botam deportandum ibique sepeliendum curavit, *add. B.* 12) a Melanzoa profectus ad Hersoam in ancoris pernoctavit, inde Sandoam accessit, tum ad

fretum Ilænm movit, ubi tres noctes stetit, insulæque stipendium trecentorum sexaginta boum imperavit[1]. Inde solvens die solis, quæ hiemis prima fuit, tam violentam tempestatem cum tenebris nactus est, ut paucæ navium integra vela retinuerint. Postquam portum Bjarkaroæ[2] tenuerat, internuntii inter eum et regem Jonem intercedere cœperunt, neque tamen ipsi congressi sunt. Hic cognovit rex, milites ejus, escensione Mylæ facta, magnam vim pecudum abegisse, et aliquot Mylæorum[3] interfecisse. Inde ad Kalvum Mylæum navigavit[4]; hic discessit ab eo rex Duggal, et Alein, frater ejus, quem regno, ab rege Jone administrato, præfecit[5]: Rudrium Botæ, Myrgadum[6] Hersoæ præfecit: Duggalo castellum[7] dedit, quod Guttormus Bakkakolvus [præcedenti æstate[8] tenuerat. Rex Hakon in hac expeditione omnes provincias Scotiæ et Hebudum[9], quas rex Magnus Nudipes sibi vindicaverat et subegerat, in potestatem suam redegerat. Quod sequentes versus innuunt:

Agdensium imperator omnes provincias,
regi, scutorum crates magna vi
dirumpenti (olim) tributarias, Scoticis
gentibus ereptas celeriter recuperavit.
Nullus bellator, Gondulæ tempestatem
imperans, principi Yngviæ gentis valuit
resistere. Sitæ in mari occiduo
provinciæ bellatoris integræ permanserunt[10].

promontorium Satiriæ venit, sequentique nocte boream versus, *add. B.*

1) cujus stipendii pars farina et caseo penderetur, *add. B.* 2) Kjarbaroæ, *B.* 3) et duos tresve Norvegos, *add. B.* 4) ibique aliquot noctes stetit, *add. B.* 5) quod regnum olim rex Magnus et Hebudenses deseruerant, *add. B.* 6) Margadum, *B.* 7) in Satiria, *add. B.* 8) in Scotia expugnatum, *B.* 9) *sic B*; regnorum meridianorum, *A.*

10) Constructio: *Egðastillir vann skjótt aptr öll skattlönd*

Aulici regis Hakonis interfecti.

327. Rex Hakon ex [Raunois navigans cursum septemtrionem versus direxit[1], sed vento adverso spirante, Vestrafjordum in Skidia intravit[2], insulæque stipendium frumenti imposuit. Inde Hvarvum prætervectus, cum Dyrnesum prænavigaret, vento cessante malaciaque facta, classem in Goafjordum[3] movit festo[4] apostolorum Simeonis et Judæ[5]. Accidit hoc die, ut novem homines, ex nave Andreæ Bjuzii[6], scapha vecti in terram[7] excurrerent. Quorum clamor cum post paulo e terra exaudiretur, adremigatum est ex navibus, duo natantes graviter vulnerati excepti, cum septem[8] in terra a Scotis supervenientibus interfecti essent[9]. Quibus[10] Scoti conspectis in silvam aufugerunt, Norvegi corpora secum retulerunt. Die lunæ rex Hakon [in Rognvaldi sinum in Orcadibus situm[11] ingressus est, ma-

geirbrúar krapta a) megiugröuduðs b) af skozkum dróttum. Öngr Göndlar b) veðrboði c) reisti rönd d) við ýngva. Ríki rógsækis fyrir vestan haf varð ólest.

a) hafta, forte lororum scutariorum (*skjaldarfetla*), *B.* i. e. regis Magni Nudipedis. *b) grundar, A.* *c) veðrs boði,* id., *A.* *d) rand, A.*

[1]) Kalvo Mylæo ad Raunoas navigavit; hic adventum ejus opperiebatur Baltius, colonus Hjaltlandensis, iique, quos in Orcades miserat, nec non quibus veniam redeundi in Norvegiam concesserat, *add. B.* [2]) ibique aliquamdiu moratus est, *add. B.* [3]) Gjafjordum, *B.* [4]) vespere pridie festi, *B.* [5]) Festum in diem dominicam incidebat. Hic rex pernoctavit, ipso vero festo, missa cantata, Scoti quidam ab Norvegis capti ad eum ducti sunt, quos incolumitate donatos in territoria dimisit, pollicitos, se boves ad regem ex superioribus adducturos, uno obside remanente, *add. B.* [6]) Kuzlii (*vituli*). *B.* [7]) ad aquam hauriendam, *add. B.* [8]) novem, *B.* [9]) qui cum ad scapham decurrissent, ab æstuque derelictam offendissent, omnesque inermes essent, vim hostium avertere non potuerant, *add. B.* [10]) adremigantibus, *add. B.* [11]) e Goafjordo navigavit, homine Scoto incolumitate donato et in terram exposito;

ximaque pars classis[1] eodem convenit. Cumque sinum Pentlandicum transnavigarent, vortex qui forte in sinu extiterat, unam navem ex provincia Rygiorum eum omnibus qui ea vehebantur hominibus absorpsit. Jon Hestbæensis orientem versus per sinum æstu delatus, parum abfuit, quin in vorticem dejiceretur, sed divino beneficio factum est, ut navis orientem versus in altum deferretur; itaque[2] in Norvegiam navigavit.

Rex Hakon Kirkjovogum se confert.

328. Cum rex Hakon [in Orcadibus stetit[3], plurima classis pars in Norvegiam navigaverat, alii venia ab rege impetrata, alii commeatu proprii arbitrii usi[4]. Cum vero[5] adversi venti perseverantius spirarent, rex in Orcadibus hiemare decrevit, viginti naves, quæ remanerent, designavit, ceteris commeatum[6] permisit, omnes præfectos apud se retinuit[7], literas in Norvegiam de [rebus necessariis[8] misit. Post festum omnium sanctorum rex navem suam in portum Medalandensem velis devehi jussit, [atque hoc loco naves subductæ sunt. Dein Kirkjuvogum se contulit, jam tum admodum æger; ipse cum omnibus suis, quos suo sumtu aleret, in ædes episcopi concessit[9], in cujus palatio uterque, rex et episco-

prima nocte in Orcades venit, et in freto quodam boream versus ab Asmundi sinu stetit, inde profectus Rognvaldi sinum, *B.*

[1]) quæ prænavigaverat, *add. B.* [2]) ab insulis rejectus, *add. B.* [3]) in sinum Rognvaldi venit, *B* [4]) Rex Hakon, eum primum insulas attigerat, se in Norvegiam navigaturum ostendebat, *add. B.* [5]) inclementia cœli ingravescente, *add. B.* [6]) domum navigandi veniam, *B.* [7]) præter Eilivum Naustdalensem, *add. B.* [8]) administratione reipublicæ Norvegicæ, *B.* [9]) ipse vero eo die in Rognvaldsoa moratus, inde Kirkjovogum se contulit. Post hæc navarchi suæ quisque navi prospexerunt, quarum aliæ in portu Medalandensi, aliæ introrsum ad isthmum Skalpium subductæ. Rex Hakon die Saturni ante festum Michaelis proximo ad portum Medalandensem equitavit; pridie vesperi admodum æger erat, et in navi pernoctabat,

pus suis quisque asseclis victum præbuit, ipse vero rex in cœnaculo cibum sumsit. Præfectis et centurionibus prædia mercedis unciariæ in victum descripsit[1]. Andreas Plytus [erat dapifer regis[2]. Hi præfecti Kirkjovogi erant: Brynjolvus Jonis, Erlingus Alvi, Rognvaldus Urka[3], Erlingus Bjarkoensis, Jon Drotninga, Erlendus Rufus[4], alii vero præfecti ruri[5] agebant.

Morbus regis Hakonis.

329. Rex Hakon, præcedenti æstate vigiliis et curis fatigatus, [cum Kirkjovogum venit[6], morbo[7] decubuit; cumque [aliquot noctes[8] lecto affixus esset, morbo nonnihil, remittente surrexit et per triduum pedibus se sustinuit. Tum[9] vas balinearium parari sibi jussit, quo cum descendisset, barbam sibi radi jussit; nocte proxime insequenti morbo ingravescente iterum decubuit. In morbo recitari sibi [sacram scripturam[10] jussit, dein[11] libros Norvegicos prælegendos noctu interdiuque curavit[12].

postero mane missam sibi in terra cani fecit. Dein constituit, quo loco navis sua subduceretur, hortatus ut navibus diligenti cura prospiceretur. Inde in isthmum Skalpium, inde Kirkjovogum equitavit, invitatusque ad episcopum cum omnibus asseclis se contulit, *B.*

[1]) ut quas haberent cohortes sustentare possent, *add. B.* [2]) regiæ mensæ prospiceret, et aulicis, speculatoribus, ministris a candelis, regiisque asseclis omnibus, neque minus quos ipse secum haberet, necessaria distribueret. Cum navibus prospectum esset, ad suum quisque locum sibi destinatum concessit, *B.* [3]) Orka, *B.* [4]) multique alii navarchi et centuriones, *add. B.* [5]) in prædiis unciariis, quæ ipsis erant adsignata, *add. B.* [6]) suorumque avocationibus distractus, cum e portu Medalandensi a nave sua venisset, *B.* [7]) primo quidem haud acri, *add. B* [8]) tres hebdomadas, *B, prave.* [9]) primo die intus per cubiculum ambulavit, altero missæ interfuit in sacello episcopi, tertio templum Magni adiit, et scrinium sancti Magni dynastæ circumiit, eodemque die, *B.* [10]) primo libros latinos, *B.* [11]) cum vero animus ejus sensu eruendo multum fatigaretur, *B.* [12]) primo vitas sanctorum, dein, his deficientibus, historias regum inde ab Halvdano Nigro et deinceps omnium Norvegiæ regum, unius post alterum, *add. B.*

Ubi vim morbi accrescere sensit, ad stipendium aulicis solvendum animum advertens, constituit, ut singulis aulicorum selibra argenti cocti, speculatoribus et ministris a candelis[1] dimidia selibra daretur. Omnem mensæ suppellectilem non inauratam ponderari, eamque, si [alia deessent[2], distribui jussit[3]. Tum quoque literæ ad regem Magnum perscriptæ [de reipublicæ administratione, et de beneficiis, quæ in cives conferri rex Hakon voluit[4]. Rex Hakon nocte festum Luciæ præcedente oleo unctus est, præsentibus Thorgilse episcopo Stavangriensi, Gilleberto episcopo Hamarensi, Henreco episcopo Orcadensi, Thorleivo abbate, multisque aliis viris sacri ordinis. Antequam ungeretur, multi adstantium eum osculati sunt, etiam tum usu lingvæ valentem. Tum iis, quibus maximam fidem habebat, interrogantibus, [an alium filium, quam regem Magnum, relinqueret[5], [se alium non relinquere sancte confirmavit[6].

Obitus regis Hakonis.

330. Festum Luciæ virginis in diem Jovis incidebat; proximo autem die Saturni, sero vespere, morbus tantopere ingravescebat, ut rex usu linguæ destitueretur; atque[7] media nocte elapsa Deus omnipotens regem Hakonem ex hac vita arcessivit. Quæ res omnibus præsenti-

[1]) ac mensis aliisque famulatoribus, *add* *B*. [2]) argentum purum deesset, *B*. [3]) ut suum quisque obtineret, *add*. *B*. [4]) de rebus, quæ reipublicæ maxime interesse judicavisset, *B*. [5]) si tam incommode accidisset, ut aut ipse aut rex Magnus obiret, utrum aliquem filium relinqueret, an ejus progenies aliunde arcessenda esset, *B*. [6]) se nullum filium relinquere, præter regem Magnum, neque filiam ullam, quæ antea ignoraretur. Tum historiam regis Sverreris recitari jussit, quæ noctu interdiuque, quotiescunque vigilaret, prælecta est, *B*. [7]) Sub mediam noctem historia Sverreris perlecta fuit, media vero nocte, sive potius, *B*.

bus, multisque postea audientibus, summum dolorem attulit[1]. Mortuo rege[2] inferiæ cantatæ. Quo facto omnes ex cubiculo egressi, præter episcopum Thorgilsem, Brynjolvum Jonis et duos alios: hi corpus mortui lavarunt[3], omneque officium, quod tam excellenti domino ac principi, quam regi Hakoni, exhiberi debuit, præstiterunt. Die solis funus in palatium in superiore parte ædium deportatum, et feretro impositum; corpus splendidis vestibus circumdatum, corona capiti imposita, apparatu quali regem coronatum decuit[4]. Ministri a candelis adstabant, candelas tenentes, totumque palatium collustratum erat. [Tum accessere homines, ut funus contemplarentur: species erat lucida et decoris plena, facies rubicunda, ut viventis[5]. Aulici funeri pervigiles adsidebant[6]. Die Mercurii funus arca conditum[7], et in choro ædis Magno sacræ[8] sepultum[9], sepulcrum tapete fimbriato velatum. Tum[10] constitutum, ut milites prætoriani ad custodiam sepulcri regii advigilarent. Tempore festi jolensis[11] Andreas Plytus, prout rex præceperat, convivium

[1]) Hi præfecti regi morienti adfuerunt: Brynjolvus Jonis, Erlingus Alvi, Jon Drotninga, Rognvaldus Orka, et aliquot famuli, qui ægrotanti proxime adstiterant, *add. B.* [2]) episcopi et clerici adciti, qui cum adessent, *add B.* [3]) barbamque totonderunt, *add. B.* [4]) tum omnes episcopi et sacri doctores, qui in oppido erant, omnesque interioris admissionis eo accesserunt, *add. B.* [5]) et vero homioibus, tanto dolore perculsis, magno fuit solatio, adeo pulchrum corpus hominis mortui, atque domini sui, contemplari. Mox inferiæ solenni more cantatæ, *add. B* [6]) Die lunæ funus regis Hakonis ad templum Magni deportatum, ibique sequenti nocte servatum est, *add. B.* [7]) quali solent reges coronati apparatu, *add. B.* [8]) in gradibus ante scrinium sancti Magni dynastæ, *add. B.* [9]) Dein lapis, uti antea, superimpositus, *add. B.* [10]) concione aulicorum advocata, *add B.* [11]) episcopus et, *add. B.*

solitum instauravit, omnibusque justa stipendia distribuit.

Funus regis Hakonis Bergas deportatum.

331. Rex Hakon[1] præceperat, ut funus suum orientem versus in Norvegiam deportaretur, velleque se[2] apud patrem[3] sepeliri. Adultaque hieme præterita[4], ingens illa navis, quam rex Hakon occidentem versus duxerat, deducta et celeriter instructa est[5]. Funus, aulicis comitantibus, per isthmum Skalpium [ad navem deportatum[6]; navi principes præfuere episcopus Thorgils[7] et Andreas Plytus[8]. Vela in altum dederunt primo jejunii die Saturni, ventisque usi asperis et obliquis, Silavogum in meridianis Norvegiæ partibus tenuere. Missis ad regem Magnum literis, res, quæ acciderant, significarunt. Dein, ventorum opportunitate usi, septemtrionem versus Bergas navigarunt, et[9] Laxavogum ante festum Benedicti intrarunt. Ipso festo rex Magnus[10] nave vectus funeri occurrit; navis ad ædes regias constituta, arcaque in palatium æstivum deportata. Postero mane funus ad ædem Christi deportatum, comitante rege Magno, comitantibus utraque regina, aulicis[11], oppidanis[12], et in choro ædis Christi sepultum: rex Magnus longa disertaque oratione[13] pro exequiarum officio gratias egit. Cui funeri universus populus mœsto animo adstitit. Sic Sturla:

---

1) in lecto, *add. B.* 2) Bergis, *add. B.* 3) ceterosque cognatos, *add. B.* 4) cum sedari maris intemperies cœpisset, *add. B.* 5) Die cinerum, qui incidit in a. d. 3. nonas Martias, funus regis Hakonis e terra effossum est, *add. B.* 6) deportatum et scapha ad navem transvectum, *B.* 7) Erlingus Alvi, *add. B.* 8) una vehebantur aulici, qui occidentem versus profecti erant, *add. B.* 9) eodem die, *add. B.* 10) et Petrus episcopus, *add. B.* 11) utroque episcopo, clericis, regiis juratis, omnibusque, *B.* 12) tum inferiæ celebratæ, *add. B.* 13) ad sepulcrum habita, *add. B.*

Conventus martialis arbiter
trinoctio Bergas pervenerat ante, quam
populi imperatorem elegantem
heroes bellicosi sepelirent.
Deinde multi liberales homines
parum hilares, oculis humentibus,
sepulcro adstitere populi principis,
ingenti adfecti mœroris dolore[1].

Rex Hakon tribus noctibus ante festum (annuntiationis) Mariæ sepultus est, elapsis a nativitate[2] domini nostri Jesu Christi annis mille ducentis sexaginta tribus[3].

Characterismus regis Hakonis.

332. Rex Hakon fuit haud magna mediocris, hominis statura, membrorum apta proportione, latis humeris, medio corpore gracili, statura sedentis ad speciem procera[4], coma pulchra, oculis magnis quidem, sed pulchris; omnium animos ad se gratia quadam adliciebat; oris conformatione quali fere rex Sverrer fuerat, lata facie et colore pulchro. In hilaritate serenus, in ira torvus; quovis homine festivior, agilior et alacrior, in pauperes[5] semper comis[6]. Considens apud principes eleganter se gerebat[7], eloquio disertus et in comitiis facundus; peritia legum civilium et prudentia consiliorum maxima. Dicere sole-

[1]) Constructio: *þróttar þinghlýnr kom til Björgynjar þrim nóttum a) áðr en ofs dynviðir grófu prúðan allvald. Margr málmafergir b) stóð síðan lítt kátr yfir leiði lýða grams með váta brá; þat stríð var mikit.*

a) náttum, B. *b) málmaskerðir,* id., sed metro h.l. adversante, *B.*

[2]) et incarnatione, *add. B.* [3]) si tres noctes subtraxeris, *add. B.* [4]) pedum tibiis non longis, et nonnihil valgis, *add. B.* [5]) et egenos, *add. B.* [6]) nunquam enim tam æger animi erat, quin illis comiter responderet, *add. B.* [7]) benignitatis et decori studiosus, *add. B.*

bant viri prudentes, ad eum ab aliis principibus missi, nullum sibi conspectum principem, qui, æque ac ille, et sodalis et rex et dominus esse videretur. Leges et jus civile Norvegicum magnopere[1] emendavit; [id codici (legum) adjecit, quod[2] nunc novæ leges appellatur; omnia homicidia, mutilationes pedum manuumve inter cives abrogavit; qui legitimam alterius uxorem rapuisset, exilio multaretur; omnes cædes necessariorum abrogavit, ut nemo alterius facta lueret, sed, quantum leges ipsi irrogarent, satisfaceret.

Res in commodum reip. institutæ.

333. Rex Hakon, majori studio, quam ullus regum superiorum post regem Olavum Sanctum, in id incubuit, ut christiana religio in Norvegia confirmaretur. Ædem sacram Trunsæ[3] faciendam curavit, in eamque parœciam christianismum introduxit. Multi quoque Bjarmorum, qui incursionibus Tattarorum pulsi ab oriente fugerant, ad eum venerunt, quos christianos reddidit, sinumque Malangerum dictum habitandum concessit. Etiam ædem sacram in[4] Ufotio, munimentum ad Agdanesum et crates pontium faciendas curavit; palatium ligneum Nidarosi in ædibus regiis, [et sacellum supra cubicula regia[5]; ædem sacram in Guloa, ad septemtrionem Bergis versa, [quo comitia Gulensia transtulit[6]; Bergis in ædibus regiis ædem lapideam, Apostolis sacram, nec non[7] ædem Olavi et monasterium; ibidem [ædibus regiis duo eximia palatia lapidea adstruenda[8] curavit, easque muro lapideo,

[1]) multis in rebus, *B.* [2]) cum codicem conscribendum curavit, qui, *B.* [3]) Trumsæ, *B.* [4]) sinu, *add. B.* [5]) omnesque domus optimas ædificandas curavit, *B.* [6]) eique annulum aureum donarii loco obtulit, *B.* [7]) suo sumtu, *add. B.* [8]) ædes regias exstruendas, *B.*

utrique portæ castello imposito, circummuniendas; ædem Catharinæ ad Sandbruam, nec non hospitium, exstruenda curavit, eique mansum ducentorum mensium[1] adtribuit; arcem Bergis[2] ex fundamentis exstruendam, murumque[3] [et ædem omnium Sanctorum in Vogsbotno faciendam curavit[4], eique lecto affixus mansum centum mensium[1] adsignavit; ædem[5] in Ogvaldsneso, templorum in Norvegia provincialium maximum, faciendam curavit; Tunsbergum muro lapideo muniendum, castella portis, castellum Gothorum Danaklevæ superstruendum curavit; rupem (Tunsbergensem) ædificiis ornavit, ædes regias ad ædem Laurentii ædificavit; hospitium a meridiana parte ædis Olavi faciendum curavit, eique prædium triginta[6] selibrarum adtribuit; fundum maris ad Skeljasteinem altius deprimendum curavit, ut nunc corbitis proficisci liceat, qua antea vix exiguis lembis transitus fuit: ædem monachorum nudipedum Tunsbergi ædificandam curavit, quæ postea meridiem versus in Dragsmarkam[7] translata est: ibidem ædem[8] Mariæ, et ædem lapideam, cui prædium quinquaginta selibrarum adtribuit, faciendam curavit; arcem in Valkabjargis[9] educendam, ædemque Nicolai Osloa eo transferendam curavit; ædes regias hujus oppidi in lingulis arenosis exstruendas, [Vadilsholmum ædificiis frequentandum[10], arcem Kongelæ in Ragnildarholmo faciendam curavit. Gulloam incolis frequentandam, Ekroas excaudicandas et

---

1) *mánaðar*] forte legendum *marka*, selibrarum. 2) antea flammis absumtam, *add. B.* 3) duas muri partes educendas, murumque interstitiis pinnarum instruendum, arcemque exteriorem faciendam, *B.* 4) tum quoque ædes omnium Sanctorum jussu regis ex fundamentis exstructa, *B* 5) lapideam, *add. B.* 6) trecentarum, *B.* 7) Dragsvikam, *B.* 8) monasterium, *B, rectius.* 9) Vakkabjargis, *B.* 10) *omitt. B.*

habitaculis ornandas, ibique ædem ligneam exstruendam curavit; Malstrandas[1] multasque alias in Vika desertas insulas frequentandas: arcem[2] lapideam in insula (lacus) Mjörsi prope Ringisakrum faciendam, ædes tricliniares Vidheimi in Eyabuo ædificandas; curavit et ædes convivales Steigæ faciendas[3], prædium Hovi in Breida exstruendum, item ædes convivales, quibus possessiones adtribuit[4]; Sacellum quoque[5], nec non ædes convivales Thoptyne (Thoptis) ædificandas curavit. [Rex Hakon Loam in Opdalo emit, ibidemque prædium, ædes convivales et sacellum exstruxit[6]. Sverrisborgam (arcem Sverreris) in Steinbjargis sitam, a Baglis olim excisam, muro quoque circumdedit et ædificiis frequentavit. [Jesus Christus, pater et filius et spiritus sanctus, servet ac custodiat, ornet ac beet animam talis domini, qui memoriam tam multarum rerum utilium reliquit, quam beatus ille dominus rex Hakon. Hic historia ad finem perducta est[7].

---

1) Mastrandas, *B.* 2) domum, *B.* 3) ædemque vetustate tantum non prolapsam refecit, *add. B* 4) ædes convivales Husabæi in Skauna Heidmarkiæ, alterasque in Ringisakro faciendas, prædiumque in insula Vidheimi exstruendum curavit, *add. B.* 5) quod antea nullum fuerat, *add. B.* 6) *a* [*omitt. B.* 7) *a* [*omitt. B.*

FRAGMENTUM HISTORIÆ REGIS MAGNI HAKONIS FILII.

Folium prius.

. . . . (redierunt) milites, qui occidentem versus cum rege Hakone profecti fuerant, et res occidentales ad bellum spectare nuntiarunt. Eadem æstate Birger abbas, Totrensis, quem canonici Nidarosenses in locum archiepiscopi Einaris, præcedenti autumno defuncti, archiepiscopum designarant, in curiam papæ profectus est. Qui cum esset sacerdotis filius et monachici ordinis, eligi ab eis non potuit. Hic regem Magnum Bergis convenit, qui pauca inter se collocuti sunt; abbas hiemem proxime insequentem in curia consumsit.

De internunciis.

Post obitum regis Hakonis, eodem vere, barones et procuratores, qui in Orcadibus erant, episcopum Henricum et dominum Ascatinum cancellarium in Scotiam ad regem Alexandrum miserunt, ut de pace inter regna componenda certiores fierent. Sed his gravia responsa data: denuntiarunt Scoti, se Norvegos eo delatos aut interfecturos aut in carcerem conjecturos, questi, Norvegos amplius tertiam Scotiæ partem incendiis ac populationibus devastasse; quo factum est, ut legatio irrita fieret. Itaque dominus Ascatinus orientem versus in Norvegiam ad regem Magnum reversus, ei de exitu profectionis suæ

nuntiavit, et quam gravia sibi responsa de pace intercedenti data fuissent in Scotia. Rex Magnus eam rationem iniit, ut Ogmundum Krækedansum in Orcades mitteret, eique hanc provinciam tuendam traderet, Eirikum autem Duvgalis filium in Hebudes mitteret; is habuit navem octodecim transtrorum, aulicis, speculatoribus et ministris a candelis instructam. Hunc ex Orcadibus comitarentur Joan Thjorius et Eirikus Bosius, suam uterque navem habens. Ogmundus vero, in Orcades delatus, cognovit, exercitum, ab rege Scotorum in Katanesum missum, magnam pecuniæ vim Katanesiis extorsisse, quod rex Hakon iisdem stipendium imposuisset; cumque frequenti sermone jactatum esset, exercitum in Orcades populandi causa incursurum, copias ex Orcadibus dimittere Ogmundus noluit, ibidemque cum Eiriko hiemavit. Interea dominus Ascatinus, ut antea scriptum est, in Norvegiam pervenit, Ogmundo jam tum cum suis profecto. Rex Magnus vero Hoskuldo Oddi filio, qui tum profectionem in Orcades paravit, comites adjunxit monachum Mauricium, alterumque monachum nudipedem, nomine Sigurdum, ministro Henrico Scoto pluribusque famulis datis. Hi quantocissime in Scotiam profecti, regem Scotorum convenerunt, a quo aliquanto liberalius, quam episcopus ac collega, excepti sunt; nimirum Scotorum rex eos in Norvegiam redire jussit, et a rege Magno petere, ut æstate proxime insequenti idoneos legatos in Scotiam mitteret, si pacem inter regna componere magnopere cuperet. Legati eodem autumno in Norvegiam rediere.

De rege Magno.

Rex Magnus hanc æstatem Bergis consumsit. Eadem æstate Halvardus Gulskous, ab Islandia redux, nuntiavit, omnes Islandos ad ob-

sequium regi Magno præstandum se convertisse, famamque de obitu regis Hakonis, ante suum ex Islandia abitum, eodem perlatam esse. Eundem tum comitatus est Thorvardus Thorarini filius, qui ut regiæ majestati, quam occidendis aulicis regis Hakonis Thorgilse Skardio et Bergo læserat, satisfaceret, sese regi Magno dedidit suasque omnes possessiones in potestatem ejus tradidit. Ex quo tempore Islandi nunquam recusarunt, quin regi Magno, sive quid juberet, sive vetaret, obsequium præstarent; quippe cui se multo libentius, quam patri Hakoni regi, subjicerent. Rex Magnus insequenti autumno septemtrionem versus in Thrandheimum proficisci paravit, seriusque itinere comparato, festo omnium sanctorum Leirgolii stetit, inde Sildam, hinc Seljam, inde boream versus Eidum transnavigavit; regina vero Margareta, classe cursu exteriori ducta, regem in Steinavogo convenit. In quo sinu cum rex Magnus staret, ignis in altum versus ardere visus est. Rex significans prædium Gizkiense ardere, suos ut subvenirent hortatus est, haud convenire dicens, homines ita desidere, neque, si opus esset, auxilium prædio aut hominibus ferre. Itaque Jon Tviskavin, quæstor navis, adsumtis binis sociis navalibus ex plerisque seminterscalmiis, ad opem ferendam excurrit. Hi, turbida tempestate usi, cum ægre quo contenderant pervenissent, novas ædes, quas Nicolaus ædificandas curaverat, flammis eripuerunt; veteres exarserunt. Sic, egregio auxilio Gizkiensibus præstito, Jon ac sui reverterunt. Dein rex Magnus, conscensa celoce ministrorum a candelis, boream versus in Thrandheimum profectus, una cum regina Margareta Reinem se contulit; navis vero regia Holmum subiit, cujus vectores eo loco incommoda statione per noctem utebantur.

Rex Magnus sequentis diei mane ab alto adnavigans, cum ad Holmum adpellere non posset, navem per interiora ad ostium fluvii extra Bakkium direxit; hic navis oblisa, homines resque omnes servatæ. Hoc autumno Nicolaus Gizkiensis obiit, quo mortuo familia Gizkiensium, qui ab Arnio Armodi filio ortum traxerunt, interierat; reliquit tamen filiam Nicolaus, matre ....[1] procreatam, quæ id temporis conditio optima in Norvegia existimata est, et generis et divitiarum et pulchritudinis ratione habita. Hanc hiemem rex Magnus in Thrandheimo transegit, quæ imperii ejus secunda fuit. Eadem hieme post festum jolense frater Mauricius, quique cum eo in Scotiam profecti erant, in Thrandheimum reversi, regi Magno exitum negotiorum renuntiaverunt.

De regis Magni Bergas profectione.

Insequenti vere rex Magnus meridiem versus Bergas profectus, eo post festum paschale pervenit. Tunc episcopum Gillehertum et dominum Ascatinum, hortatu Scotorum regis, in Scotiam misit. Hi primo in Angliam profecti, meridiem versus Linnam se contulerunt. Eadem æstate Simon Misfortensis occubuit. Itaque episcopus cum collega septemtrionem versus Eboracum se contulerunt, ibique aliquantum temporis morati sunt. Autumno, quo Ogmundus Krækedansus cum suis in Orcades venit, cum Scoti ad pecunias Katanesiis extorquendas profecti erant, redeuntibus dominus Duvgal superveniens, magnum interfecit numerum eorum, in quibus prætorem Scotorum interfecit, ingentique illa pecuniæ summa, quam secum vehebant, potitus est. Eadem æstate Scoti cum classe in Hebudes trajecerunt, quibus se Engus Ilæ rex subjecit, multique qui ad regem Hakonem, cum in Hebudibus

[1]) lacuna in fragm. membr.

versaretur, transierant. Meridiem versus ad Monabiam usque progressi, Magnum, principem insulæ, in verba sua vi adegerunt, Duvgale vero, qui navibus effugit, potiti non sunt. Hic vere proxime insequenti in Orcades trajecit et auxilia imploravit; cujus comitatui se adjunxerunt, Eirikus filius ejus, Eirikus Bosius et Jan Thjorius, hi, tres habentes naves, profecti sunt ......

Folium posterius.

... hieme, post festum jolense. Hujus hiemis festo jolensi rex Magnus cum canonicis Bergensibus, autore Ascatino episcopo, præpositum ædis apostolorum constituit, huicque præbendas et magnas pecunias adtribuit. Elapso festo jolensi tam gravi morbo tentatus est, ut se oleo sancto ungi juberet. Hoc eodem anno Gregorius papa inauguratus est; quo anno multi excellentes principes obierunt: Henricus rex Anglorum, Richardus rex, frater ejus, Alemanniæ (Germaniæ) imperator, et Eirikus dux transamnanus[1]. Æstate proxime insequenti rex Magnus profectionem Bergis orientem versus in Albim comparavit, regem Svionum Valdemarem ex condicto conventurus. Kongelam venit sub festum Mariæ posterius (nativitatis), ibique moratus est ultra festum Matthæi; sed rex Valdemar, ludicris in Svionia intentus, ad eum conveniendum non adfuit. Quare rex Magnus eum non diutius præstolatus boream versus Tunsbergum se retulit, ibidemque rebus ad hiemandum necessariis prospexit. Hoc tempore gratia, qua rex Valdemar, vivo Birgere dynasta, apud Sviones valuerat, admodum frigescere cœpit. Superstites erant fratres quatuor, rex Valdemar et dux

[1]) intelligitur Eirikus, filius Abelis, Daniæ regis, dux Jutiæ meridianæ s. Slesvicensis. *Transamnanus*, i. e. trans fluvium Skotborgensem incolens.

Magnus, princeps juvenis Eirikus ac Benedictus, quem ordini clerico adscriptum quidam hortabantur, ut dignitatem archiepiscopi adfectaret. Verum princeps juvenis Eirikus, se nihil habere existimans, cognomen omnium egeni adsumsit; idem in Daniam profectus et aliquantisper apud regem Danorum commoratus, jam redierat, et in aliquam suspicionem regis, fratris sui, incurrerat. Tum quoque rex Valdemar Jonem Philippidem in æde sacra comprehendendum et in custodiam tradendum curaverat. Quo facto nuntium boream versus Tunsbergum ad regem Magnum misit, ante omnia eum convenire cupiens, quocunque loco rex Magnus cum eo congredi vellet. Cum vero rex Magnus longius quam Borgam proficisci nollet, eo loco conventus condictus est. Quo antequam rex Valdemar proficisceretur, accidit aliquo die, ut princeps juvenis Eirikus veniam peteret, ut sibi liceret equiti excurrere ac se oblectare. Quod cum concessisset rex, ille, paucis comitatus famulis, in Norvegiam equo vectus est, regemque Magnum, ad conventum Borgæ habendum proficiscentem, Varnæ convenit. A quo liberaliter exceptus dominus juvenis Eirikus, eum ad congressum comitatus est. Hic rex Magnus sese interposuit, ut fratres in gratiam redirent, idemque Jonem Philippidem cum rege Valdemare reconciliavit; decretum, ut Skaris convenirent, et duodecim viri pacificationem jurejurando confirmarent; tum quoque Boius Galin, qui aliquantisper apud regem Magnum versatus erat, in gratiam receptus. Rex Magnus Valdemarem regem summa comitate excepit, Arniumque episcopum Skalholtensem, aliosque viros eximios, obviam ei misit. Rex Valdemar, quamdiu una fuerunt, cum rege Magno convivebat, et exquisitissimis epulis exceptus est. In omni-

bus negotiis agendis intima inter eos familiaritas intercedebat, multisque de rebus, de quibus non facimus mentionem, inter se collocuti sunt. Proficiscentem regem Valdemarem rex Magnus eximiis muneribus donavit, et Olavum Steinensem pluresque viros excellentes comites ei adjunxit, qui eum orientem versus Skaras comitarentur, ut juramentis, eo loco edendis de reconciliatione inter fratres ac Jonem Philippidem, quæ juramenta rex Magnus consensu regis Valdemaris eis injunxerat, præsentes arbitri adessent. Quæ juramenta cum non ita ederentur, ut constitutis arbitris placeret, discordia inter Sviones denno exorta est. Rex Magnus e congressu Borgensi Tunsbergum reversus, ibi quod reliquum erat hiemis se continebat; quæ hiems imperii ejus decima fuit. Eadem hieme grave bellum in Dania fuit inter regem Danorum Eirikum et Germanos. Tum Danorum rex legatos ad regem Magnum misit, qui amicitiam ac fidem ejus impense expeterent. Quibus hic liberaliter acceptis, legatos vicissim misit; quæque inter reges per internuntios agebantur, mutuam amicitiam confirmabant. Quibus rebus factum est, ut Eirikus Danorum rex, ea hieme, rebus eum inter ac Germanos intercedentibus superior esset. Rex vere insequenti, negotiis suis peractis, Tunsbergo profectus est . . . . . Lidandisnesum, Jon Philippides eum cum aliqua cohorte adsecutus, nuntiavit, se a rege Valdemare expulsum, promissaque ab eo Borgæ regi Magno data non servari. Quapropter regem Bergas est comitatus.

Magnus . . . . .

Rex Magnus insequenti æstate Bergis se continens, quod hieme proxime antecedenti Tunsbergi consilium ceperat, peragendum curavit; tum quoque omnes provinciarum præsides, qui

in Vika erant, ad se convocaverat festo Pauli, et cum eis colloquium habuerat, atque constituerat, quantum cuique ex quaque provincia rediret, quamdiu nollet ..... parique modo qui procuratores ejus essent. Aderat tum Bergis Jon archiepiscopus, omnesque regni episcopi suffraganei; aderant et barones et plerique omnes præfecti. Duabus post festum Petri noctibus rex Magnus, concione aulicorum convocata in palatio æstivo, palam fecit, quos dignitatis titulos filiis suis tribuere constituisset; item aperuit, quem morem observari vellet tam de cultu armorum, quam ceteris de rebus. Postero mane dies festa erat, missa in honorem Jesu et Dei a canonicis in æde apostolorum celebranda; qua in æde rex Magnus primo mane rei divinæ ac missæ interfuit, juvenes autem principes in æde Christi missæ de spiritu sancto interfuerunt. Post hæc comitia in cœmeterio ædis Christi posita, itaque constituta, uti rex in conventu præceperat ....[1] regemque salutavit; dein Vigleikus aulæmagister nomine aulicorum verba fecit; post hunc archiepiscopus orationem habuit, orsus a dolore illo, quem omnes Norvegiæ incolæ obitu domini juvenis Olavi, regis (Magni) filii, conceperant, et demonstravit, quantum beneficium Deus omnipotens universo Norvegiæ populo tribuisset, et ...[2] ei possessioni, quam hæreditate accepisset ....[3], qua de re longam habuit orationem ac disertam. Post hæc rex pulchram habuit orationem, peroransque filio Eiriko regium nomen, Hakoni ducis titulum dedit. Quo facto ad scrinium sanctæ Sunnevæ accesserunt, eique manus suas imposuerunt .....

[1]) h. l. amplius una linea in membr. legi nequit. [2]) hic unum verbum legi non potest. [3]) duæ voces lectionem refugientes.

ADDITAMENTA.

INCIPIT NARRATIUNCULA DE HALVDANE NIGRO.

Halvdan niger, natus annos octodecim, mortuo patre rege Gudrodo robusto venatore, regiam dignitatem in Oplandis accepit, jam tum ingenti statura et magnitudine virium insignis. Proximis regnis bellum intulit, eaque subegit: armis in Romarikiam versis prœlium cum rege Sigtryggo robusto commisit, eo exitu, ut rex Sigtryggus caderet, Halvdan Romarikio potiretur. Dein cum Eysteine, Heidmarkiæ rege conflixit, et victoriam reportavit. Rex Eystein in Hadalandum ad ducem Gudbrandum profugiens, ibi copiis sublevatus est. Eadem hieme in Heidmarkiam descendentes, Halvdanem in insula magna deprehenderunt, acreque prœlium commiserunt, multis utrinque cadentibus. Eo loco cecidit Guttormus, ducis Gudbrandi filius, qui ex Oplandicis juvenibus ad gerendum principatum aptissimus videbatur. Rex Eystein fugæ se mandavit, insequenti autem vere Halvdani tributum misit; quo facto Halvdan, consangvinitatis habita ratione dimidiam ei Heidmarkiam concessit. His gestis Thotnum et Hadalandum sibi subjecit, Vestfoldiam fratri Olavo Geirstadensi dedit. Dein Halvdan niger uxorem duxit Ragnildam, Haraldi Gulskeggi, regis Sogniensis, filiam, ex qua filium, nomine Haraldum, suscepit, qui apud avunculum Haraldum in Sognio educatus est, donec annum ætatis decimum complevisset. Tum ei Haraldus

Gulskeggus regnum et regium nomen dedit; pauloque post Haraldus Gulskeggus mortuus est, eademque hieme regina Ragnilda obiit. Vere insequenti rex Haraldus Sogniensis morbo mortuus est; quo Halvdan niger cognito, profectionem boream versus in Sognium, magno comitatus militum numero, comparat; liberaliter excipitur; cumque regnum mortuo filio jure ad se rediisse contenderet, nemine resistente, id in suam redegit potestatem. Tunc ad eum venit Atlius Gaulensis, ipsi amicissimus; quem rex Halvdan provinciæ Sogniensi dynastam præfecit, ut ibi jus diceret et tributa regis nomine exigeret. Quibus confectis rebus rex Halvdan in Oplanda, regnum suum, rediit.

Rex Halvdan Vingulmarkiam subegit.

2. Autumno insequenti, cum rex Halvdan prædiis suis in Vingulmarkia ageret, vir qui equestres excubias egerat, ad eum media nocte veniens nuntiavit, hostilem exercitum adventare. Ille confestim stratis exiliens, aulicos induere arma jussit. Extemplo in aream egrediuntur. Mox adfuere Hysingus et Hakius, magnum habentes militum numerum. Fit pugna vehemens. Rex Halvdan, numero copiarum inferior, multis amissis, in silvam aufugit. Quo cognito Olver sapiens, educator ejus, magnum cogit militum numerum, regi Halvdani auxilio venit. Qui confestim adversus Gandalvi filios copias duxit, quos in Eido (isthmo) juxta insulam assecutus, prœlium commisit; cadunt Hysingus et Helsingus, Hakius fuga evadit; quo facto rex Halvdan totam Vingulmarkiam in potestatem redegit, et tributariam fecit. Una post hieme in Heidmarkiam profectus est, qua hieme ducta Ragnilda, Sigurdi Cervi filia, Raumarikia et Hadalando potitus est. Cum Halvdan niger ex Vingulmarkia moverat,

eodem incursione facta Gandalvus et Hakius filius multa territoria subegerunt, multa populati sunt. Post hæc longo tempore magna contentio inter regem Halvdanem et regem Gandalvum intercedebat. Rex Halvdan ex Raguilda filium suscepit, nomine Haraldum. Mira Halvdani res usu venit, quod nunquam somniaret. Quam rem cum ad virum, nomine Thorleivum sapientem, referret, ejusque sententiam exquireret, quo pacto ei rei medendum esset, ille, quid ipse facere soleret, docuit: nimirum se, cum aliquid sibi vellet præsignificari, in suile aliquod cubitum secedere, quo facto se nunquam somniorum frustrari.

Somnium regis Halvdanis.

3. Itaque rex fecit, ut in suile aliquod secederet; hic obdormiscenti mox somnium memorabile visum: visus sibi est cæteros mortales comæ magnitudine præstare, capillis in cirros divisis, tam promissos, ut quidam ad terram pertinerent, variis coloribus insignes, quorum unum ceteros pulchritudine ac candore superare; dispari erant longitudine, quidam ad terram demissi, alii ad medium crus aut genuum tenus, aut ad medium latus, alii collum tantum attingebant, alii corniculorum instar capite modo emerserant. Hoc somnium Thorleivo sapienti retulit, qui id ita est interpretatus: magnam ex eo orituram progeniem, regnis magna gloria imperaturam, neque tamen omnes pari; ex qua progenie unum fore, qui omnes magnitudine, præstantia et dignitate superaturus esset. Et vulgo pro explorato habent, hoc cirro significatum esse Olavum Haraldi filium, qui propter sanctitatem suam omnibus Norvegiæ regibus major et, id quod inter omnes constat, in cœlis et in terra clarior est. Halvdan erat sapientiæ et æquitatis studiosissimus;

leges posuit, ipse sancte custodivit, et ut alii observarent, diligenter curavit; atque ne legum auctoritas insolentia hominum violaretur, ipse multas constituit, certasque pro sua cuique auctoritate ac dignitate formulas præscripsit.

De rege Halvdane.

4. Accidit vespere quodam festi jolensis, cum rex Halvdan cum omnibus aulicis mensis accubuisset, quo loco convivium jolense ei apparatum erat, ut omnis victus, cibus et cerevisia, omnisque convivio destinatus apparatus, de mensis subito sublatus evanesceret. Suam quoque domum repetente, rex Halvdan tristis remansit; et ut certior fieret de causa hujus novæ rei, multis modis eam investigavit. Finnus aliquis magiæ peritus cum rege Halvdane versabatur; hunc prehendi et ad verum fatendum torqueri jubet; neque eo magis quidquam certi indagare potuit. Finnus ille auxilii ergo maxime confugit ad Haraldum, regis Halvdanis filium, qui cum ad patrem accedens, pacem ei frustra petiisset, eum dimisit seque ipse fugæ comitem addidit. In quo itinere cum ad principem quendam, qui forte convivium agebat, devertissent, liberaliter sunt excepti. Hic cum aliquantum temporis essent morati, princeps Haraldo: magnam sibi pater tuus in eo factam injuriam existimat, quod eum copia quam convivio jolensi destinarat, spoliavi; qua de re ego tibi satisfaciam, si me consilii ergo adire volueris. Tu jam primum domum repetito; is enim, cujus liberatio tibi soli reservata est, a quo maxima ad te ornamenta proficiscentur, nunc in periculo versatur; tibi enim fortuna dabit, ut totius Norvegiæ monarcha fias. Dein Haraldus se ad redeundum paravit. Nunc ratio demonstranda est, quapropter ethnici festum jolense celebrare consveverint, quæ ratio ab christianorum diversa est;

hi enim festum jolense celebrant propter nativitatem domini nostri Jesu Christi: ethnici vero convivium instituerunt in honorem et gloriam mali illius Odinis, qui multis nominibus appellatur; scilicet vocatur Vidrer et Har et Thridius et Jolner: Vidrer, quod tempestatibus præesse credebatur; Har, eo quod dicebant, ex eo quemque celsum fieri; Jolneris appellationem a festo jolensi deduxerunt; eundem Thridium appellabant, quod certiores facti erant, Deum optimum unum ac trinum esse, quam trinitatis notitiam in errorem converterunt.

Haraldus Dovrium liberavit.

5. Jam de rege Halvdane narrandum est. Qui cum in Oplandis quietus se contineret, res nova accidit, quod magna pecuniæ summa resque pretiosæ ex ærario regio surreptæ erant, cujus facinoris auctor ignorabatur. Quæ res regem valde sollicitum habuit, cui persvasum esset, eundem sæpius eodem adfuturum. Itaque rem machinationibus et validis devotionibus ita curat instituendam, ut, quicunque domum ingredi et pecuniam surripere conatus esset, ibidem remanere hominumque adventum exspectare cogeretur. Cumque rex non dubitaret, magna esse statura et viribus, qui talia in se facinora admitteret, eximias compedes ex durissimo chalybe fabricandas firmissimaque vincula plumbea contorquenda curavit. Inde id memorabile accidit, ut primo mane diei alicujus, cum homines in ærarium venissent, ibidem gigas aliquis inusitatæ magnitudinis conspiceretur, monstrum crassum et procerum. Illi se magno numero in eum ingerentes, compedesque injicientes, majorem in modum robore valentem experti sunt. Tandem, cum sexaginta viri manus ei injecissent, compedibus eum incluserunt, vinculisque plumbeis manus post

tergum firmiter revinxerunt, quod ille ægerrime tulit. Ab rege Halvdane de nomine interrogatus, se Dovrium vocari, domiciliumque in monte ex se denominato habere indicavit. Interrogatus porro, an aurum furatus esset, verum esse fassus, incolumitatem imploravit, pollicens, se aurum triplo restituturum. Rex vero eum nunquam incolumitatem impetraturum denuntiavit, sed ibidem in vinculis permansurum, donec comitia indicta essent, ubi condemnatus turpissima morte plectendus esset. Vetuit etiam, ne quis ei opem ferret, nev cibum daret; qui fecisset, nulla reliqua conditione, capite lueret. Ita rex domum reversus est, Dovrius in vinculis remansit. Paulo post Haraldus domum rediit. Qui cum rem gestam comperisset, quæque pater esset comminatus, intelligens se frustra pro eo deprecaturum, ipse tunc quinque annos natus ad Dovrium, qui jam majorem in modum frontem contraxerat, doloreque acri tactus erat, accessit, eique dixit: iniquum in locum devenisti, an vitam a me accipere cupis? Ego vero nescio, inquit Dovrius, propter minas patris tui, an tanto te velim periculo objicere. Quid est quod eam rem cures? inquiens Haraldus, stricto quo cinctus erat, quemque Finnus ei dederat, gladiolo, eximiæ virtutis telo, compedes vinculaque plumbea, quibus revinctus erat Dovrius, dissecuit. Qui cum solutus esset, pro concessa vita Haraldo gratias egit, seque inde abstulit; [in colligandis calceamentorum corrigiis tempus non terens, cauda in tergum rejecta[1], aufugit tam subito, ut si in auras evanesceret.

Dovrius Haraldum arcessitum secum abstulit.

6. Post paulo, cum Dovrius desideraretur,

[1]) hæc utraque phrasis summam celeritatem indicat; posterior a consvetudine canum mutuata est.

rege interrogante quis dimittendi ejus auctor fuisset, Haraldus eum ab se solutum fassus est. Quam ob rem tanta rex ira incensus est, ut filium Haraldum domo exigeret, verbo quidem ostendens, se induci non posse, ut eum occidi juberet, severe tamen interdicens, ne quis ei opem ferret, auxilium a gigante Dovrio petere jussit. Itaque Haraldus se in agros et silvas subduxit, continuas noctes sub dio egit. Quinque noctibus elapsis, cum fame sitique admodum fatigatus esset, in loco quodam silva vacuo forte constitutus, virum conspicatur inusitatæ staturæ, quem Dovrium gigantem esse facile agnovit. Hic locutus est: neque tua, regis fili, res in bono loco est, quo nunc versaris; quod mea opera effectum esse haud sine causa dici forte potest; tu vero mecum ad domicilium meum concedere vis? Annuentem Haraldum in sinum recipit, eumque cito admodum gradu portat usque eo, donec ad ingens aliquod antrum pervenit. Antrum ingrediens, cum se minus quam cogitarat inclinaret, puerum, quem brachio gestabat, in superiorem antri rupem tanta vi impulit, ut extemplo deliquium animi pateretur. Hic Dovrius, magnum sibi accidisse infortunium existimans, si puerum interfecisset, tantopere animo commotus est, ut super eum lacrimas funderet. Interea vero dum ringebatur et caput concutiebat, Haraldus ad se rediens in senem Dovrium suspexit, labia inflectentem, buccas inflantem, oculos distorquentem; cujus lineamenta faciei, majorem in modum crassa et gigantea, intuitus: vere dicunt, nutricie, inquit, faciem lacrimantis minime pulchram esse, nunc enim tu mihi vultu majorem in modum fœdo et immani esse videris; sed bono animo sis, nam mihi nihil damni accidit. Qua re

lætatus Dovrius puerum in antro deposuit. Ibi Haraldus per quinquennium versatus est, neque ullius rei necessariæ inopiam est expertus. Dovrius eum adeo diligebat, ut nihil non ei concederet; multas eum scientias edocuit, artibusqûe liberalibus adsvefecit. Haraldus interea staturæ viriumque magnitudinis magna cepit incrementa. Ferunt Dovrium aliquo die in colloquium Haraldi venisse, et ita locutum esse: jam tibi gratiam servatæ vitæ meæ reddidisse mihi videor, nunc enim regiam tibi dignitatem conciliavi; nam pater tuus, idque non sine aliqua opera mea, mortuus est. Itaque domum redi, et regnum tuum accipe. Auctor tibi sum, ut neque crinem neque ungves seces, priusquam monarcha totius Norvegiæ evaseris. Ego te præsenti auxilio juvabo, et in prœliis adero; quæ res aliquam tibi utilitatem præstabit, nam cum haud facile ab aliis conspici queam, magnam hostibus calamitatem vulneribus infligendis afferre potero. Jam ave valeque, omnia tibi in gloriam et fortunam, honorem et prosperitatem cedant, non eo minus quod mecum fueris versatus. Quorum mutuus discessus animum Dovrii magnopere movit. Haraldus vero, domum redux, rex creatus est omnium provinciarum, quibus pater ejus imperaverat. Cumque suis significasset, quo loco quinquennium proxime præcedens consumsisset, Dovrii alumnus est appellatus.

Obitus Halvdanis.

7. Rex Halvdan eum habuit vitæ exitum, ut a convivio, quod in Hadalando celebrabat, per lacum Randam dictum rheda vectus, cum in Rikkilsvikam venisset, diffracta glacie, prope ab eo loco, ubi aquaria boaria fuerant, cum magna comitum parte interiret, quadraginta annos natus, cum duos et viginti annos rex fuisset. Qui cum

ubertate annonæ felicissimus fuisset, cognita morte ejus, cum funus ex Ringarikia ad sepulturam deportaretur, tanto desiderii dolore incolæ tacti sunt, ut principes summæ auctoritatis e Vestfoldia, Vingulmarkia et Raumarikia eo adscenderent, atque peterent, ut funus secum asportare et in suis provinciis sepelire liceret, magnam inde orituram annonæ felicitatem rati. Qua de re ita inter eos convenit, ut corpus in quatuor partes divideretur: caput prædio Steine in Ringarikia tumulo inlatum; principes autem suam quisque partem domum retulerunt, tumulosque in sua quisque provincia exstruxerunt, qui Halvdanis tumuli appellantur; quos multi homines sacrificiis et religione coluerunt, donec cognati ejus vetarent.

INITIA IMPERII HARALDI PULCHRICOMI.

Haraldus Halvdanis filius, Dovrii alumnus dictus, decem annos natus imperium suscepit Ringarikiæ, Vestfoldiæ, Vingulmarkiæ et Raumarikiæ. Guttormus, avunculus ejus, tum sedecim annorum erat, vir omnes æquales pulchritudine et virium magnitudine præstans, ore venusto, sapientia insigni et ingenio ad magna adspirante; is, aulicis præfectus, universæ reipublicæ administrationem suscepit. Rex Haraldus Guttormum, cognatum suum, toti exercitui ducem præfecit. Erat id temporis Haraldus annorum numero juvenis, sed virium staturæque magnitudine maturus, diuque post hæc, ut fert natura et ætas humana, adolevit. Coma ejus, quod attinet ad pulchritudinem, cum bombyce comparari potest, longitudine et densitate cujusvis hominis, tam viri quam feminæ, comam quantum eo tempore in regnis borealibus cognitum esset, superavit. Huic consimilis erat pulchritudo corporis, statura, virium magnitudo, animus, fortitudo, liberalitas, audacia: hæc omnia matura; nec deerat pertinacia animi, aliorumque consiliis minus obsequens ingenium. Accessit ea fortunæ prosperitas, quod destinatus esset præfectus Norvegici imperii; quod imperium ad hoc usque tempus ejus genere floruit, et posthac florebit. Neuter, neque pater Halvdan, neque filius Haraldus, tempore festi jolensis fortunam prosperam expertus est. Thor Haraldum omni copia convivii jolensis, quam sibi amicisque com-

paraverat, spoliavit; idem Odin Halvdani fecerat. Vespere proximi festi jolensis Svasius advenit, dolisque Haraldum pellexit, ut Snæfridam Finnam uxorem duceret: ex qua procreavit Sigurdum Risium, Halvdanem Haleggum, Gudrodum Stiram[1], Rognvaldum Rettilbeinem. Haraldus apud suos gratiosus fuit; viri ætate provecti sapientia consiliorum et prudentia propositorum in familiaritatem ejus se insinuabant; multi juvenes virique fortitudine insignes ei se adsociare studebant propter sedes honorificas, munerum distributionem, aulicique ordinis splendorem; sic Thjodolvus Hviniensis, vetus horum regum amicus;

Multi viri
fortitudine insignes
alacrem principem
visum ibant;
neque minus
regem sunt comitati
viri ætate provecti,
eique cari fiebant.

Rex aurum distribuens,
bona præditus memoria,
multas doctrinas
a senibus didicit.
Oplandorum princeps
suam ob liberalitatem
populi universi
gratiam sibi conciliavit.

Imperator gloriosus
fortes satellites
rubro auro,
multis annulis,
splendidis loricis,

[1]) Fagurskinna ei cognomen dat *skirra*, quod idem esse videtur ac *ljómi* (splendor) in Heimskringla.

acutis ensibus,
politis clypeis et
ornatis donavit.

Illi dona ab rege accepta laudum præconiis, quorum memoria, quoad non obmutescet lingva Danica, non obliterabitur, remunerati sunt. Talibus argumentis ejus gloria deprædicatur. Hoc vero testimonium liberalitatis ejus nostra narratio exhibet: cohonestarunt eum fideli comitatu strenueque navata opera athletæ illi, qui adeo erant animi præcipites et intrepidi, ut primorem aciem regis defenderent, amiculis lupinis vice loricarum induti. Sic Audun Ilskælda[1]:

Ulvhedines appellantur
qui in prœlio
cruentos clypeos gestant,
hastas ut rubefaciant,
quando ad pugnam procedunt;
eis ibi commercium una est.
Solos audaces viros eo loco
stare decere arbitror,
quando probi illi milites
clypeos ictibus contundunt[2].

Ex his omnibus Haraldus Dovrii alumnus celeber evasit, neque solum provincias a patre re-

---

[1]) Fagurskinna sequentes versus tribuit Thorbjorni Hornklovio.

[2]) Constructio: *þeir heita Ulfhèðnar a), er bera blóðgar randir í orrostu b), at c) rjóða vigr d), e) er koma til vigs; þeim er þar sýst f) saman. Ek hygg áræðismönnum einum [hæfa at standa g) þar, [þá er skilvísir skatnar h) i) höggva í skjöld.*

a) i. e. lupina pelle induti. *b) orrostum, Æ. c) omitt. Æ, T. d) omitt. Æ, vigrar, T. e) þá, add. Æ. f)* i. e. negotium, a *sýsa*, ut *fýst* a *fýsa. g)* a [: *undir felast, Æ, T,* vide *i. h)* a [: *skyli sá hinn skilvisi, Æ, T. i) þeim er, add. Æ, T;* ɔ: *ek hygg sá hinn skilvisi skyli felast þar undir einum áræðismönnum, þeim er höggva í skjöld,* arbitror probum illum regem ibi se solis audacibus viris committere, qui clypeos dissecare sciant.

lictas fortiter retinuit, sed etiam imperii fines propagavit, ut multa exempla docent, partim prœliis, partim superiores imperatores blanditiis lacetando; quædam in potestatem redegit, commodis occasionibus usus, quædam acutis cogitatis et longinquis consiliis aut aliquo fortunæ impetu.

Casus Gandalvi ac fratrum.

2. Post obitum Halvdanis Nigri multi principes, ab eo regnis exuti, regnum Haraldi Dovrii alumni oppugnatum iverunt, ductu Gandalvi et fratrum, Hognii et Frodii, Eysteinis regis Heidmarkiæ filiorum; et Hognius Karii filius per multa Ringarikiæ loca grassabatur. Igitur Hakius Gandalvi filius, trecentis sexaginta viris stipatus, suscepto in Vestfoldiam itinere, per superiora Dalorum profectus, regem Haraldum Dovrii alumnum imprudentem opprimere cogitavit; rex vero Gandalvus, in Oplandis cum copiis suis se continens, trajecto sinu in Vestfoldiam irrumpere parabat. Quibus cognitis rebus dux Guttormus milite collecto se regi comitem adjungit. Itaque Haraldus, in mediterranea profectus, primo adversus Hakium movet, eum in valle quadam deprehendit, prœlium committit, victoria potitur; cadit Hakius cum maxima copiarum parte; locus exinde Hakadali nomine insignis. His rebus gestis, rex Haraldus et dux Guttormus revertentes, regi Gandalvo, qui tum in Vestfoldiam irruperat, obviam tendenti obcurrunt; congressi prœlium committunt; rex Gandalvus, amissa maxima suorum parte, fugæ se mandat, atque ita re gesta in regnum suum ægre evadit. Quibus cognitis rebus, filii Eysteinis Heidmarkiæ regis, invasionem brevi fore prævidentes, nuntium Hognio Karii filio et duci Gudbrando mittunt, tempusque et locum, quo in Heidmarkia conveniant, præstituunt.

Illi[1], magno coacto copiarum numero, in Oplanda flectunt; audiunt, quo loco reges Oplandensium convenire statuerint; media nocte adveniunt, excubitoribus animum non prius advertentibus, quam milites exitum cubiculi, in quo rex Hognius versabatur, item ejus, in quo Gudbrandus dormiebat, occupassent. Utrumque rex Haraldus subjecto igne incendit. Eysteinis filii, eruptione facta, cum rege Haraldo confligunt; cadit uterque, Hognius et Frodius. Post casum horum quatuor principum rex Haraldus Dovrii alumnus, actore et auctore Guttormo cognato suo, Ringarikia, Heidmarkia, Gudbrandsdalis, Hadalando, Thotno, Raumarikia, Vingulmarkiæ parte septemtrionali potitus est. Post hæc rex Haraldus et dux Guttormus bellum et prœlia fecerunt adversus regem Gandalvum, eo tandem exitu, ut Gandalvus et regno et vita spoliaretur; quo facto rex Haraldus omnes provincias ad Albim usque Gothorum in suam potestatem redegit.

Rex Haraldus Gydam Eiriki filiam duxit.

3. Tum rex Haraldus Gydam, Eiriki Hordalandi regis filiam, duxit; quæ cum regi proposuisset, ut totam Norvegiam sub suam potestatem redigeret, quemadmodum in Historiæ regis Olavi Tryggvidæ capite secundo commemoratum est, rex Haraldus votum vovit, se comam neque comturum neque tonsurum, priusquam Norvegiam singulari imperio subjectam haberet; quam ob causam Haraldus Luva (comatus) cognominatus fuit. Ex Gyda hos filios suscepit: Guttormum, Harekum, Gudrodum.

Prœlia, quibus rex Haraldus Norvegiam subegit.

4. Rex Haraldus Luva et dux Guttormus ex Oplandis boream versus per Dalos profecti, tra-

[1]) Rex Haraldus et dux Guttormus, *Hkr.*, quod necessario subaudiendum.

jecto monte Dovrino, cum in tractum habitatum descendissent, homines interficiendos, villas inflammandas curarunt. Quibus incolæ animadversis omnes aufugerunt, pars in Orkadalum, pars in Gaulardalum descenderunt, pars in silvas confugerunt, alii incolumitatem implorarunt, quæ omnibus regem convenientibus et ejus se ministeriis addicentibus concessa est. Nullo resistente ad Orkadalum progressi sunt. Hic exercitu collectitio transitum prohibente, primum prœlium fecere adversus ejus territorii regulos. Hic rex Haraldus victoriam reportavit, illi vero ceciderunt. Quo facto provinciam Orkadalensem sibi subjecit, cujus incolæ ei se submiserunt, eumque dominum agnoverunt. Rex Haraldus Luva, ubicunque provincias sibi subjecisset, constituit, ut omnes fundi hæreditarii ipsius possessionis essent, colonique omnes, sive majoris sive minoris auctoritatis, ipsi mercedes prædiorum solverent. Cuique provinciæ dynastam præfecit, qui jura diceret, multasque et mercedes prædiorum exigeret; hic tertiam tributorum ac mercedum partem in mensam et sumtum sibi haberet. Unusquisque dynasta sexaginta viros suo sumtu aleret, quisque præfectus viginti; quisque dynasta quatuor aut plures præfectos sibi subjectos haberet, quorum singuli vicenarum selibrarum præfecturas haberent; tantum autem rex Haraldus onera et mercedes prædiorum auxerat, ut ejus dynastæ non minoris essent potestatis, quam reguli provinciales. Cum vero hæ res fama per Thrandheimum evulgarentur, multi potentes viri ad eum venerunt ejusque se tutelæ commiserunt. Tum ad regem Haraldum ex Yriis auxilii gratia advenit dynasta Hakon Grjotgardi filius magno militum numero stipatus. Post hæc rex Haraldus Luva Gaulardalum ingressus, prœlium ibi fecit,

duos regulos prostravit, provinciasque Gauldalensium et Strindensium sub suam potestatem redegit; Hakoni dynastæ præfecturam in Strinda dedit, eumque provinciæ Strindensi dynastam præfecit. His gestis rex Haraldus Luva in Stjordalensem provinciam irrupit, ibi tertium prœlium fecit, victoriaque potitus, eam provinciam suæ ditioni adscripsit. Tunc Thrandheimi interioris incolæ copias collegerunt, quatuorque reguli cum suo quisque exercitu aderant, quorum unus Veradalo præfuit, alter Skanniæ, tertius provinciæ Svarfbyggensi[1], quartus ex insula Idia[2] provinciæ Eynensi (insulanorum) imperavit. Hi quatuor reges exercitus suos adversus regem Haraldum duxerunt, cumque rex Haraldus prœlium cum eis conseruisset victoriaque potitus esset, partim ceciderunt, partim aufugerunt. Rex Haraldus Luva omnino quatuor aut quinque prœlia in Thrandheimo fecit, prostratisque octo regulis totum Thrandheimum in suam potestatem redegit. Dynastis id officii injunctum est, ut regi Haraldo omnibusque aulicis ejus convivium quotannis struerent.

Prœlium regis Haraldi cum Atlio.

5. Haraldus autem, curis rerum necessariarum avocatus, cum ad condictum adesse non posset, ut convivia dynastæ sui, Atlii Sogniensis, obiret, suos misit, qui convivio fruerentur; quæ consvetudo per tres ætates tenuit. Regii, cognatis et amicis secum invitatis, convivium amplius centum et viginti viris comitati obierunt, præbita iniquo animo acceperunt, magnasque turbas inter potandum excitaverunt. Quarta æstate qua regii convivium obirent, eos cum dedecore abegit, quod insolentiam eorum ferre noluit, et

[1]) Sparbyggensi, *Hkr.* [2]) interiori, *Hkr.*

a rege petiit, ut aut ipse convivium suum obiret, aut pecunias convivales sumeret. Hi viri regem Haraldum, Ladis in Thrandheimo convivium obeuntem, convenientes, quam indigne accepti fuissent, demonstrarunt. Quæ cum regi displicerent, Hakon dynasta præfecturam ab eo petiit, ut provinciam Sogniensem sibi eadem lege, atque Atlio dynastæ, concederet. Concessit rex. Eodem anno Hakon grandævus copias Thrandorum et Halogianorum meridiem versus secundum litora duxit, obviam procedente Atlio, dynasta Sogniensi. Congrediuntur Fjalis in Stavangro[1], copias in aciem producunt, prœliumque committunt. Hakon dynasta et pauci cum eo homines occiderunt, Atlius dynasta vulneratus, postea in insula, Atloa dicta, obiit. Post hæc filii dynastarum bellum inter se gesserunt, filiique Atlii aufugerunt, Sigurdus vero Hakonis filius in familiaritatem regis Haraldi pervenit et ab eo dynastæ titulo ornatus est. Deinde rex Haraldus Luva totum Thrandheimum et valentissimas regni provincias sibi subjećit, partim voluntate eorum qui antea tenuerant, partim amicalibus muneribus, partim consiliis, partim terrore, partim prœliis, quæ omnia ei ex sententia succedebant, tum propter ipsius, tum propter athletarum ejus fortitudinem; tertio, quod Dovrius abunde ei consilia suppeditare, inimicis ejus in prœliis calamitatem inferre, hominesque ex manipulis hostium oculis ad cædem designare credebatur, quod quidem facile efficere potuit, quippe qui in prœliis a nemine nisi lynceis oculis prædito conspici posset. Hæc hisque similia ipsum imperiumque ipsius promoverunt, atque præterea, quod maximi erat, gloria illa et fortunæ prosperitas, qua ita fulciebatur, ut nemini

[1]) Stavanesvogo, *Hkr.*

non frustra esset cum eo contendere, quemadmodum eventus docuit, cum ipsi destinatum esset, quod nemini antea contigit, ut monarcha totius Norvegiæ ceterarumque provinciarum eodem pertinentium, quæ sub imperio posterorum ejus perpetuo manserunt, evaderet; accedit gloria, omnia superans, quod ab eo descenderunt viri excellentes et regnis borealibus perutiles, qualis erat rex Olavus Tryggvii filius, qui omnium regum Norvegicorum primus veram religionem observavit, et sanctus ille Olavus Haraldi filius, qui sanctitate sua omnibus Norvegiæ imperantibus præstantior et excellentior est, quique eo, quod terrarum ante dictarum rex esset, summam cunctis regnorum septemtrionalium incolis felicitatem attulit.

Prælia regis Haraldi.

6. Post hæc Haraldus iterum votum vovit, se non ante comam suam tondi jussurum, quam vectigalia ex quavis valle mediterranea et promontorio maritimo, omnibusque interjacentibus territoriis, quantum Norvegia orientem versus ad loca silvestria et septemtrionem versus ad oceanum pateret, accepisset. Hinc longa præliorum series extitit. In Naumudalo, in parte regni septemtrionali, duo fratres reges erant, Herlogus et Rollogus. Hi tres æstates in tumulo quodam exstruendo consumserant, qui tumulus calce, lapidibus et lignis constructus est. Quo perfecto, cum fratres cognovissent, regem Haraldum adversum eos ducere copias statuisse, rex Rollogus magnam cibariorum et cerevisiæ copiam vehi ad tumulum jussit, quo facto rex Herlogus cum duodecim viris in tumulum ingressus, occludendum curavit. Rex Rollogus tumulo, in quo reges considere solebant, conscenso, in regia sede, quam

ibi collocandam curarat, resedit, scabellumque, quo dynastæ sedere consverunt, pulvinaribus sterni jussit; tum se ipse ex sede regia in sedem dynastæ devolvit, sibique nomen dynastæ dedit. Quo facto regi Haraldo obviam profectus, ei totum regnum suum dedit, pro domino agniturum pollicitus, suamque omnem agendi rationem explicuit. Hic rex Haraldus sumtum gladium cingulo ejus affixit, clypeum collo adaptavit, deductumque in celsam sedem dynastam esse jussit, provinciam Naumdalensem administrandam dedit; cui provinciæ ille præfuit. Post hæc rex Haraldus in Thrandheimum reversus, in Mœriam proficisci paravit, navesque longas comparavit; Mœrienses autem et Raumdalenses, contracto exercitu collectitio, cum magna classe navium bellicarum ei occurrerunt. Hic rex Haraldus primum navale prœlium fecit. Quo prœlio rex Haraldus victoriam reportavit, rex Mœriensium cecidit. Sic Hornklovius:

Imperiosus, ætate puer, vastator
flavi undarum equi in mare
tabulas navium fortunatissimo
tempore deducendas curavit.
Armipotens rex equum tabularum
a septemtrionibus agitavit ad Hildæ
procellam adversus duos regulos (ciendam).
Res eo prorsus modo evenit[1].

---

[1]) Constructio: [*harðráðr barnungr hrjóðr eus bleika báru fáks a) lèt hærstrar tiðar þrungit skipa barðum b) á lög c). Hlifar valdr rak borðhölkvi d) norðan til e) Hildar hreggs f) tveggja döglinga. þar sva at barz g) at borði.*

a) sic Æ, N, Sk; flaks (ɔ: *flakks*), lupi, eod. sensu, *Flat.*, intelligitur navis. *b) sic N; baðum, Æ*, mendose; *bavrþum*, id., *Sk.*, (ed. Rask. p. 166); *borðum*, id., *Flat.* *c) sic Æ, N, Sk; álög* (una voce), *Flat.; a [omitt. Hkr.* *d) sic N; hölkvis, Hkr.*, in genit., qui h. l. impeditiorem reddit constructionem; *hösvæ, Æ*

Porro Thorbjörn Hornklovius sequentia addit:
Haralde, munificentia spectate!
nullus alius princeps, regio
genere ortus, te præstantior
solis antiquum adspiciet solium.
Rex hastarum procellam agitavit
cum viris. Alites vulnerariæ
ululabant in Skogulæ strepitu, ubi
rubra vulnera sangvinem ejaculabantur[1].
Idem porro:
Ferox gladius ad scuta increpuit,
quando viri in prora anteriori
a rege prostrati exanimes collaberentur;
Violator gladiorum victoria potitus est.
Et elegantes principes sonoris
ictibus inter se in prœlio
salutaverunt. Vox rubrorum
clypeorum sine verbis perduravit[2].

(meum exscr.), lupum (ut puto), eod. sensu, nam intelligitur navis (*hælkvi*, ex var., id. qv. *hölkvi*); *hrökkvir*, *Flat*, obscure, hoc quidem contextu. c) *sic Hkr*; *fyrir*, *Flat*. f) *Hkr*.; *hregg*, *Flat*. g) *Hkr*. *Æ*; *banz* (forte = *bazt*) *N*; *barðs*, *Flat*.

[1]) Constructio: [*gjafli rendr Haraldr! nè kemr annarr konungmanna a) æðri yðr und gamlan gnapstól sóla b). Gramr háði c) geira d) hregg við e) seggi. Bengögl gnúðu f) [í dyn g) Sköglar, þar er rauð ben fnýstu h) blóði.*

a) verissima conjectura Prof. F. Magnusenii; *konunga*, *Flat*. b) i. e. cœlum; a [absunt in *Hkr*. c) *Hkr*, *N*, *Æ*, *Sk*; *hafði Flat*. d) *Hkr*, *N*, *Æ*, *Sk*; *geirs*, *Flat*. e) iid.; *viðar*, *Flat*. f) *Hkr*, *Sk*; *gnúði*, *Flat*. g) *Hkr*, *Æ*, *N*; *at dyn*, id., *Sk*; *ara*, *Flat*. h) sic, aut *fnýsti*, *Hkr*, *Æ*, *N*; *fnustu* (*fnýsti*), *Sk*; *fýsti*, *Flat*.

[2]) Constructio: *æfr hjör gall við hlífar, þá er seggir a) hnigu fjörvanir á rausn fer b) ræsi; egghroðr c) rèð sigri. Ok ofnæfrir d) jöfrar kvöddust dynskottum e) at morði; rödd rauðra randa endist f) orðalaust.*

a) *Hkr*; *leggja*, *Flat*. b) sic *Flat*; *fyri*, id., *Hkr*. *N*, *Æ*. c) *egglituðr*, iid., tingens aciem gladii, bellator. d) *allsnæfrir*,

Hac pugna pugnata rex Haraldus Nordmœria et Raumsdalo potitus est. Eo tempore Rognvaldus dynasta, filius Eysteinis Glumræ, ad eum venit eique se addixit; longoque deinceps tempore regi Haraldo amicissimus fuit. Rex Solvius Hundolvi filius eum militibus, qui secuti ejus castra fuerant, e prœlio adversus regem Haraldum facto evaserat; is regem Sunnmœriæ Arnvidum convenit, eumque ambo ex ea provincia copias contraxissent, et Audbjorn rex Fjordensis eis auxilio venisset, hi tres reguli adversus regem Haraldum moverunt, congressique eum eo intra Solskelam, acre prœlium commiserunt. Hic complures ex militibus regis Haraldi ceciderunt, nominatim, Asgautus et Asbrandus, dynastæ ejus, Grjotgardus et Herlogus filii Hakonis dynastæ; cecidere reguli, Arnvidus et Audbjorn; Solvius fuga evasit, qui piraticæ operam navans magnam sæpius calamitatem imperio regis Haraldi attulit. Post hæc rex Haraldus Sunnmœriam sibi subjecit; rex autem Vemundus Kamban provinciam Fjordensem regia potestate (adhucdum) tenuit. Hæc eum autumno accidissent, fuere qui hortarentur, ne tempore autumnali Stadum prætervcheretur. Itaque rex Haraldus Rognvaldum dynastam utrique Mœriæ et Raumsdalo præfecit, seque magno militum numero circumstipavit, atque iter septemtrionem versus in Thrandheimum convertit. Eadem hieme Rognvaldus dynasta superiori itinere per Eidum profectus, meridiem versus in Fjordos iter fecit, atque de rebus Vemundi regis per speculatores certior factus,

perquam alacres, *Hkr*; *osnæfrir*, id, *Æ*; *orðnöfrir*, in dictis faceti, *N*. e) *dynskotum*, id., *Hkr*; *dunskotum*, id, *Æ*, *N*. *f*) i. e. summa contentione et animorum ardore pugnatum est, ita ut neutri ulla inter se verba commutarent.

noctu cum suis ad prædium Naustdalum[1] devenit, ubi rex Vemundus convivio intererat. Rognvaldus dynasta, exitibus ædium occupatis, regulum unacum nonaginta viris in tectis concremavit. Post hæc Berdlokarius cum nave longa milite plene instructa adveniens, cum Rognvaldo dynasta se conjunxit, et utrique septemtrionem versus in Mæriam profecti sunt, cum Rognvaldus dynasta naves, quæ regi Vemundo fuerant, omniaque bona mobilia, quibus potiri fas erat, secum abduxisset; Berdlokarius boream versus in Thrandheimum ad regem Haraldum se contulit; cumque insignis esset athleta, satelles regis factus est. Insequenti vere rex Haraldus cum classe navium meridiem versus litora legens, Fjordos ac Fjalas in potestatem redegit, quo facto Sognium ingressus rempublicam ordinavit. Proximo autumno in Thrandheimum rediit, ubicunque locorum prœlium committeret, victoria potitus.

Prœlium regis Haraldi adversus Eirikum.

7. Ultimum et maximum prœlium rex Haraldus cum regulis, Eiriko rege Hordorum, [Stokkvio dynasta[2] Rogalandiæ et Sotio fratre ejus, commisit; ad idem prœlium adfuere ab oriente ex Agdis rex Kjotvius dives et Thorer Haklangus (Mento), multique proceres ex territoriis orientibus; item Hordii Rygiique, quo meridiem versus obviam Agdensibus contenderunt. Hos insecutus rex Haraldus, in sinu, Havursfjordo dicto, ab Jadare in septemtrionem verso, constitit; quo loco hi tres reguli, multique dynastæ ceterique proceres convenerant. Eodem ingens navium classis advenerat, quam reguli adversus regem Haraldum in aciem provexerunt. Sic Thjodolvus:

[1]) sic *Hkr.*; Raumsdalum, *Flat.* [2]) Sulkio rege, *Hkr.*

Auditum est[1], in Havursfjordo
quam fortiter[2] certaverit
rex ille generosus
cum Kjotvio[3] divite[4].
Naves venerunt ab oriente
certaminis avidæ
cum hiantibus capitibus
et cœlatis aplustribus.

Idem porro:

Hæ onustæ erant militibus,
candidis clypeis,
hastis occidentalibus,
et gallicis gladiis.
Athletæ clamarunt,
quibus Gunna[5] parceret[6];
ulularunt[7] Ulvhedines,
telaque[8] momorderunt[9].

Idem porro:

Tentarunt intrepidum illum,
qui[10] eos fugere docuit,
Ostmannorum monarcham[11],
Utsteine habitantem.
[Stetere naves coloratæ
regis ad prœlium promti[12];

---

1) audisti v. audistin', *Hkr.*; audi, *Æ, N.* 2) *hraustliga*], *hizig*, illic, *Hkr*; *hizi*, id., *Æ*; *hizug*, id., *N.* 3) *Kjötva hinn*] *Kjötvan*, id., suffixo pronomine, *Æ, N.* 4) *auðlagða*] *auðga*, id., *Hkr.* 5) i. e. Bellona; *grunr*, suspicio v. metus, *N.* 6) *er þeim hlifði*] *var þeim á sinnum* eis in motu erat, *Hkr, N*, ubi mallem excludi *τό þeim*; *sumum* pro *sinnum*, mend., *Æ.* 7) correctum; *enjuðu*, prave, *Flat*; *œnn uðu*, *N*, mendose ex *œmiuðu*; *ymdu*, id., *Æ.* 8) *ok i sar*, N; *ok isar jarn*, *Æ*, ubi *τό jarn* glossema est. 9) *dúðu*, motitarunt, *Æ, N*; *gullu*, sonuerunt, *Hkr.* 10) *er*] *at*, id., *Æ.* 11) *allvalds*] *Hkr, Æ, N*; *alvaldr*, *Flat.* 12) *a* [: naves ex stationibus (navalibus) deduxit rex, cum bellum ingruere intellexisset, *Hkr, Æ, T.*

collisio extitit clypeorum[1],
antequam Haklangus caderet.

Idem porro:

Tum distæduit [regem
illum[2] collo crassum
provincias Luvæ retinere;
insulaque pro clypeo[3] usus est[4].
[Sub transtra[5] se dejecere,
qui vulnerati erant,
exstare[6] postica fecerunt,
capita in carinam cernuarunt.

Idem porro:

In tergo splendere[7] fecerunt
(quippe lapidibus percussi)
scandulas palatii Svafneriani[8]
circumspectantes adversarii;
effuse ruebant [orientem versus[9]
per territoria Jadaris,
domum ex Havursfjordo cucurrerunt[10],
et de potando mulso cogitarunt.

Post hæc rex Kjotvius cum omnibus copiis suis fugam capessivit, ipseque interiora versus in insulam quandam, ubi expugnari non potuit, confugit, militibus ejus partim navibus aufugientibus, partim in terram excurrentibus; Sic Thorbjorn Hornklovius:

---

[1]) *hlífum*] *lífðum*, forte id., *Æ*, *T*. [2]) *hilmi hinum*] *hilminum*, id., pronomine suffixo, *Æ*, *N*. [3]) *skildi*] *skjaldi*, id., *Hkr*. [4]) *lèt*] *Hkr*, *Æ*, *N*; *lètu*, usi sunt, *Flat*. [5]) *und sess þiljur*] *Hkr*, *Æ*; *sess um þiljur*, *Flat*. [6]) *standa*] *stúpa*, eminere, *Hkr*, *Æ*, *N*. [7]) *blika*] *blikja*, id., *Hkr*, *Æ*, *N* [8]) i e clypeos, quos in tergum fugientes rejecerant. [9]) *austr*] *auðkylfur*, clavæ divitiarum, i. e. viri divites, *Hkr*, *Æ*; *austkylfur*, clavæ sentinæ, i. e. naves, *Æ*, (meum exempl.) ex quo depravata sunt *austkylgur*, *N*, *austkylpur* Cod. *A*, *Hkr*. [10]) *hlupu*] *ljopu*, id., *Hkr*, *Æ*; *ljupu*, id., *N*.

Tum distæduit præfectos
et principes
se diutius adversus
Luvam tueri;
aufugit quisque,
quantum potuit,
fortium bellatorum
ex Havursfjordo[1]

Hic rex Haraldus tantam hominum rationem habuit, a suisne partibus stetissent an non, ut qui castra sua fuissent secuti, hos opibus et honoribus, quemque pro natalium ratione præmiis ornaret, uti par erat, cum imperio Norvegico potitus esset; qui vero adversus eum militassent, horum partim vita spoliaret, partim regno expelleret, alios alio modo deprimeret. Post hoc prœlium rex Haraldus Hordalandiam et Rogalandiam et provincias Agdensium sibi subjecit, tum totius Norvegiæ rex singulari potestate factus. Dehinc terra silvis excisis coli cœpta, moresque incolarum emendari. Rex Haraldus tam mediterraneis quam maritimis locis vectigalia imposuit. Jam staturæ viriumque magnitudine excellentissimus evaserat; coma ejus erat promissa et impexa, quam ob rem Luva est appellatus. Tum Rognvaldus, dynasta Mœriensis, comam ejus totondit, eique cognomen Pulchricomi dedit, tunc amplius viginti annos nato. Ab eo omnes Norvegiæ reges descenderunt; atque ipse imperio Norvegiæ usque ad mortem præfuit, ut ejus tempore nemo, præter ipsum, nomen regium in Norvegia gereret. Ivar, filius Rognvaldi dynastæ Mœriensis, in prœlio Havursfjordensi cecidit; quam cædem ut expiaret, rex Haraldus insulas in occidentali mari sitas, quæ Orcades

[1]) Hanc stropham *omitt. Hkr, Æ, N.*

et Hjaltlandia appellantur, Rognvaldo dedit; qui has utrasque insulas Sigurdo fratri suo concessit.

De rege Haraldo.

8. Rex Haraldus pulchricomus in matrimonio habuit Asam, filiam Hakonis dynastæ Grjotgardi filii. Horum filii erant: Halvdan niger, Halvdan albus, qui gemini erant; tertio nomen erat Sigurdo. Alteram rex Haraldus uxorem duxerat, Svanildam, Eysteinis Sæfarii, dynastæ Heidmarkensis, filiam. Ex his nati: Olavus Geirstadalvus, Bjorn mercator, Tryggvius, Frodius ac Thorgils. Ferunt, regem Haraldum uno tempore decem uxores et viginti concubinas habuisse. Cum vero fama ad eum allata esset de virgine quadam, nomine Ragnilda, filia Eiriki Jotiæ regis quæ omnes æquales venustate et sapientia superabat: eo legatos misit, qui hanc sibi peterent uxorem. Qui cum causam adventus sui aperuissent, rex filiam arcessivit eique hoc negotium exposuit. Ea tale responsum dedit: nullum regem usquam gentium tam potentem esse, ut tricesimam partem amoris ejus sua vellet virginitate mereri; se nondum nubere statuisse. Cum vero filia regia tam superbum responsum reddidisset, tum feminæ virique legatos et regem eorum dicteriis incessere cœperunt, dicentes, regem Jotiæ exercitum Norvegiæ regis haud magnopere formidaturum, ab hoc exiguum sane editum esse specimen virtutis, quanquam regni sui aliqua obiens loca cum vilissimis rusticis manus conseruerit: adhucdum fore, ut corvi et aquilæ Danicæ esurirent et fame vexarentur, si eis exspectandum esset, donec Haraldus Norvegiæ prœlium faceret. Mentionem hujus rei facit Thjodolvus Hviniensis:

Ancillæ Ragnildæ,
superbæ feminæ,
aliud habebunt, de quo
inter potandum confabulentur,
quam vos captivas esse,
quas Haraldus cæsorum
cruore ad famem coegerit,
quarumque maritos feris objecerit.

Rex Eirikus, consentiente filia, renuntiari jussit, se ei virginem nuptum daturum, si uxores legitimas et concubinas dimisisset. Quibus acceptis responsis, legati redierunt. Itaque rex Haraldus omnes uxores suas ad cognatos earum remisit, quo facto meridiem versus in Daniam misit, qui Ragnildam arcesserent. Tum demum ad eum missa est. Dein ille eam secum matrimonio junxit, et ingenii summe heroici esse expertus est. Sic Thjodolvus[1]:

Repudiavit Holmrygienses
et Hordenses virgines,
unamquamque Hviniensem
et colonicæ gentis
rex ille generosus,
cum uxorem Danam duceret.

Ex ea natus Eirikus Blodaxa. Ragnilda, cum tres hiemes in Norvegia degisset, morbo mortua est. Qua mortua Asildam duxit, filiam Ringi Dagi filii ex Ringarikia; ex ea prognati: Ringus, Dagus, Ragnar Rykkel, duæque filiæ, Thorgerda et Olava Arbota. Senex jam factus ex ancilla aliqua, cui nomen Thora Mosturstanga, filium, nomine Hakonem, procreavit. Filii regis Haraldi, cum annis maturuissent, a patre petierunt, ut provinciam aliquam ipsis administrandam daret. Itaque Gudrodum Raumarikiæ præfecit, ut regnum ab incursionibus piratarum, Danorum et Gotho-

[1]) Hornklofius. *Hkr.*

rum defenderet; is cum sociis navalibus a Solvio Klovio in Brenneyis ad orientem est interfectus. Halvdani nigro et Halvdani albo duas naves longas plene instructas dedit; hi ad piraticam faciendam excurrebant: Halvdan albus in Estonia occubuit. Gudrodus educatus est in domo Thjodolvi Hviniensis. Rærekus perpetuo inter aulicos versatus est. Olavus Geirstadalvus Vestfoldiæ præfectus erat, Bjornis, qui Grænlando præfuit, adsiduus socius. Rex Haraldus Thorgilsi et Frodio naves bellicas dedit; qui in terras occidentales ad piraticam faciendam profecti, arma late circumtulerunt. Qui vero cognoscere cupit, quas rex Haraldus Pulchricomus filiis suis provincias dederit administrandas, quidque negotii inter Adalsteinem Anglorum regem, et regem Haraldum intercesserit, præterea narrationem de Eiriko Blodaxa, hujus matrimonio, et rebus in piratica gestis, de Hakone Adalsteinis alumno, ceterisque filiis regis Haraldi, is initium historiæ de rege Olavo Tryggvii filio consulat.

NARRATIUNCULA DE HAUKO HABROKA.

BJORN de Haugo in Svecia imperavit, quo tempore Haraldus regnum Norvegiæ capessivit. Post eum Aunundus[1] rex Sveciæ fuit annos quadraginta aut amplius; deinde Eirikus, filius ejus, qui Ingigerdam, Haraldi Pulchricomi filiam, in matrimonio habuit: hanc cum Sviones in insulam quandam deportassent diisque devovissent, Halvdan niger, frater ejus, eam secum abstulit, quo facto bellum longo tempore fuit inter regem Haraldum et Eirikum, Svionum regem. Æstate aliqua rex Haraldus virum sibi amicissimum, Haukum Habrokam ad se arcessiit, et ita locutus est: nunc ab omnibus expeditionibus et bellis internis liberatus, rebus quietis et lætis frui decrevi; itaque te hac æstate in regnum orientale mittam, ut res eximias et nostra in terra raras mihi coemas. Haukus hanc rem, ut alia, regis arbitratui permisit; tum quoque rex hominibus, quos antea apud se detinuerat, potestatem fecit ad varias terras proficiscendi. Haukus una nave vectus, firmoque præsidio tutus, sequenti autumno Holmgardum venit, ibidemque hiemavit. Eo forte loci venit, ubi mercatus erat institutus, quo magna hominum multitudo ex multis terris advenerat: in his athletæ Eiriki, regis Upsaliensis, Bjorn

[1]) In textu est *Aunundr*, quod forte est vitium librarii vel calami; rectius *Aimundr* vel *Avmundr*, i. e. Emundus v. Eymundus.

Blasida et Salgardus Serkus, homines injuriosi et in ceteros advenas se insolentius efferentes. Aliquo die Haukus, cum comitibus stipatus per oppidum ambularet, ut res aliquas pretiosas domino suo, regi Haraldo, emeret, venit ad locum, ubi vir quidam Russicus sedebat. Hic eum videret pallium aliquod pretiosum totum auro intertextum, id coemit, datoque arrhabone, ad pecuniam petendam discedit. Sed antea eodem die Bjorn hoc idem pallium regi Svionum venum petierat, sed immanitate pretii deterritus erat. Jamque egresso Hauko advenit famulus Bjornis, mercatorem admonet, haud impune fore, si Bjorn pallio non potiatur; at mercator rem quo esset loco mansuram ostendit. Itaque digressus famulus rem Bjorni significat. Interea vero Haukus redit, allatumque pallii pretium plene persolvit. Egrediens obvios habet Bjornem et Salgardum, quibus interrogantibus, cur pallium haberet, quod ipsi emissent (sibi pacti fuissent), Haukus, uti emisset, ita et obtenturum se declaravit. Bjorn reposuit, convenire, Eirikum regem, qui ceterorum regum septemtrionis princeps esset, res pretiosas, quæ ipso dignæ æstimarentur, habere. Cui Haukus: non adsolet rex Haraldus regi Svionum de jure suo cedere. Mittit aliquem de famulis, qui pallium domum deportet. Interea res ad minas spectare cœpit, dicente Salgardo, placere sibi, armis decerni, uter pallium haberet, item utrius rex præstantior habendus esset. Haukus ostendit, se haud recusare, quin de emtione pallii de armis decertent: nolo autem, inquit, mei principis honorem armorum meorum fortunæ committere. Hic vir quidam crassus et statura humili ad Haukum accedit, qui, de nomine interrogatus, Buium se vocari professus: en gladium inquit, quem dare tibi volo, si eum Bjorne et

Salgardo digladiari cogitas, de cujus teli virtute non est quod quisquam dubitet. Haukus acceptum gladium inspiciens: gratiam habeo, inquit, at ego non accipiam, neque enim mihi desunt arma, quæ eos violare poterunt, modo ne deficiat animus ac fortitudo; te autem appellabo Buium, acuti gladii possessorem. Buius contra: haud oblatum sibi rex Haraldus recusaret; verum res plerumque ad fatalem sibi exitum procedit, atque necesse erit, ut sæpius congrediamini. Quibus dictis digreditur. Jam res ad manus venerat. Haukus, plus gratia valens, plures nactus est propugnatores. Cadunt aliquot viri, complures vulnerantur. Haukus victoria potitur, interveniente populo prœliantes dirimuntur. Sviones exitu rei male contenti, ita domum redierunt. Cum fama de his rebus in Norvegiam perlata esset, conditioque a Salgardo proposita certaminis, rex Haraldus magnam iram concepit. Quare cum Haukus domum redux regem conveniret, Haraldus vultu ad minas composito interrogavit: an verum est, Hauke, te honorem meum tuorum fortunæ armorum subjecisse? Haud res ita se habet, domine, Haukus inquit; remque omnem, ut gesta erat, narravit. Qua re Haraldus rex oppido lætus: haud dubium est, Hauke, quin braccas altius cinxeris (altius te extuleris) tunc, cum athletas Eiriki regis devicisti. Hoc quidem verum est, inquit Haukus, at neutiquam minus in Anglia, cum Hakonem, filium tuum, genu Adalsteinis Anglorum regis imposui. Subrisit rex. Exinde Haukus *Hábrók* (alticinctus) appellatus. Ita perhibent, in Norvegiam importatum nunquam fuisse pallium pretiosius. Bjorn et Salgardus regem Eirikum convenientes referunt, qua contumelia Haukus eum affecisset, regemque Haraldum se principem nulla re inferiorem exi-

stimare. Quæ res cum regi stomachum moveret, dissidiorum inter eum et regem Haraldum materies extitit.

Vighardus ad regem Haraldum et Haukum Habrokam venit.

2. Hieme aliqua, cum rex Eirikus convivium jolense instruendum curasset, ipseque celsa sede consedisset, aulicique dispositi essent, excubitores, qui in statione erant, hominem conspexerunt xylosoleis ferri. Hic cum magna celeritate adpropinquasset, ex xylosoleis descendit; fuit magna statura, indutus lacerna e pelle lupina. Liberaliter excipitur, lacernam exuit; gestavit tunicam rubram coccinam, in capite galeam, gladio cinctus, eximia pulchritudine; coma erat magna et pulchra, statura supra vulgarem, magnitudo virium ad speciem excellens. Regem adiens salutat, a quo benigne exceptus, cum elegantis ac splendidi viri præ se speciem ferret, de nomine, familia et genere interrogatur. Ille se Vighardum vocari, genteque Halogum esse testatus: eo veni consilio, inquit, ut cognoscam, an me eadem conditione, qua Bjornem et Salgardum, recipere velis. Cui rex: forma sane spectabili es, te vero inexpertum tanti non possum æstimare, quanti excellentissimos athletas, qui mea causa multis se periculis objecerunt. Huic Vighardus, vale, domine, inquiens, egreditur, amiculum induit, xylosoleas conscendit. Eo tempore rex Haraldus convivium jolense in Gudbrandsdalis instaurabat, cujus altero die regii foris constituti ludum exercebant, rege ludentibus adsidente; prædium vero prope montem aliquem situm fuit. Hic rex: quodnam spectaculum ex monte apparet, turbinis specie? numquis istic xylosoleis labitur? Recens autem delapsa nix, utpote mollis, homine labente pulve-

ris instar excitata fuerat; inde vero, quod ventus neque incresceret, neque decresceret, colligebant hominem esse; et tamen tanta erat ejus loci declivitas, ut paucis eluctabilis esset. Hic celeri lapsu adpropinquans cum ad ludum accessisset, regem Haraldum adit et salutat. Rex, quod eum amplo loco ortum esse intelligebat, comiter resalutavit. Ille causam adventus exponit, ut suam ei operam offerat, si se consortio athletarum suorum adjungere velit. Rex: si artium liberalium peritia vultui tuo respondet, magno mihi ornamento eris. Advocatum dein Haukum interrogat, an hunc virum in suum contubernium ac societatem recipere velit. Ille regis voluntati annuit. Utrique staturæ magnitudine pares erant. Sic in contubernium athletarum regiorum adsciscitur.

Haukus et Vighardus ab Haraldo in Bjarmiam missi.

3. Æstate aliqua rex Haraldus significat, se Haukum boream versus in Bjarmiam ad colligendas merces pelliceas mittere statuisse. Quo Vighardus cognito, se (eodem) proficisci velle ostendit. Respondit rex, se ei tali honore non interdicturum; suam cuique navem apparandam curat, paratos itineri epulis excipit, significat se eos nunc ablegare viros, quorum discessum magis, quam multorum aliorum, damno sibi esse judicet: veri autem simile mihi videtur, regem Eirikum, de vestra profectione factum certiorem, vestri velle meminisse, quod tu, Hauke, Holmgardi pallium vi extorsisti. Novi quibus rex Eirikus eos[1] adjuvabit sacrificia; quare vos ad nutricem meam, nomine Heidam, quæ in boreali regione ad Gandvikam habitat, mitto; hujus consiliis utiminor; donum ei mitto annulum aureum,

[1]) nempe Bjornum et Salgardum.

duodecim uncias pendentem, duo segmenta aprugnæ et duo dolia butyri. Jam proficiscuntur, firmo præsidio stipati beneque armis instructi. Quorum iter conspicatus (præsentiens) rex Eirikus, Bjorni et Salgardo significat, placere sibi, ut septemtrionem versus in Surtzdalos et Bjarmiam proficiscantur. Et insequenti æstate rex Eirikus convivium Upsalis apparandum curat; duos dein currus eum in locum agi jubet, quo loco deum, nomine Lyterem, coluit. Mos erat ut currus eo loco per noctem permaneret, quo ille mane insequenti accedere solebat. Nunc autem Lyter præter solitum non adfuit. Defertur ad regem, Lyterem a proficiscendo abhorrere; sic currus binoctio stetit, ita ut ille non adveniret. Hic rege multo majora sacrificia offerente, tertio mane animadvertunt, Lyterem adesse, tumque currus tam gravis erat, ut jumenta, antequam eum ad aulam deportassent, lassitudine exanimarentur. Dein currum in medium pavimentum aulæ constitutum rex eum cornu accedens, Lyterem salutavit, dicens, se ei velle propinare; permagni sua interesse, ut se socium expeditionis addat; se ei, uti antea, ingentia munera oblaturum. Lyter respondet, se invitum facere, ut huic se expeditioni socium addat, aliquo se tempore in ista loca ad boream sita venisse, ibidemque in monstrum giganteum incidi, quanto occurreram antea nunquam, sed tum ætate provectum erat; neque ea loca adirem, si id vivere scirem; at jam mortuum esse arbitror. Rex haud dubie ita esse confirmavit. Lyter regem bene de se meritum prædicans, se profecturum pollicetur. Itaque Bjorni et Salgardo duæ naves paratæ. Quos e Lacu (Mælare) solventes draco nigris tentoriis velatus præcedebat, cujus funes ut a nemine regi apparuit, ita aura undecunque spirante cur-

sum tenuit. Dein septemtrionem versus navigantes litora terræ circumvehuntur.

Prælium Hauki ac comitum cum Bjorne et Salgardo.

4. Jam de Hauko et Vighardo narrandum. Hi, in Gandvikam appulsis navibus, cum senis ex utraque nave sociis ad prædium Heidæ, regis Haraldi nutricis, ascendunt; quæ induta tunica pellicea, manicis ad cubitum pertinentibus, igni adsidens, immensum oscitabat. Cum Haukus eam ab rege Haraldo salvere jussisset, illa se grato animo accipere regis Haraldi salutem testata, ituram cum eis ad navem dixit; hortatur, ut revertantur, profectionem enim male cessuram. Haukus, etsi ceteros homines staturæ magnitudine superaret, tamen non nisi ad alam ejus pertinebat. Primo ei annulum tradidit. Tum ea: bene regem Haraldum, munera dantem; atque annulum induit manui. En segmina duo, quæ tibi misit! Satis liberale munus, inquit ea. Cum ei traderet duo illa dolia butyri, tum ea: rex Haraldus aliis hominibus haud similis est; hæ res sunt eximiæ, neque tales ego unquam dono accepi, cujus beneficii gratia si ei non referatur, nullius referetur. Doliis sub utramque alam receptis, segmentisque in tergum rejectis, hocce munus ceteris duobus se pluris æstimare professa: novit alumnus meus, inquit, quo maxime delecter; consiliis meis utimini, atque sequimini me! Morem ei gerunt. Ea ignem suscitat, et ab altera ejus parte considet. Visa eis est ore majorem in modum turpi, altero labio in pectus dependente, altero super nasum dilatato. Haukum vestibus exutum circumquaque contrectans: tu speciem viri satis robusti atque fortunati præfers, inquit; jubet eum se osculari: osculatur. Dein Vighardum exuere vestes jubet; ille diu

detrectavit, tandem ab Hauko rogatus obsequitur. Tum ea: vir magna statura, morum insigni elegantia et immani virium robore. Osculari se jubente, ille vicissim omnes eam gigantes osculari jussit. Cui ea: tu fortunæ benignitati non tam ceteras virtutes, quam formæ pulchritudinem debes; dixitque ei hoc majori noxæ, quam sibi, fore. Hauko duos globulos tradidit: hos, si Bjorn et Salgardus naves vestras adgredientur, e navi tua in mare projicito. Inde boream versus in Bjarmiam navigantes, aliquo vespere naves conspicantur ab insulis procurrentes; itaque hoc loco homines convenire cogitant, ut alteri alteros quid novi percontarentur. Mox Haukus animadvertit adesse Bjornem et Salgardum. Omisso salutandi officio, naves conjungunt et manum conserunt. Jam conspicantur draconem prope insulam stantem, ex quo sagittæ volarunt, quarum singulæ singulos homines assecutæ sunt. Neque Hauko in mentem venit globulorum, a vetula datorum. Jam homines ad utrumque latus utriusque navis ceciderunt. Nave Vighardi propugnatoribus nudata, in alteram navem uterque, Haukus et Vighardus, transcendunt. Hic, in proram navis progressus, transilit in navem Bjornis ac Salgardi, itemque Haukus; qui utrique cum ad malum usque a prora penetrassent, incidunt in milites Bjornis et Salgardi, cum quibus initum certamen non prius cessavit, quam omnes superstites vulnerati essent. Bjorn de celsa puppi progressus, Haukum oppugnat; sic quatuor illi inter se pugnant, eo tandem exitu ut Bjorn caderet. Tum Vighardus Salgardum impugnat; verum ex improviso advolans sagitta e dracone pectus Vighardi transforavit, ut exanimus collaberetur. Hic cum Hauko in mentem venisset globulorum, ira incitatus eos e navi in mare

projecit, quibus juxta draconem delapsis, flammæ inter proram puppimque erumpebant. Mox Haukus Salgardum interficit; ipse oculum amisit: Tum nemine suorum ad resistendum idoneo, arma vestesque in scapham aliquam comportat, neque prius desistit, quam ad Heidam vetulam revenisset. Huic quæ gesta erant exponit. Illa reducem gratata, vulnus ejus curat; quo facto iter ingrediuntur, ipsaque eum deducit in eum locum ubi mercatores erant, cumque locum ei in nave in meridianas terræ partes itura pacta esset, reversa est; ille vero non prius itinere destitit, quam regem Haraldum conveniret, cui rei totius ordinem explicuit. Cujus reditu rex lætatus est. De Lytere autem hoc referre habemus, quod reversus ad regem Eirikum, huic significavit, se ab eo tempore nunquam posse ullam ei operam præstare propter foeda illa vulnera, quæ ab immani illo monstro giganteo Norvegico accepisset.

De habitu et statura regis Haraldi.

5. Rex Eirikus annos septem et quadraginta Sveciæ imperavit. Rex Haraldus omnes æquales pulchritudine et augusto decore faciei superavit; comam habuit bombycis instar aut auri malleati pulchram, quæ crispa in ingentes cirros dividebatur, tamque promissam, ut cingulo subnecti potuerit; virium staturæque magnitudine omnes præstabat, quod mensura staturæ ejus in Haugasundo etiam nunc demonstrat: hic enim a regione templi in occidentem versa planus lapis jacet, sepulchro ejus quondam superimpositus, tredecim pedes ac dimidium longus; in ejusdem templi cœmeterio duo sunt lapides, quorum alter capiti, alter pedibus fuerat adpositus, inter quos planus ille lapis sepulchro regis superimpositus jacuit, quando tumulus effractus

fuit, cujus lapidis, qua introrsum in sepulchrum spectavit, crassitudo tanta est, ut ad medium femur pertineat. Cumque memorabilis ille eventus accidit, obitus regis Haraldi, annos compleverat tres et octoginta; morbo mortuus est in Rogalando, et Haugis ad Karmsundum sepultus est. Mors regis Haraldi omnibus civibus luctuosa fuit, omnibus uno ore prædicantibus, neminem ejus similem fuisse prudentia, omni genere artium liberalium, munificentia et benignitate, qua suos prosecutus est. Idem sibi ab omni arte magica et prisca superstitione cavere potuit, ex quo intellexerat fraudem nani Svasii, qui festi alicujus jolensis vespere ad eum veniens, animum ejus ad mulierem aliquam Finnicam, Snjofridam nomine, convertit, tanto amoris ardore, ut eam uxorem duceret, in primisque caram haberet, quod propter incantationes Svasii nulla femina pulchritudine præstantior ei visa esset; ex eadem, uti antea dictum, filios procreavit. Qui cum fatalibus malis defuncti essent, obiit Snjofrida, cujus corpus stragula a Svasio donata velatum est, in stragulæ tanta inerat veneficii vis, ut regi Haraldo corpus mortuæ tam lucidum et delectabile videretur, ut eam sepeliri jubere nollet, sed ipse funeri per triennium adsideret propter immodicum in mortuam amorem mentis non compos. Tum rex Haraldus carmen laudatorium in eam composuit, postea encomium Snjofridæ dictum, cujus initium tale est:

Populus, mihi dicto audiens,
timorem repellat; neque enim ipse
lemures metuo. Expergefacio larvatam
feminam, in vase balineari mortuam.
Offero viris justum Reginis potum;
carmen laudatorium, dum e manu

Dvalinis sparsim decidit, cum sonitu
ferri in stratum poeticum facio[1].

Dein vir aliquis sapiens, nomine Egil Ulserkus, qui apud regem Haraldum versabatur, auctor fuit, ut stragula de corpore removeretur. Quo facto, corpus, ut naturale erat, putridum et fœtidum esse animadversum est, deinque more prisco sepultum. Post hæc rex Haraldus omnia incantamenta, veneficia et priscam superstitionem tanto odio prosecutus est, ut neminem talia exercentem suo in regno provenire pateretur, quin eum aut interfici aut exulem ire juberet. Sequentes versus postea compositi:

Animi dolor olim non vulgaris erat;
Finna tamen Haraldum, cui solis instar
lucida appareret, ad insaniam redigere
potuit. Quod idem multis nunc usu venit[2].

Hic finis narrationi de rege Haraldo imponitur.

---

[1]) Constructio: *dróll, hliðin a) mèr, hneggi b) ótta; ek ber æ c) ugg drauga: ek vek dularmey, dána á d) kerlaug. Ek býð rekkum rèttan Regins drykk e); ek lct f) drápu dynja á bragar stètt, meðan hrynr fram or Dvalins greip g).*

a) pro *hlýðin.* *b*) id. qu. *hnekki.* *c*) id qu. *ei.* *d*) vel juxta. *e*) i. e. carmen. *f*) id. qu. *læt.* *g*) fingit nanum Dvalinem, quasi acrium dæmonem, venam poeticam e manu sua pluviæ instar in terram spargere.

[2]) Constructio: *ekki varþ-at a) farald forðum; þá b) gat Finnan ærðan Harald: honum sýndist sú sólbjört. Mörgum verðr nú slíks dæmi c).*

a) ita scripsi; *var þat, Flat.* *b*) id. qu. *þó.* *c*) reperiuntur hi versus in Codice regio Eddæ Snorrianæ, qui in magna bibliotheca regia asservatur. In hoc codice extat encomium piratarum Jomensium ((*Jómsvíkingadrápa*), quod excipit carmen aliquod eroticum consolatorium, cujus versus intercalares strophæ decimæ hæc semistropha efficit. Confer *Fornm. S.* Vol. XI. præfat pag. 8.

HIC INCIPIT NARRATIO DE OLAVO GEIRSTADALVO.

Olavus, filius Gudrodi regis venatoris, vir fortitudine et auctoritate insignis, erat frater Halvdanis nigri. Mater Olavi fuit Olava, filia Alfarinis Alvheimiensis. Olavus, cum annis maturuerat, mortuo patre regiam dignitatem (imperium) in Grænlando suscepit, omnes æquales pulchritudine et staturæ magnitudine superans. Sedem habuit prædio, Geirstadis dicto, unde Geirstadalvus (Olavus Geirstadensis) cognominatus est. Præter regnum a patre relictum, duas provincias administravit, quarum altera Upsiensis, altera Vestmariensis dicta fuit, teste Thjodolvo Hviniensi:

Imperavit Olavus
Upsio olim,
late celeber,
et Vestmari,
diis similis,
et Grænlandi provinciæ:
donec dolor pedis,
juxta terræ crepidinem,
prœliis celeberrimum
noxa affecit;
nunc jacet prœlii audax
Geirstadis
bellator ille rex
tumulo circumfusus.

Post necem regis Gudrodi, patris Olavi, rex Alfarin, qui alio nomine Alvgeir vocatus est, totam Vingulmarkiam sibi subjecit, eique filium Alvum, Gandalvum dictum, præfecit. Rex Eystein, filius Hognii, Eysteinis mali filii, totam Heidmarkam et Soleyas in potestatem suam redegit; Olavus autem Geirstadalvus totum suum regnum ab Alvi et Eysteinis omniumque aliorum incursionibus tutum ad mortem usque retinuit. Ejus filius erat Rognvaldus *"heiðum hærri"*, qui patri in imperio successit; in cujus honorem Thjodolvus Hviniensis carmen de genealogia Yngviæ gentis composuit.

Somnium Olavi.

2. Olavus Geirstadalvus somnium vidit, quod tam ominosum existimavit, ut id interrogatus referre nollet. Dein comitia per totum suum regnum indixit, quæ comitia Geirstadis constituta sunt. Rex populum sua negotia primo agere jussit, quo facto se palam vulgo facturum, cur concionem advocasset; fore multos, qui exigua de causa advocatam existimarent: volo hoc loco somnium, quod vidi, narrare: visus mihi est, inquit, bos niger ingentis magnitudinis et torvus a plaga orientali in regnum ingredi; is totam meam regionem et regnum peragravit; progredientis halitu tanta hominum multitudo, ut numero superstitum haud minor esset, sterni visa; ad extremum aulicos meos interficere mihi visus est. Hoc somnium ut interpretarentur, oravit: scio enim, inquit, aliquid eo portendi. Illi, quid significaret, ipsum optime intellecturum dicebant. Tum rex: nos diu bona pace et annonæ vilitate beati viximus, atque hoc regnum multo majori, quam ferre respublica potuit, hominum multitudine abundavit. Bos autem iste, qui visus mihi per

quietem est, haud dubie luem illam portendit, quæ in hoc regnum ab regione orientali irrumpens, magnam stragem dabit hominum; cui aulici mei extremo tempore succumbent, quos memet ipsum arbitror secuturum, neque enim ego potius, quam alii homines, diem mihi fatalem sum transcensurus. Jam somnium hocce explicatum est, prouti id ratum fore arbitror; nunc autem id consilii dare populo volo, ut omnis quæ huc convenit hominum multitudo in exteriori parte hujus promontorii ingentem tumulum exstruat, aggere per transversum promontorium ducto, ne pecora eo transgrediantur; huic tumulo quisque, qui alicujus auctoritatis est, semunciam argenti secum ad sepulturam inferat. Erit, antequam lues cessaverit, ut mortuus tumulo inferar; verum id omnes homines caveant, ne idem consilium capiant, quod nonnulli, qui homines, in quibus vivis aliquid sibi præsidii esse putarint, hos mortuos sacrificiis colunt, mortuos enim nihil utile efficere posse arbitror. Etiam evenire potest, ut qui antea sacrificiis culti fuerunt, hi mox pro dæmonibus habeantur, qui mali dæmones eo ipso, ut puto, interdum utilitatem aliquam, interdum damnum adferre videbuntur. Admodum vereor, ne annonæ difficultas regnum invadat, postquam tumulo inlati sumus, verum tamen brevi fiet, ut primo sacrificiis colar, deindeque pro genio habear, etsi neutrius horum culpa penes me sit. Omnia, quæ dixerat rex Olavus vera esse eventus confirmavit, prouti somnium fuerat interpretatus; et brevi post accidit, ut gravis lues in terra grassari inciperet, magnaque multitudo moreretur. Omnes, qui alicujus pretii esse existimabantur, in tumulum inlati sunt; nam rex Olavus statim ex comitiis misit, qui tumulum mirificæ magnitudinis struerent, populus autem

aggerem, ut præceperat, jacere aggressus est. Evenit quoque, ut aulici postremo morerentur, tumuloque inferrentur; postremusque rex Olavus, qui magna cum pecunia sepulchra juxta suos conditus est, tumulusque deinde occlusus, quo facto lues hominum decedere cœpit. Inde orta sterilitate et gravitate annonæ id consilii ceperunt homines, ut annonæ levandæ gratia regem Olavum sacrificiis colerent, eumque Geirstadalvum (genium Geirstadensem) appellarent.

Somnium Ranii.

3. Primo anno imperii illustris domini, regis Olavi Tryggvii filii, prope a Geirstadis habitavit vir quidam, nomine Ranius, qui antea nominatus est[1], coalumnus Haraldi Grænlandi. Matri Ranii nomen erat Olava. Is nocte aliqua Olavum Geirstadalvum ad se venientem somniavit, qui ei celeriter referre sibi totius vitæ suæ cursum, de exstructione tumuli, et de spectris visus est; quo facto ei significavit, Sveinem, Hakonis dynastæ filium prope ab eo loco stantem in ancoris, excedere patria statuisse: non enim ob potentiam regis Olavi Tryggvii filii suam retinere dignitatem valet, magnaque laborat inopia pecuniæ; huic, quo loco sit tumulus meus, demonstra, quæque Geirstadis sit parandarum opum spes, indica, ipseque eum ad locum deducito. Cum præcepisset, qua parte aperiendus tumulus esset: noctu tumulum effringitote, inquit; nemo militum Svenianorum tumulum ingredi audebit, propter foetorem et gravem putrefactorum cadaverum odorem, quem patefactus tumulus exhalabit. Tum vero, Rani, cum ex ceteris nemo adgredi rem audet, te ipse postremo offerto, qui

[1]) Nempe in relatione de Haraldo Grænlandico, quam cod. Flat. exhibet.

tumulum ingrediare, quæ res tibi soli succedet, ex indivisa præda depactus tres pretiosas res, insuperque, ut Svein ipse funem teneat; huic enim soli audacia erit manendi, donec e tumulo emerseris. Primo omnem pecuniam, quæ in medio tumuli solo antea cumulata jacet, ad funem comportato et extrahendam curato; dein homini, qui in medio tumuli sella sedet, annulum aureum, cultrum et cingulum, quo cinctus est, detrahito; tum gladium, quem super genua destrictum habet, prehensum destringito, eique caput præcidito; magni autem interest, tuaque in eo fortuna constat, quomodo tibi ea res succedat; res enim in eo vertitur, ut caput iterum trunco ita adaptes, ut neutro inclinet. Quod cum feceris, haud dubie majorem solito strepitum in tumulo animadvertes; tunc enim locum neque silentem neque quietum senties: tum quoque omnia lumina exstinguentur, plerique, præter Sveinem et aliquot suorum, a tumulo aufugient. Haud expediet, ad tumulum intrandum aggredi, nisi sis animo imperterrito; vero tamen simillimum existimo, si meis consiliis uteris, nullam tibi difficultatem objectum iri. De rebus pretiosis, quas tecum e tumulo abstuleris, cave ne cui indices; has amiculo tuo ita poteris occultare, ut eas Svein non conspiciat. Postero die Svein te ceterosque omnes ad divisionem prædæ invitabit; adesto, adductis tecum duobus equis stratis. Primo Sveini in memoriam pacta revocato, quæ inter vos de rebus tibi ex indivisa præda cedendis convenerunt; dein sublata omnia cimelia ostendito, eosque ceteram omnem pecuniam inter se dividere jubeto, teque retenturum cimelia confirmato; ne propius adsis, quam ut vox tua clare possit exaudiri. Tum Svein dicet, placere sibi ut conve-

niatis, ut eo cimelia ostendas; tu vero ibi quam citatissimo cursu te abripito. Hic te Svein cum suis persequetur, et comprehendere volet, adeoque te adpropinquabunt, ut equum, quo veharis, Svein telo eminus confossurus sit; tu vero in alterum equum insilito et in silvam aufugito; inde in Grænlandum, in Vika situm, ad regem Haraldum Grænlaudum concedito; hic in tristia domicilia incides, nam regina Asta Gudbrandi Kulæ filia, puerperio cubans, partu levari non poterit, quæ pariendi difficultas aliquantum temporis duravit, adeo ut homines ad desperationem pervenerint. Hic tu accessurum te pollicetor, spem faciens, fore ut ægra te accedente revalescat; pactus, si puer editus in lucem fuerit, ut potestas imponendi nominis tibi fiat. Deiu eam cingulo circumdato, quo facto partum facilem celeriter adfore reor; tum enim partum edet in lucem, puerum magnum bonoque corporis habitu, cui nomen Olavi imponito; huic ego annulum et gladium Bæsingum, quem modo tibi demonstravi, muneri do. Inde in septemtrionales Norvegiæ partes ad Olavum Tryggvii filium concedito quamque annuntiat religionem amplectitor; deinque in Vikam reversus Olavo juveni operam tuam addicito, nam inde maxima ad te felicitas proficiscetur, si eum quam diutissime comiteris. Post hæc Ranius expergefactus est.

Ranius tumulum Olavi Geirstadalvi ingreditur.

4. Post hæc Ranius dynastam Sveinem Hakonis filium conveniens, spem faciendæ pecuniæ ei demonstravit; noctu in terram egrediuntur, tumulum effringunt, magna pecunia potiuntur; Ranius, rebus tumulicolæ ex ipsius præscripto curatis, cimelia secum ex tumulo abstulit; ceteræ vero res, eum inter ac Sveinem

dynastam intercedentes, ita evenerunt, uti antea demonstratum est. Dein Ranius in Vikam ad regem Haraldum, coalumnum suum, profectus, benigne excipitur; Asta, puerperio forte cubans, graviter ægrotabat, hominibus de vita ejus pæne desperantibus. Itaque Ranius ad eam accedit, eique et regi Haraldo somnium nuntiat. Ea se libenter facturam ei imponendi nominis potestatem ostendit, si ea res meliorem restituendæ sanitatis spem afferret. Itaque Ranius eam cingulo, quod Olavo Geirstadalvo detraxerat, circumdedit, qua re celeris commutatio facta est.

HISTORIA DE REGE OLAVO TRYGGVII FILIO, SECUNDUM ODDUM MONACHUM.

(Initium deest)

. . . atque talia de Gunnilda ejusque conatibus referrentur, eaque late fama in Norvegia percrebesceret, Astridam filium habere, tamen hoc paucis cognitum erat. Accidit eodem vespere, ut opilio Bjornis opilionem Thorsteinis conventum iret, et ab eo de ovibus suis quæreret, moxque variis de rebus sermonem inter se serere cœpissent, Thorsteine, qui haud procul aberat, colloquium eorum exaudiente. Hic domesticus Thorsteinis interrogat, quinam hospites eo vespere apud Bjornem versentur; cui ille, excellentes eo viros advenisse, significat, nempe dynastam Hakonem Sigurdi filium, trigintaque omnino viros, qui ibi convivio accumbant: audivi dynastam Bjorni causam adventus sui exponentem, se jussu reginæ Gunnildæ ad Astridam filiumque reducendos ac potestati Gunnildæ tradendos missum; atque huc cras eodem consilio aderit. Dein colloquium dirimunt, toto sermone ab Thorsteine cognito. Hic sub lucem cubiculum, in quo dormiebant, ingressus, eos raptim surgere et quam celerrime discedere jussit, vehementer inclamans, cum segnius se accingerent. Quinimo eos cum vehementia adgressus, manu tenens flagellum vimineum, percussurum eos,

atque inclementer, ni dictis quam citissime parerent, minatus est. Tandem exeunt, insequente illo cum sublato flagello, atque ita illo minitante ad portam areæ perveniunt. Qui cum area egressi essent, Astrida comitibusque salutatis, oravit, ut omnia, quæ iis locutus fuisset, verba sibi ignosceret: vos enim, omnino insontes, ignominiosa verba patienter tulistis; neque vero contumeliæ aut crudelitatis causa feci, ut vobis minarer, quare peto, ut veniam dictis et factis meis detis; quæ cur fecerim, jam audietis. Dein omnia quæ famulus Bjornis dixerat, indicavit: idcirco autem vos quam celerrime meo cubiculo excedere volui, ne hic comprehenderemini. Digrediens illos silvam, quæ prope ab vico aberat, petere jussit, inde clam ad lacum, qui dicitur Mjorsus, procedere, iter secundum hunc facere, donec parvam quandam in eo insulam viderent; in hanc ut pedibus transirent, hortatus est, dicens non majorem esse altitudinem aquæ, quam ut ad medium femur pertineret, neque cophinum, in quo Thorolvus puerum portabat, aquam attacturum; in hac insula eos eo loco latere jussit unde a continente animadverti non possent. Jam domum revertar, et cum Hakon ad me venerit, ei per simulationem libenter operam meam ad vos conquirendos offeram; verum accidere potest, ut mea opera fiat, ut non inveniamini, omnique studio ad vos conservandos incumbam; itaque vos in insula usque in crastinum maneatis, ibique meum adventum exspectetis. Astrida omnia, quæ ei præceperat, fecit; ille domum se recepit. Quo in vicum veniente et per aream ingrediente, Hakon dynasta cum numerosa cohorte advenit, quibus Thorstein obviam progressus, dynastam comiter salutatum ad se cum omnibus suis invitavit, dicens tempus jam adesse cibi sumendi.

Benigne quidem, inquit dynasta, at nondum, primo mane diei, cibo potuve opus est; post ego domum Bjornis equitabo. Tum Thorstein: quodnam tibi negotium, domine? Ille: me Gunnilda, totius imperii Norvegici regina, ad Astridam filiumque quærendos misit, quem puerum nutritio sinu recipere statuit. Quærenti, an ibi pernoctassent: venerunt huc, domine, inquit, homines nescio qui pauperes mihique ignoti, qui cibo domi meæ excepti sunt; quos, qui essent, ignoravi. Hi, me domo, priusquam advenires, egrediente, dormiebant, et adhuc capere somnum arbitror. Dein tecta ingressus, eos in omnibus ædibus quærere cœpit. Qui cum diu, duas tresve horas, intus fuisset, egressus se per singulas ædes et quocunque loco, qui aliquam habere suspicionem visus esset, eos quæsisse ostendit, sed frustra. Dynasta vicum omnesque villas pervestigari jussit; factum, nec inveniri potuerunt. Hic Thorstein id consilii dedit, ut silvam vico vicinam explorarent, dicens multas in ea latebras esse, in quibus latere quis possit: et fieri potest, ut, puero sub radicibus alicujus arboris occultato, ipsi sibi fuga consuluerint, quam ob rem necesse est animum diligenter attendamus, si quem audiamus infantis vagitum. Itaque agmine bifariam diviso ad silvam perscrutandam, forte evenit, ut Thorstein solus esset. Tum ille celeriter, et tamen clanculum, in vicum recurrit, raptumque ancillæ cujusdam filiolum in silvam asportat et sub radicibus alicujus arboris deponit; cumque una transisset hora, cuncti audiunt vagitum infantis, eoque accurrunt, et Thorstein inter novissimos. Colloquentibus inter se, qui puer iste sit, Thorstein: minime, inquit, hic regius puer est; et quod puer hoc loco est depositus, hoc factum est contumeliæ ac ludibrii

causa. Cum ad tertiam usque horam pomeridianam in pervestigatione frustra occupati, de iis inveniendis desperare cœpissent, Thorstein eos reverti jussit, dicens tempus jam esse cibi sumendi. Cui morem gesserunt. Nocte proxime insequenti Thorstein ad illos, uti pollicitus erat, venit, adducens tres equos cibariis onustos virumque, quo duce in Sveciam uterentur. Quo facto iis vale dixit Illi gratias ei pro collatis in se beneficiis egerunt, et amice ab eo digressi sunt. Post hæc iter in Sveciam faciunt, Hakonemque grandævum conveniunt, a quo amice et comiter excepti, eo loco bene habiti commorabantur.

De Gunnilda et Hakone.

2. Proxime vero insequenti autumno Gunnilda Hakonem de possessionibus suis expulit, eum ob delicta sua totius Norvegiæ exulem declarans, nisi omnia, quæ ante postulasset, faceret. Igitur Hakon relicta Norvegia ortum versus in Sveciam unacum filia Auda, quæ omnes feminas venustate præstabat, profectus et ab Eiriko rege liberaliter exceptus est. Jam tum factum erat eum inter ac Sigridam imperiosam, Skögulæ-Tostii filiam, divortium; cujus, ut dicunt nonnulli, ea fuit causa, quod cum et facinorosa et dominationis avida esset, rex ejus vehementiam ferre nequiret; alii autem dicunt, eam ideo a convictu illius abhorruisse, quod lex in Svecia esset, uxorem, si marito superviveret, unacum illo condi tumulo oportere, ea autem sciret, voti damnatum esse regem, ne ultra decem annos viveret, quod votum pro victoria fecerat, cum adversus Styrbjornem dimicaret, se non diutius quam decem annos ab eo tempore vitam retenturum esse. Cumque Hakon orientem versus in Sveciam pervenisset, rex Eirikus filiam ejus nuptiis ambiisse

uxoremque duxisse dicitur; quibus ex rebus ab rege magni æstimatus, unam hiemem apud eum magno habitus honore transegit. Qua hieme, post festum jolense, Hakon dynasta a rege Eiriko petiit, ut sibi centum armatos viros daret, dicens se Hakonem grandævum convenire velle. Petenti annuit rex. Versabatur apud regem Rognvaldus, filius Hakonis Grandævi, qui, his auditis, extemplo itinere comparato ad villam patris magna celeritate contendit, eumque certiorem facit, Hakonem Sigurdi filium adfuturum. Quo cognito, Hakon trecentos viros, qui omnes sui domestici erant, armari jussit, his convivium opipare adparavit, atque ita adventum Hakonis magno adparatu expectabant, nihilque sibi metuentes, magna cum lætitia potabant. Conspecto itinere Hakonis dynastæ, Hakon Grandævus obviam progressus eum exoptatum adesse jussit et ad convivium invitavit, magnam propter adventum ejus lætitiam et comitatem præ se ferens. Hic Hakon: alia de causa huc ad te veni, quam ut comedam aut bibam; nam, cum domum redierimus, cibum et potum capere liberum erit. Cui Hakon Grandævus: qua de causa in meum congressum venisti? Ille contra: Gunnilda regina me ob eam causam huc misit, quod filium regis Tryggvii, quem hoc loco in tua potestate esse arbitratur, ad se invitare cupit, eundem ad consolanda matris Astridæ ceterorumque cognatorum desideria magno cum honore educatura. Quam rem ut perferrem ac proponerem, oravit, propterea quod eam pœnitet, occisum esse patrem pueri. Itaque primo deorum numen, ac deinde homines expiare cupit et satisfacere in filio, quod in patrem peccatum sit, ita se præclarissime facere existimans, si gnatum ejus sinu nutritio amantissime receptum pro filio adoptivo habeat. Hakon Grandæ-

vus ad hæc: at mater pueri hæc vera non esse arbitratur, quin putat eam, si illius arbitratu liceat, filium eodem quo patrem loco habituram. Atque eam ipsam ob causam, relicta Norvegia, consangvineorum congressu et patria extorris, huc ad me confugit. Neque vero ego, nec illa Gunnildæ fidem habet, quippe quæ nobis plena fallaciarum et astutiarum, multarumque fraudum manifesta esse videatur. Atque confirmo tibi, Hakon, huncce puerum, si meo arbitratu liceat, in tuam Gunnildæve potestatem perventurum esse nunquam, nisi vi infestissima coactus ex hac qua nunc sum sententia dejiciar. Sic Hacon infecta re discessit, domumque rediit. Qui ab rege Eiriko interrogatus, ut se res inter eum ac cognominem intercedens dedisset, singula ut erant gesta exposuit. „At ego tibi prædixeram, etsi jus tuum ab Hakone Grandævo repetiturus esses, futurum, ut incassum iter faceres. Etenim me multis rebus potentior est, neque longo abhinc tempore, cum jure contenderemus, judicium vicit." Cumque mensis festi jolensis diesque convivales exissent, suamque quisque domum redisset, iterum Hakon magna cum hominum multitudine proficiscitur, cognominem suum conventurus, datis sibi ab rege ducentis quadraginta viris bene armatis. Congressi cognomines, cum in colloquium venissent, mox cum vehementia, discordia magnaque ira facere verba cœperunt. Hakone se puerum, volente nolente illo, abducturum denuntiante, Hakone Grandævo abiturum pernegante. Hic ad Hakonem Sigurdi filium accessit vir quidam ingenti corpore magnisque viribus, nomine Burstius, operarius et servus Hakonis Grandævi, teterrima quæque opera administrare solitus; is ingentem furcam stercorariam, multo stercore adspersam, humero sublatam

portans, ad Hakonem Sigurdi filium vadit, et, Quis est, inquit, fastosus iste peregrinus, qui in Hakonem, principem nostrum, talia verba projiciat. Jam tu alterutrum fac, celeriter te hinc aufer, nec principem nostrum tam superbe aut ignominiose compella, aut ego te confestim hac furca stercoraria feriam, tibi ut æterno opprobrio sit; age, te quam citissime hoc ex vico proripe, nisi majorem cupis hoc loco accipere contumeliam, neque enim huc unquam antea quisquam quanta tu es audacia venit. Hic vir, vulgo agricola appellatus, omnes æquales magnitudine virium superabat, et ad tractandum erat immanissimus. Hakon, intelligens prudens sibi dari consilium, ne dignitatem suam tali viro committeret, servo pessimo, a quo affectus contumelia indelibilem ignominiæ maculam summumque opprobrium relaturus esset, ex vico excessit, et domum ad regem Eirikum revectus est, apud quem ad æstatem insequentem est commoratus. Inde in Daniam profectus, diu apud regem Haraldum Gormi filium mansit, ibique multæ res memorabiles acciderunt.

De rege Gardorum ejusque matre.

3. Id temporis rex Valdamar regno Gardorum magna cum gloria imperabat. Hujus mater fatidica fuisse dicebatur, quæ ethnicorum divinatio in libris[1] spiritus pythonicus dicitur. Quæ prædixerat, eventu fere probata sunt; tunc autem temporis ætate erat decrepita. Eorum consvetudo erat, ut eam primo festi jolensis vespere ante solium regis sella deferri oporteret. Et priusquam potari cœptum esset, rex a matre quærit, an periculum aliquod aut damnum regno suo impendere, aut cum tumultu quodam et metu adpropinquare, aliosve possessionem ejus concu-

[1]) Intelliguntur libri latini ecclesiastici.

piscere provideat aut præsciat. Cui illa: haud equidem, mi fili, animo quidquam præsagio, inquit, quod tibi tuove regno periculosum fore arbitrer, nec omnino quidquam, quod tuam fortunam conturbet; verum tamen insigne quoddam eximiumque visum video: hoc tempore, et hoc quidem anno, in Norvegia natus est regis cujusdam filius, qui hac in terra educabitur, et vir egregius et illustris princeps evadet; nec vero is regno tuo detrimentum afferet, sed multis modis amplificabit, quo facto in patriam, jam juvenili ætate, reversus, regnum, quod jure nativitatis ad eum pertinet, obtinebit, rexque factus clara luce splendebit, multisque in septemtrionali orbis plaga adjutor existet, sed imperio ejus brevi parebit Norvegia. Jam me deportate hinc, nam, cum satis superque dicta sint, plura non eloquar. Hic Valdamar pater fuit regis Jarizleivi.

De Olavo Tryggvii filio et Astrida, matre ejus.

4. Cum Olavus et Astrida duas hiemes apud Hakonem Grandævum transegerant, profectione eorum splendide adparata, eos mercatoribus ortum versus Gardos profecturis tradidit, quippe missurus ad fratrem Astridæ, Sigurdum, qui apud regem Gardorum magno in honore erat. Eis Hakon Grandævus omnia, quæ ad hoc iter opus erant, dedit, nec prius ab eis digressus est, quam navem bono cum comitatu conscendissent. Dein vela in altum dedere; atque in hoc itinere a prædonibus oppressi sunt, qui res omnes rapuerunt, partem hominum interfecerunt, reliquos alium alio abreptos in captivitatem et servitutem abduxerunt. Hic Olavus a matre sua segregatus est, quæ deinceps ex alia terra in aliam venundata fuit. Etiam Olavus, sicut alii captivi, in servitutem venundatus est, in qua captivitate tres

dominos habuit. Quorum qui primus eum mercatus est, nomine Klerkon, educatorem ejus in ipsius conspectu interfecit. Idem haud multo post Olavum viro cuidam, cui Klerko nomen, vendidit, optimæ notæ caprum recipiens; in cujus viri potestate aliquamdiu fuit. Sed Deus, qui amicorum suorum gloriam et dignitatem in obscuro esse non sinit, fecit, ut, quemadmodum lux tenebris abscondi non potest, ita honos hujus juvenis illustris redderetur, eumque, ut quondam Josephum, hac servitute liberavit. Hic autem vir, qui nunc Olavum in sua potestate habuit, eum viro cuidam, cui Eres nomen, vendidit, pretiosam pro eo vestem, quam nostra lingva *vesl* sive *slagning* (sagum) appellamus, accipiens. Herus, qui eum hac vice mercatus est, ex ethnicis regionibus oriundus erat; ejusdem uxori nomen erat Rechon (Rethon), filio Reas. Idem una cum Olavo coalumnum ejus, Thorgilsem, filium Thorolvi, emerat, Olavo natu majorem. In hac servitute sex hiemes transegerunt.

De Olavo.

5. Hoc tempore Valdamar regno Gardorum imperabat; qui in matrimonio habuit reginam, nomine Allogiam, feminam prudentissimam. Sigurdus, frater Astridæ, tantum apud regem valebat, ut amplas ab eo possessiones magnamque provinciam administrandam acciperet, et constitueretur, qui causas regias dijudicaret, et vectigalia regia ex multis pagis exigeret; ejusdem auctoritas in toto regno valere oportebat. Olavus nonum annum jam compleverat, cum forte accidit, ut Sigurdus, avunculus ejus, in vicum, ubi Olavus versabatur, veniret, colono cum operariis in agrum profecto. Sigurdus, magna virorum multitudine et splendido comitatu stipatus, vicum

equo ingressus est. Eo temporis momento Olavus cum aliis pueris ludebat; tantum enim ab hero diligebatur, ut non modo servitutem non serviret, sed etiam adoptivi loco haberetur, cui nullam rem, quam petisset, non concederet, et quotidie quo liberet ludi genere se oblectare permitteret. Olavus advenientem hilariter et perquam urbane salutavit, cujus verbis Sigurdus benigne et comiter respondit, dicens: video, te, mi puer, hujus terræ indigenas neque vultu, neque sermone referre. Age, mihi nomen, genus et patriam ede; Cui ille: mihi Olavo nomen, patria Norvegia, genus regium. Sigurdus: quod patri tuo aut matri nomen est? Ille: patri Tryggvio, matri Astridæ nomen fuit. Sigurdus: cujus filia mater tua erat? Ille: Eiriki Oprostadensis, viri potentis. Quibus auditis, Sigurdus equo descendit, eum comiter salutans deosculatus est, se dicens ejus avunculum esse: et sane læta illuxit dies, qua hoc loco convenimus. Dein Sigurdus ab Olavo de itineribus ejus et adventu in ea loca, et quamdiu illic servitutem passus fuisset, quæsivit. Cui ille de itineribus suis, sicut erant, exposuit. Quo facto Sigurdus: vin', cognate, te ab domino tuo redimam, ne diutius apud eum in servitute aut famulatu sis. Ille contra: nunc quidem, præ quam antea fuit, bona rerum mearum conditio est, sed tamen libenter hinc redimi vellem, si coalumnus meus a servitute liberatus me comitaretur. Sigurdus se hoc libenter facturum, nec ullis impensis parsurum ostendit. Post hæc Heres colonus domum redux Sigurdum comiter salutavit; hic enim mercedes prædiorum ex iis pagis et ex singulis domibus exigere, earumque justam solutionem curare debuit. Ad extremum Sigurdus agere cum colono cœpit, an pueros pretio vendere vellet: jam statim pre-

tium pro iis pendam. Ille: puerum natu majorem pretio, quod inter nos convenerit, vendam, sed natu minor venalis non est, quod et prudentia et pulchritudine præstat, et mihi multo carior est, quem invitus facio ut alienem; neque eum nisi grandi pecunia vendo. Quæ cum Sigurdus audisset, interrogavit, quo tandem exitura res esset, sed colonus tergiversari perseveravit, Sigurdo eo vehementius instante. Verum, ut de exitu hujus mercaturæ exponamus, puer natu major auri selibra veniit, natu minor novem auri semilibris, et tamen hunc, quam illum, alienari colono ægrius fuit. His gestis Sigurdus Olavum cognatum suum abducens in regnum Gardorum rediit. Hac in terra lege cautum erat, ne quis, ipso rege insciente, regium filium externo genere aut remoto regno oriundum educaret. Itaque Sigurdus Olavum domum suam secum deduxit, ibique clam paucis scientibus custodivit, magnis tamen in deliciis habitum. Sic cum aliquantum temporis processisset, die quodam forte accidit, ut Olavus unacum coalumno suo, imprudente avunculo Sigurdo, relicto cubiculo, occulte progressi in plateam quandam devenirent. Hic Olavus inimicum suum, qui ante sexennio educatorem in conspectu suo interfecerat, ipsum in servitutem vendiderat, coram agnovit. Quo conspecto, facies ejus sangvineo colore suffusa vehementer intumuit, animus magno opere commovebatur; quare celeriter regressus in ædes suas rediit. Paulo post Sigurdus a foro reversus, cum Olavum cognatum suum ira tumentem videret, quæsivit, quid ei accidisset. Ille, quid causæ esset exponit, orans, ut se ulciscendi educatoris adjutorem præbeat: cum tantum mihi dolorem et multiplicem ignominiam iste homo attulerit; jam nunc meum ulcisci educatorem in animo est.

Sigurdus se ei hanc veniam daturum pollicetur; surgunt; duce Olavo magna cum hominum caterva ad forum descendunt, cumque Olavus hunc hominem conspexisset, comprehensum extra oppidum ducunt. Dein Olavus, puer ille parvo natu, progreditur, educatorem suum ulturus; cui ingens securis militaris, qua percuteret hominem, data est. Tunc Olavus novem annorum erat. Dein securim librat, collum percutit, caput præcidit; qui ictus tam parvo natu adolescentis magnis fertur laudibus. Eodem tempore in regno Gardorum complures erant vates, multarum rerum præscii, qui sua divinatione significarunt, advenisse in eam terram nobilis cujusdam viri, sed ætate juvenis, genios, quibus se nullius unquam hominis neque lucidiores neque speciosiores vidisse testati sunt: quam rem multis quidem verbis confirmabant, quo vero se loco teneret, ignorabant. Cujus genii tantam esse præstantiam prædicarunt, ut lux, quæ eum superfulgeret, per totum regnum Gardorum et multa orientis loca diffunderetur. Quam rem cum regina Allogia, quæ, ut supra dictum est, omnium feminarum sapientissima erat, majoris momenti esse duceret, regem speciosis verbis orat, ut conventum, quo omnes e propinquis pagis conveniant, edicat; eodem se adfuturam, omniaque, ut ipsi placeret, constituturam. Rex sic facit. Magna convenit hominum multitudo. Regina universam multitudinem in orbes consistere jussit: atque alter alteri adsistat, ut cujusque hominis faciem ac vultum, in primis oculos, intueri queam, et spero fore, si pupulam oculorum ejus inspexero, ut intelligere possim, quis hujus genii tutela utatur; nec tum dissimulari poterit is, qui tali natura præditus est. Rex dictis ejus aures præbuit. Cumque frequens ille conventus duos dies duraret, re-

gina singulos accedens et cujusque vultum contemplata, neminem invenit, cui tanta naturæ vis inesse videretur. Qui conventus cum biduum durasset, tertiaque adesset dies, concio denuo frequentata est, omnibus jussu regis eo confluentibus, ni facerent, pœnas daturis. Jam universa concione in orbes disposita, eximia illa matrona et illustris regina uniuscujusque faciem et vultum consideravit. Tandem eo venit, quo loco ante eam stabat adolescens aliquis male vestitus, lacerna circumdatus, cucullo in humeros rejecto. Cujus oculos inspiciens cum extemplo intelligeret, hunc eximio illo fortunæ munere gaudere, ad regem eum duxit, omnibus palam faciens, inventum haud dubie, quem diu quæsisset. Itaque hic adolescens in tutelam regiam receptus est. Tum ille regi ac reginæ genus suum et nobilitatem aperuit, se servum non esse, sed nunc apparuit, eum regio genere ornatum esse. Dein rex ac regina Olavum magno amore et caritate educare cœperunt, eumque tanquam naturalem filium multis bonis ornarunt. Hic puer Gardis adolevit, mature viribus et prudentia perfectus, ætate procedente indies maturuit, ut paucis annis æquales omnibus in rebus, quæ bono principi ornamento esse possunt, longe antecederet. Qui ut se ac suam in artibus peritiam cœpit ostendere, multis modis excellebat, et brevi temporis spatio omnem equestrem rationem ac disciplinam militarem, ut qui in hac arte exercenda sunt peritissimi et strenuissimi, perceperat. Quibus rebus magnum sibi decus honoremque peperit, primo apud regem reginamque, deinde apud alios omnes, tam potentes, quam humiles. Sic ibi adolevit, sapientiaque et annis, omniumque artium peritia, quæ eximium principem ornent, crevit. Idem mox ab rege Valdamare princeps aulicis præpositus, et

dux militum, qui regi honorem pararent constitutus, multas res præclaras in regno Gardorum et compluribus locis orientis gessit, etsi hoc loco paucæ enumerentur. Duodecim vero annos natus regem interrogavit, essentne quædam arces aut pagi, quos ejus ditioni subjectos ethnici regno detraxissent, atque tum ejus peculium et auctoritatem usurparent. Rex respondit, dicens sibi aliquot fuisse arces et pagos, quos alii armis ereptos ipsorum ditioni jam addidissent. Tum Olavus: mihi igitur aliquantum copiarum, cui præsim, et naves adtribuas, experturo, an partem regni amissam recuperare possim, cupidus enim sum inferendi belli, cupidus pugnandi cum eis, tuo qui honori offecerunt; quam ad rem et tua fortuna et mea ipsius felicitate uti volo; et alterutrum erit, ut eos aut possim interficere, aut vi expellere. Rex liberali reddito responso, copiarum quantum petierat, dedit. Jam apparuit, id quod supra demonstratum est, quam peritus esset omnis equestris artis et bellici apparatus, qui etiam exercitum (aciem instructam) tam dextere regere calleret, ut si in eo genere maximum usum haberet. Cum his igitur copiis profectus, multa prœlia fecit, eximiam victoriam ex hostibus retulit, omnes arces et castella, imperio regis Gardorum olim subjecta, recuperavit, complures exteras nationes sub potestatem regis Valdamaris redegit. Insequenti autumno cum præclara victoria et splendida præda reversus, multa aurea cimelia, eximia serica coccina et lapides pretiosos regi ac reginæ retulit; sic honos ejus renovari cœpit, omnibus adventum ejus summa lætitia excipientibus. Hoc idem quavis æstate facere perseveravit, prœlia fecit, multas res præclare gessit; hiemes apud regem Valdamarem transegit. Qui cum tali gloria splenderet, insigni quadam victo-

ria reportata, Gardos revertisse dicitur, tumque tantam in adnavigando pompam et splendorem ostentasse, ut pretiosis bombycinis coccinis loco velorum, ejusdemque generis tentoriis navalibus, usi fuerint. Quibus rebus intelligi potest, quantam ex rebus insignibus in oriente gestis magnificentiam sumserit.

De rege Olavo.

6. Dicunt viri scientes et rerum periti, Olavum idola nunquam coluisse, ejusque animum ab ea re semper abhorruisse. Quin, cum sæpius soleret regem ad delubrum comitari, nunquam ingressus est, sed semper foris ad introitum adstitit. Qua de re eum aliquando rex admonuit, orans ne id faceret: fieri enim potest, ut dii tibi irascantur, et ita ætatis tuæ florem deperdas. Quamobrem libenter vellem, verecundum te erga deos præberes: tibi enim metuo, qui ita in rebus tanti momenti periclitaris, ne gravem in te iram conjiciant. Ad hæc ille: nunquam deos metuo, auditu, visu, mente carentes, quos nulla prudentia gaudere intelligam. Qui cujus naturæ sint, inde, domine, conjicere possum, quod mihi semper hilari vultu appares, eis horis exceptis, quibus in fano versaris, diis sacra faciens; at quoties ibi versaris, vultu infausta pollicenti esse videris. Qua re intelligo, quos colas deos tenebrarum dominos esse. Ferunt, cum Olavus tali honore floreret, extitisse homines quosdam, invidia magis quam benignitate plenos, qui eum apud regem fuerint criminati; eumque idcirco in multorum illustrium virorum odium incurrisse. Hanc ob causam discessit, magnumque ducens copiarum numerum ethnicis gentibus arma intulit, victoriamque semper reportavit, multa loca mari Baltico adjacentia obiit, incolasque sibi subjecit. Cujus studii cum eum satietas capere

cœpisset, hieme jam adpropinquante, cursum Gardos reflectere cogitavit. Sed vehementi adversaque tempestate ea vice impeditus, cursum in Vindlandiam cum copiis convertit, ibique naves suas in stationem appulit.

De Olavo Tryggvii filio et domina quadam.

7. Eo tempore Vindlandiæ imperavit rex Burizleivus, magnæ auctoritatis princeps. Huic quatuor erant filiæ, quarum unam postea duxit Olavus, alteram Sigvaldius dynasta, tertiam Svein Furcobarbus, Danorum rex, in matrimonio habuit. Eis autem pagis, quo Olavus appulerat, præerat filia regis, nomine Geira, quæ reginæ titulo magnum tenebat imperium beneque gubernabat: a cujus sede principali haud longe classem adpulerat Olavus. Ea magnæ fuit auctoritatis, splendideque in viduitate vivebat. Habebat secum procuratorem aliquem strenuum et fidelem, qui ejus honorem et dignitatem tuebatur, nomine Dixinem. Is aliquando, negotium gravioris momenti curans, prope ab eo loco, ubi naves Olavi stabant, iter fecit. Domum reversus, cum a regina interrogaretur, unde venisset et quid novi adferret, respondit: ab litore adveni, domina. Quid, inquit ea, resciisti aut vidisti? Ille: aures, inquit, adverte, regina; referam tibi rem miram et insignem, nuper objectam, quam scire, regina, haud dubie gestis. Illa: quamnam? Dixin: in portum urbi nostræ adjacentem multæ appulerunt naves, omni apparatu bellico splendide instructæ, pretiosis vestimentis et variis cimeliis ornatæ; ipsi viri insigni sunt pulchritudine, optimoque tecti ornatu militari, quorum similes hic loci raro videre continget. Unus tamen ceteris longe antecellit, sub cujus persona regem latere certe arbitror. Hic enim vir excelsa quadam et eximia natura præditus esse videtur: statura est magna,

proportio membrorum concinna, facies augusta, corpus pulchrum, oculi adeo arguti et lucidi, ut antea neminem viderim tali dignitate præditum; atque certo tibi affirmare possum, quem hic præferat habitum indolemque, humana natura mihi præstantiorem videri. Eundem magna prudentia et egregia sapientia præditum reor, atque, nisi fallor, sub hac augusta facie regiæ majestatis dignitas latet. Quare, nisi tibi molestus sim, te, regina, hortor, ut, quod tuæ conveniat dignitati, facias: cum omnibus tuis honorifice obviam ei procedas, bonasque conditiones offeras; quas, comiter ac benigne invitatus, liberaliter, opinor, accipiet. Equidem comites ejus audivi dicentes, sese in hac terra hiemare velle; et credo, nos aliquid commodi ex hujus viri adventu, modo recte uti noverimus, percepturos. Quod si, regina, virum quæras, qui tecum regium imperium administret, opes tuas curet, fines tueatur, regnum ab hostium incursionibus liberet, quem, quæso, hoc augustiorem, quem pulchriorem invenies? In vita nullum unquam invenies, in quo tantum sit adversus hostes tuos auxilii et propugnaculi. Quin, pro ea, qua sum præditus, sapientia certo affirmo, te tuo in regno talem virum nunquam inventuram; quid dico, in tuo regno? etsi inter omnes homines, qui uspiam terrarum gignuntur, aliquem quæras, hunc unum ex omnibus eliges, quippe cui parem inventura sis neminem. Ad hæc regina: si tibi nostræ dignitati ita convenire videtur, in congressum ejus veni, meisque verbis nuntia, eum huc a me cum omnibus copiis invitari. Dixit: si mihi hanc veniam, domina, des, libenter proficiscar. Multis deinde viris comitatus ad naves descendit, principeque ceterisque omnibus audientibus mandata reginæ magna cum facundia proponit. Quam conditionem adjectis verbis ami-

cis cum Olavus audisset, magnopere lætatus pulchris verbis liberalitatem ejus remuneravit, et subductis navibus suisque ad iter comparatis, cum omnibus suis in urbem escendit. Regina vero magna cum pompa obviam Olavo vecta, adventum ejus, qui tum jure salutari rex poterat, gratulata est, summa eum comitate excepit, primoque de nomine, deinde de dignitate, qua præditus esset, interrogavit. Cui cum ea, quæ interrogarat, exposuisset, eximiam ei aulam, insuper complures famulos viros feminasque, et ornatum aulicum adsignavit. Regnum, quod Geira tenebat, Germania dicitur, ad plagam occidentalem vergens, ceteris terris soli fertilitate et incolarum bonitate præstans. Quod regnum jam magnopere florebat, Olavo hanc aulam tenente. Festo jolensi adpropinquante, magni adparatus facti, magna hominum multitudo eodem convocata. Quo convivio apparato, regina cum magno comitatu ad Olavum accessit, eumque invitavit, ut in aula, in qua ipsa cum aulicis potare consveverat, una biberent. Ille conditionem summa hilaritate accepit, conviviumque hocce celeberrimum extitit. Nimirum Olavus ac regina in eodem solio sedebant, eximiis poculis et mulsum et vinum potabant. Quibuscum præfectus Dixin per vices sermonem serebat; reginæ ostendit, quanto ei præsidio et honori futurum esset, talem habere regni administratorem. Etiam sermone ad eum converso docuit, expetendam esse hujus imperii administrationem; quod tot bonis floreret; maximi tamen faciendum esse, quantum ea ceteras feminas omni agendi ratione, indole et artium peritia præstaret; etsi utrique eorum per totum orbem terrarum conditionem conjugialem sibi quærerent, nullam posse honestiorem inveniri, quam si ille eam uxorem duceret, illa ei nube-

ret. Quod verborum semen, ab eo in utriusque pectora sparsum, radices agere et corroborari cœpit, ut res proposita utrisque et expetenda esse et magnam polliceri fortunam videretur. Dein convivium omni copia rerum exquisitissimarum auctum, multosque per dies actum est, et, ut potenti regi convenit, posterior quæque convivii dies multo, quam prior, majori studio et apparatu, exquisitissimarum, quæ parari possent, copia rerum celebrata.

De rege Olavo.

8. Hic Olavus magno in honore ac deliciis erat. Qui aliquando sermonem cum regina faciens: suntne quædam civitates, inquit, aut pagi aut territoria, quæ, cum tuæ ditionis esse deberent, imperio tuo subtracta et a latronibus aut prædonibus injuste occupata sint? Regina: sunt, domine, quas nominatim recensere possem, civitates alienatæ, quarum insolentiam jam diu pertulimus. Post hæc Olavus copias ad expeditionem comparat, magnoque stipatus militum numero castella, quæ reginæ erant, armis impetiit. Quæ obsidens duas offerebat conditiones, utrum justa vectigalia pendere, debitumque officium et obsequium præstare, an arces ab ipso oppugnari, dubio pacis fortunarumque discrimine, mallent. Qui castella tenebant, vehementer obloqui, sese dedituros negare, potius omnibus viribus repugnaturos. Dein castella obsidione clausit atque oppugnavit, tormenta bellica variique generis machinationes, quarum sui erant periti, admoveri jussit; tanto ardore oppugnationem urgebat, ut resisti nullo pacto posset, proruta castella cum militibus ingressus, immensa præda potitus est. Omnes, qui resistebant et superbe respondebant, turpiter oppressi; omnes, qui clementiam supplices non implorarent, interfecti; liberum arbitrium

victori in victos relictum. His gestis ad aliud castellum exercitum admovet idque obsidet, easdem atque superioribus conditiones proponens. Hi autem responderunt: cum audiverimus vestræ dominationis potentiam, quamque sinistra fortuna utantur, qui vestro imperio resistant, prudentiorem quam finitimi rationem ineundam duximus, nos in potestatem vestram dedemus intrandique castelli potestatem faciemus. Qua conditione libenter accepta Olavus, portis patefactis, castellum ingressus est. Tum vero omnes principes ac proceres universaque multitudo conglobari, magno fervore inter se cohortari, neminem, sive amplioris sive inferioris conditionis, salvum evasurum denuntiare. Quibus animadversis insidiis Olavus, cum se undique invicta multitudine circumfundi sentiret, in partem aliquam muri secedens, suos muro adstantes magna voce inclamat: unam nobis, inquit, spem salutis reliquam esse video, ut de muro descendamus, quod facere primus adgrediar, et vos deinde desilientes excipiam; et periculo carebit res, cum limosa arena subsit. Inde ipse desiluit, saltuque citra periculum facto, suos adhortatur, ut se præeuntem sequantur, nev altitudine deterreantur. Sic fecerunt, de muro desiluerunt, atque omnes ejus auxilio incolumes servati sunt. Quo facto universi castellum obsident, tamque acrem impetum faciunt, ut murum vastis aperturis perfoderent; mox omnes irrumpunt, quo facto acre prœlium non abfuit. Jam acerba perfidiæ memoria stimulati, obsessos sine ulla clementia tractant, omnes ad unum interficiunt, omnes fortunas diripiunt, castellum diruunt postremoque incendunt. Hac parta victoria Olavus reversus, reginæ aurum, argentum eximiasque res pretiosas attulit.

Vulgaris opinio est, hoc castellum ab Olavo obsessum, in quo cum sexaginta suorum inclusus insidiis a castellanis circumventus est, Jomsburgum (castellum Jomense) fuisse.

De rege Olavo.

9. Cum Olavus tres hiemes in Vindlandia consumsisset, accidit, ut regina subita morte obiret. Quæ res Olavo ingentem dolorem attulit, ut hunc casum non sine permagna animi ægritudine ferret. Quo acerbo vulnere perculsum satietas illius regni administrandi cepit. Quod cum tam egregie gubernasset, ut ab omnibus incolis summopere diligeretur, tamen non eo magis dolorem animo expellere potuit. Itaque copiis ad peregrinandum comparatis, sperans, se ita celerrime doloris, quem accepisset, memoriam deponere posse, in Russiam proficisci statuit. Cum in Daniam venisset, navibus egressi in terram escenderunt, et, ut fert consvetudo, prædationem pecuariam fecerunt, magnumque pecudum numerum abegerunt et ad litus compulerunt. Collecti incolæ magna cum multitudine eos sunt insecuti. Illi ingentem hominum multitudinem magno cum armorum apparatu sese insequentem conspicati, naves fuga petierunt. Qui longius in terram egressi, magno adhuc itinere ad naves reliquo, cum hostes adeo adpropinquassent, ut ipsis vestigiis inhærerent, ad silvulam quandam, perexiguum mali effugium, pervenerunt, eoque progrediebantur, quo loco eos potissimum aliqua silvæ umbra tegere posset. Hic Olavus: scio, inquit, Deum, cœlorum gubernatorem, potentem esse, atque audivi, esse ei insigne victoriæ, cui magna vis insit, crucem appellatum. Hunc igitur ipsum invocemus, humi supplices prostrati, ut nos liberet! Sumtos duo ramulos decussatim

nobis superimponamus; omnes idem faciatis, quod memet facientem videritis. Ita fecerunt: humi prostrati sumtos duo ramulos in formam crucis sibi superimposuerunt. Mox hostes cum tumultu ac clamore ad silvam venerunt, seque, quos paulo ante vidissent, manibus prehensuros sperarunt; atque jam in eos incurrerunt pedibusque conculcarunt, neque tamen invenerunt. Sic eos signum crucis, adjuvante domino Jesu Christo, protexit, ut, qui antea pæne in manus hostium incidissent, ab eis non animadverterentur. Quo viso Olavus ac sui exsiliunt, naves petituri. Quos cum hostes animum advertissent, iterum eos persequi cœperunt. Neque tum ullum aliud refugium habebant, quam ut in plano campo decumberent. Neque tamen eo minus divino auxilio servati sunt, hic enim accidit tam miraculosa res, ut in plano campo jacentes a quærentibus non cernerentur. Hostes, loco quam diligentissime fieri potuit explorato, neminem invenerunt, iterumque sine ullo honore aut victoria recesserunt. Sic sancta crux Olavum non minus in plano campo, quam in densa silva a periculo liberavit. Inde Olaviani ad naves profecti, Deo pro dato effugio gratias egerunt.

De somnio regis Olavi.

10. Post hæc Olavus classem solvit, cursumque orientem versus in regnum Gardorum direxit, ubi ab rege et regina liberalissime exceptus hiemem transegit. Hic aliquando ei memorabile visum objectum est: apparuit ei ingens aliqua rupes, quam altius ascendere, donec in summum pervenisset, sibi visus est, mox se in æthera supra nubes tolli: sublatis oculis, loca eximia et amœna videre hominesque lucidos ea loca incolentes: ibi dulcem sentire odorem, omnis-

que generis[1] amœnos flores animadvertere: visa ibidem gloria illustrior, quam cujus imaginem mente et cogitatione conceptam verbis exprimere posset. Tum vocem audivit sese alloquentem: audi tu, in quo boni hominis indoles est, nunquam enim deos honorasti, nec ullum eis cultum exhibuisti, sed contumelia eos afficis; idcirco tua facta bonis et frugiferis rebus cumulabuntur; verum tamen multa tibi adhuc desunt, ut his in locis manere tibi liceat, aut dignus sis, qui hic in æternum vivas, eo quod nondum creatorem tuum cognoscis, et qui verus sit Deus, ignoras. Quibus rebus auditis, vehementer perterrefactus: quis es, domine, inquit, in quem credam? Vox respondit: in Græciam proficiscere, ibi tibi nómen domini, Dei tui, annuntiabitur; cujus præcepta si observaris, æternam vitam et felicitatem consequeris, rectaque fide imbutus, multos alios ab errore ad salutem reduces, te enim Deus constituit, qui multas nationes ad eum convertas. Quibus rebus visis et auditis, de rupe descendere cogitavit; descendens vero loca conspexit formidolosa, flammarum et cruciatuum plena, insuperque lamentabilem fletum multaque horrenda exaudivit; hic complures, et amicos et principes, qui in idola crediderant, agnoscere opinatus est, atque intellexit, cruciatum illum regi Valdamari et reginæ paratum manere. Qua re tantopere commotus est, ut, somno solutus, totus lacrimis maderet et magno cum timore evigilaret. Post hæc Olavus exercitum suum ad abeundum se accingere jussit: jam enim in Græciam navigare statui. Sic facit. Secundis usus ventis in Græciam pervenit, ibidem illustres et bene fideles (orthodoxos) doctores invenit, qui eum nomen

[1]) *oc allz skógar*, et omnis silvæ, putavi legendum (aut vertendum, ut si scriptum esset) *oc allz conar.*

domini Jesu Christi docuerunt. Sic imbutus est ea fide, quæ ei antea in somnis prænuntiata fuit. Dein egregium quendam episcopum nactus, ab eo petiit, ut se sacro baptismo, cujus jam diu cupidus fuisset, initiaret, ut christianorum hominum communitate uti liceret; quo factum est ut prima signatione initiaretur. Dein episcopum oravit, ut secum in Russiam profectus nomen Dei ethnicis gentibus prædicaret. Quod iter episcopus se succepturum pollicitus est, si ipse una proficisceretur; sic enim ipsum regem aliosque proceres minus restituros, si pro virili adjuvaret, ut aliquis inde fructus redundare, divinaque ecclesia christiana incrementum capere posset. Itaque Olavus discessit, et in Russiam reversus, liberaliter, ut antea, exceptus est. Hic aliquantum temporis commoratus, sæpius regem et reginam commonefacit, ut, prouti eis conveniat, faciant: morem esse multo belliorem, fidem habere vero Deo et creatori, qui cœlum et terram, omnesque res, quæ eis insint, fabricatus sit. Etiam ostendit, quam male conveniat viris potentioribus, tantis inerrare tenebris, ut Deum credant, quod nullum præstare auxilium possit, omnemque in id operam et studium collocent: et, quæ vestra est sapientia, intelligere potestis, vera esse quæ prædicemus. Nec unquam desistam, veram fidem et Dei verbum vobis commendare, ut fructum Deo omnipotenti ferre possitis. Sed rex, etsi diu resisteret et contra diceret, ne morem suum et deorum cultum abjiceret, tamen Deo benigne adjuvante intelligere potuit, multum interesse inter religionem, quam ipse haberet, et eam, quam Olavus prædicaret. Sæpe quoque disertis verbis commonitus est, errorem esse a sacrificiis profectum et a sana ratione alienum, quod antea credidissent, christianorum

vero religionem et meliorem et pulchriorem esse. Atque accedente salubri reginæ oratione, qua, Deo benignissime adspirante, rem commendabat, factum est, ut rex cum omnibus suis sacrum baptismum rectamque fidem admitteret, omnesque ejus loci incolæ christiani redderentur. Quo facto Olavus iter inde paravit, magna jam de eo fama, quacunque iter faceret, percrebescente, non solum per imperium Gardorum, sed etiam in partes orbis terrarum septemtrionales. Quæ insignis fama præclaraque facinora, ab eo quotidie patrata, jam tum septemtrionem versus usque in imperium Norvegicum pervagata sunt.

De rege Olavo.

11. Commemoratum est, Olavum narrationes aliquas audivisse de egregio quodam viro, qui in insula quadam Syllingis dicta, parvo spatio ab Hibernia distante, habitabat. Is excellenti facultate et spiritu divinandi omnipotentis Dei ornatus erat. Ad hanc insulam Olavus classem suam direxit, tum sex ducens naves. Sed vir ille, qui in insula erat, sua sapientia de eorum adventu præmonitus, omnes qui aderant monachos, splendide ornatos in litus descendere jussit, omnes sanctorum reliquias præferentes. Ibi complures erant monachi, clerici, divinique ministri, omnes splendidis palliis ornati. Hoc primo mane accidit. Eodem ipso tempore Olavus in terram egrediens, magnam hominum multitudinem ad mare descendentem conspexit, sole pretiosa illa serica coccinea collustrante. Quos cum Olavus pacate iter facere animadverteret, classiarii obviam eis procedebant. Congredientes Olavus comiter salutavit. Abbas vero ille insulæ præfectus erat. Qui postquam alteri alteros hilariter exceperant, abbas sic verba fecit: brevi antehac

præmonstratum mihi est, qui sis, et qualis futurus; et ideo veni, ut te veram fidem docerem, nomenque domini Jesu Christi annuntiarem, baptismumque, quo ipse omnesque, qui per tuam prædicationem recte credent, salutem unice obtinebunt. Dein ei verbum Dei annuntiare cœpit, multaque de omnipotentis Dei benigne factis exposuit. Quo facto Olavum omnesque comites ejus baptizavit et sacro fonte consecravit. Deinde in eadem insula commorati sunt, donec vestes baptismales deposuerunt, et quotidie in sacris disciplinis confirmati sunt; ibidemque Olavus multas res percepit, eodemque viro deprecatore a Deo impetravit, ut multarum animarum illuminator esset. Dein suis veniam dedit, ut itinera mercatoria in quascunque vellent partes, facerent, præcipiens, ut in Angliam reverterentur, priusquam ipse inde discessisset. Qua data venia hi mercandi causa excurrerunt, Olavus vero classem in Angliam direxit. Quo cum venisset, relatum audivit, dynastam quendam, nomine Sigurdum, Northumbriæ imperare. Eo Olavus cursum contendit, et ab alto delatus per sinum quendam magna arte enavigat. Jam tum dynasta, ab expeditione piratica redux, cum classe trium navium in sinu stabat. Hi conspiciunt splendidas illas naves egregio cursu ferri, et in eis pulchros viros et splendidissime ornatos, in quibus unum multo proceriorem et pulchriorem, quam antea vidissent; is purpureo vestitu amictus pulcherrimam navim gubernabat; jamque naves litori adpropinquantes, quod vela demissa erant, in portum undis malis ferebantur, classiariis portum alacri remigio petentibus; quo capto tentoria figunt et res suas componunt. Quorum strenuitatem admiratus dynasta, ab illustri illo viro quærit, qui sit et unde adveniat. Ille se Alinn opulentum nominari mer-

catoremque esse profitetur: nos autem omnes e regno Gardorum advenimus. Neque diu inter se collocuti erant, cum communione facta naves ac milites consociarunt, prædonibus maritimis, latronibus et infestis populis, qui multis locis amplas sibi possessiones subjecerant, arma illaturi. Quos ut omnibus nervis ac viribus exstirparent, inter se paciscuntur.

De Hakone et Alio.

12. Eo tempore, quo Olavus Tryggvii filius et Sigurdus dynasta societatem inter se fecerunt, Otto imperator, dictus Rufus, Saxoniæ et Peitolando[1] præfuit. Hujus duo dynastæ memorantur, quorum alteri Urgothjotus nomen, alteri Brimiskjar, auctoritate insignes. Imperator Otto votum vovit, se christianam religionem, antequam tres hiemes præteriissent, in Dania introducturum. Id temporis rex Haraldus Gormi filius Daniæ imperavit. Hakon vero dynasta Sigurdi filius, ex quo Haraldum Aurosum dolis circumvenerat, auxilium regi Haraldo Gormi filio, si regnum ejus defendendum esset, secundum pacta conventa ferre tenebatur. Interim Otto imperator copias comparat, Daniam invasurus. Quo cognito rex Haraldus, missis in Norvegiam legatis ad Hakonem dynastam, ab eo petit, ut sibi auxilio veniat. Hic celerrime cum classe centum et viginti navium in Daniam proficiscitur; ille et Haraldus rex conveniunt, consilia conferunt: convenit inter eos, ut copias contrahant. Itaque adversus imperatorem proficiscuntur. Committitur prœlium: multi utrinque cadunt. Tandem imperator cum suis copiis fugam capessit. Qui cum ad naves venisset, hasta, quam auro bracteatam totamque

[1]) Puto, intelligi regionem Circumpadanam, sive in universum Galliam cisalpinam, vocemque *Peita* h. l. a Pado deflexam esse.

eruentam manu tenebat, in mare demissa, Deum eontestatus sie verba fecit: eum iterum in Daniam venero, aut effieiam, ut Dania ehristiana reddatur, aut ego hic mortem oppetam. His gestis in Saxoniam reversus est. Rex autem Haraldus et Hakon dynasta ingentem aggerem, qui munimentum Danorum appellatur, per transversam terram ab ostio sinus Sleiei ad Ægidoram dueendum curarunt; quo facto Hakon dynasta in Norvegiam rediit. Imperator Otto his tribus hiemibus ingentem exereitum contrahit, multoque quam antea majorem habens copiarum numerum in Daniam eontendit, suis quoque dynastis comitatus. Quibus rebus cognitis rex Haraldus legatos in Norvegiam misit ad Hakonem dynastam, auxilia petitum. Hakon dynasta, intelligens, quanto in discrimine res sit, mandato regis eeleriter parendum ratus, magno eum exercitu in Daniam proficiscitur, duodecim viris eomitatus regem Haraldum convenit. Cujus adventu lætatus rex: jam eopiæ tuæ, inquit, arcessendæ sunt. Cui dynasta: antequam hæc fiant, aliquot verba inter nos eommutemus: me ipsum conciliorum participem sociumque expeditionis, nec non hos duodeeim viros, quos nunc meeum habeo, jure postulare potes; nam antea una vice, quemadmodum inter nos pacti sumus, cum auxiliis adveni. Hoc quidem verum est, inquit rex, verum spero te faeturum, hæ eopiæ mihi ut usui sint. Hakon dynasta: ejus rei in nostros potestatem non habeo, qui quidem me meumque regnum defendere, at neutiquam pro tuo regno pugnare sui offieii ducant. Quid tu tuique mereri velitis, inquit rex, ut mihi auxilium feratis? In eam rem una proponitur conditio, inquit dynasta, ut Norvegis omnia veetigalia remittas. Quam conditionem si recusabis, omnis quæ huc eonvenit mul-

titudo, præter me et duodecim illos viros qui nunc hic adsunt, domum revertetur. Tum rex: vere prædicari potest, te omnes homines consilio ac prudentia circumvenire; nunc enim mihi duæ ancipites conditiones offeruntur. Rem fac perpendas, inquit dynasta, nimirum videntur vectigalia Norvegica nulli tibi usui fore, si hic in Dania interfectus fueris. Itaque celeriter optionem eligam, cum hunc in locum deducta res sit, inquit rex, ut tu mihi opem feras et quæ postulasti impetres. Tum, qui omnes dynastæ copias arcesserent, missi sunt. Rem pactam dextris junctis sanciunt. Quo facto universum exercitum adversus imperatorem ducunt, rex cum suis ad Ægidoram, Hakon dynasta cum suis ad ostium Sleicum. Imperator Otto, cum cognovisset, Hakonem dynastam in Daniam venisse adversus se pugnaturum, dynastas suos, Urgothjotum et Brimiskjarem, in Norvegiam misit, qui duodecim onerarias viris armisque onustas ducentes, incolas absente Hakone dynasta ad christianismum perducerent. Iam primum de imperatore ac suis dicendum. Hi in terram egressi munimentum Danorum conspiciunt, cujus oppugnatio minus facilis videbatur. Interim imperator Otto et rex Haraldus congrediuntur, prœliumque statim committitur. Pugnatum est navibus; compluribus suorum interfectis, rex Haraldus naves prœlio subducit. Quo facto imperator naves ad alteram terræ partem ad ostium Sleicum, quo loco Hakon dynasta curabat, adplicuit. Hic quoque commisso prœlio, res imperatoria fuit inferior; quare multis suorum amissis, naves avertit et aliquo ad terram adpellit. Hic bellatoribus occurrit, sex naves, omnesque ingentes, ducentibus. Imperatori, quis eis præesset, interroganti, ille se Alium nominari dixit. Quærenti porro, utrum

christianus esset, nec ne: idem se christianum esse, et quidem in Hibernia christianam accepisse religionem testatus est. Ac deinde Olavus imperatori auxilium suum pollicitus est; quod imperator se libenter accepturum testatus est: tuus enim vultus, inquit, benignam spondet fortunam. Itaque trecentos sexaginta viros habens socia arma cum imperatore jungit. Jam imperator, Olavus ceterique principes consilia conferunt; ea enim difficultate premebantur, quod commeatus exercitum defecerat, neque, omnibus pecudibus amotis, quod abigerent habebant. Quare ancipiti se discrimine premi videbant, aut ut re infecta decederent, aut equos famis exstingvendæ gratia mactarent; quæ utraque conditio iniquior visa est. Neque tamen imperator animum ullo modo inducere potuit, ut discederet. Quæ difficultates cum eum perquam sollicitum haberent, Alium ad se vocari jussit; advenientem benigne excipit; orat ut commodum consilium pro re nata in medium proferat, ne re infecta discedere, nev equis aliisve illicitis alimentis vesci cogerentur. Alius: Deus prospiciat, inquit, tanti vero mea consilia æstimo, ut quæ dederim consilia adhiberi velim. Primum igitur meum consilium est, ne quibus illicitis alimentis, quantavis urgente necessitate, vescamur. Hoc probo, inquit imperator, ceteraque quæ in medium proferas. Tum Alius: Deum, inquit, omnipotentem imploremus, ut victoriam nobis concedat; præterea hoc consilii do, ut hodie omnes milites in silvam eant, lignorumque fascem sibi quisque comparent et ad munimentum apportent; dein, quomodo se res det, videamus. Quod præceperat, factum. Extra munimentum fossa erat ducta in latitudinem passuum decem et totidem in altitudinem; castella portis erant superstructa. Lignis ad munimentum pertractis, ingentes pontes fossæ

injecerunt; dein sumta vasa aquaria ramentis et pice complerunt, ignem injecerunt vasaque ita comparata ad munimentum contorserunt. Auster erat vehemens et siccus, unde ignis, consumtis vasis et cremiis, munimentum corripuit, ut unum ex altero conflagraret, usque eo donec totum munimentum Danorum eadem ipsa nocte incendio absumtum esset. Proximo mane tantus imber coortus est, ut homines tantam vim aquarum de cœlo effusam non meminerint. Sic extinctum incendium, ut tum statim pedibus transiri posset, cujus nulla fuisset facultas, nisi pluvia extitisset. Quibus cognitis rebus, rex Haraldus et Hakon dynasta, animis magno timore perculsis, fugam ceperunt navesque petierunt. Imperator vero Otto et Alius, qui per quatriduum sese victoriæ ergo cibo abstinuerant, exercitu per pontes traducto, satis alimentorum nacti sunt. Imperator, cui consilium Alii bene successisse visum esset, interrogavit, unde oriundus esset. Ille respondet: qui sim, haud diutius celabo: Olavus vocor, filius sum Tryggvii, regis Norvegici. Jam imperator et Olavus regem Haraldum et Hakonem dynastam insecuti, tria prœlia commiserunt, ex quibus omnibus rex Haraldus et Hakon dynasta, magna facta strage, aufugerunt, fugientibus imperator et Olavus terra institerunt. Quacunque iter facerent, omnes ad christianam religionem amplectendam hortati sunt, ita sua cuique intacta factura. Plerique, quod magis expediebat, elegerunt, et religionem amplexi sunt; qui recusarunt, interfecti. Sic illi magnam et præclaram victoriam reportarunt. Hakon dynasta et rex Haraldus, qui recedere perrexerunt, intelligentes, quo latius religio christiana propagaretur, eo magis suas vires decrescere, concilium inter se habuerunt, seque ad magnas angustias redactos, quod a navibus

essent interclusi, senserunt. Itaque legatos ad imperatorem mittere, pacem petere, neque tum, quo minus religionem christianam amplecterentur, recusare decreverunt. Missi ad imperatorem profecti, mandata exposuerunt; quibus imperator liberaliter respondit, dicens placere sibi, ut omnes una in concilium conveniant. Legati reversi rem ad suos detulerunt. Itaque omnes in unum concilium convenerunt, quo concilio nullum in Dania frequentius extitit. Hoc in concilio episcopus quidam, nomine Poppa, qui cum imperatore erat, surrexit, et prolixa disertaque oratione religionem eis commendavit. Qua oratione audita rex Haraldus: nemo credat, inquit, me sola tua oratione persvasum iri, nisi videam, religioni quam prædicas majorem inesse vim, quam ei, quam hucusque coluimus. Tum episcopus: neque vero tentamine carebit religio nostra: sumendum ferrum atque igne coquendum, idem ego nudis manibus novem pedes gestabo; quodsi me Deus omnipotens ab ardore intactum servarit, ita ut manus mea incolumis sit, universus exercitus vester religionem amplectitor. Quo ab rege, dynasta, omnibusque suis probato, episcopus ferrum portans incedebat, neque ardore ustulatus est; sic eum Deus conservavit. Quo viso rex Haraldus omnesque sui religionem amplexi sunt, nam omnes hoc miraculo vehementer fuerant commoti, totusque Danorum exercitus baptizatus est. Hakon vero dynasta ad religionem amplectendam multo erat tardior, sed cum se contraria parte iniquis premi conditionibus videret, tandem eo descendit, ut baptismum admitteret. Quo facto dynasta veniam domum redeundi petiit, quam ab imperatore impetravit, ea tamen lege, ut ipse religionem in Norvegia servaret aliisque annuntiaret, alioquin imperio renuntiaret. Post hæc

discedit, et in itinere ad Gothiam appellit, eoque loco populationem facit; sacerdotes, quos imperator cum eo miserat, remittit. Interim dynasta de delubro quodam, Thori sacro, in quo centum dii erant, certior factus, eo proficiscitur, fanum diruit, pecunias omnes diripit: multis terræ locis prædas agit, magnamque pecuniarum vim nactus ad naves redit. Ottar dynasta, qui eo tempore Gothiæ præfuit, summa celeritate usus adversus dynastam contendit, at cum jam discessisset, consequi eum non potuit. Itaque concilio indicto Hakonem dynastam exulem declaravit, ita ut *lupus in loco sacro* (i. e. pacis sacrosanctæ violator) appellaretur, eo quod sanctissimum Gothiæ delubrum diruisset. Quæ dum gererentur, dynastæ Urgothjotus et Brimiskjar, de facinoribus ab Hakone dynasta patratis edocti, atrocitate eorum perterrefacti, cum omnibus navibus suis et octo aliis, viris ac præda onustis, cum adventum dynastæ exspectare nollent, e Norvegia discesserunt. Hakon vero dynasta, cognito, quid dynastæ administrassent, totam Vikam ab eis christianam factam, gravi ira incensus, nuntios per Vikam dimittit, interminans ne quis huic religioni adhæreat. Quo cognito, qui christianismo renuntiare noluerunt, aufugerunt, alii ad paganismum relapsi sunt. Etiam dynasta, ad paganismum relapsus, totidem fana quot diruta fuerant, exstruenda curavit. Inde rebus quietis usus toti Norvegiæ solus præfuit, nec ulla tributa regi Haraldo pependit; quorum amicitia admodum frigescere cœpit. Imperator, rex Haraldus et Olavus ad idem convivium omnes convenerunt, et antequam digrederentur, rex Haraldus vovit, suos omnes religionem servaturos, cujus voti fidem præstitit; deinde munera inter se commutarunt. Post hæc imperator, splendida reportata victoria, domum

in regnum suum profectus est. Tum Olavo Tryggvii filio conditionem tulit, ut secum proficisceretur; at hic iter alio convertere et bellum paganis gentibus inferre maluit, atque sic integra amicitia digressi sunt.

De Olavo Tryggvii filio.

13. Inde Olavus (ac Sigurdus) cum copiis profecti, Britonibus, Hibernis, Scotis bellum intulerunt, paganas nationes infestarunt, christianis tuto iter facere permiserunt. Id autem pactum inter Olavum ....[1] et Sigurdum dynastam convenerat, ut singulis Olavianorum binæ partes cederent, dynastæ militum singulæ; item ipsi Olavo tres, dynastæ una. Quæ partitio ideo sic fiebat, quod cum Olaviani, tum imprimis ipse Olavus, propter fortitudinem et in re gerenda audaciam majorem prædam acquirebant. Cum in Hibernia essent, prædamque cepissent (in quo sæpius triumphandi occasio est oblata), evenit, ut infinitam pecoris multitudinem, boves, oves et capras, ad naves abigerent, ut inde sibi cibaria pararent. Hæc igitur ad naves compulerunt. Tum pauper aliquis rusticus, teterrime vestitus, ad Olavum accedens oravit, ut gregem, quem suum esse agnovisset, sibi redderet et domum suam compelleret. Cui Olavus: quod petis, minime concedere possum, neque enim tu gregem tuum, nec facile dignoscendum nec in unum congregandum, a tanta multitudine secernere poteris, neque reperietur quisquam, qui hoc negotium absolvat. Hic rusticus: quæso, benignissime mihi concedas, ut id ex pecore meo recipiam, quod ejus canis meus mihi secernere possit. Cui Olavus: si canem qua dicis sagacitate habes, ut possit oves tuas et boves secernere, suaque peritia et intelligentia ab alio grege dignoscere,

[1]) in cod. lacuna est; forte supplendum *Tryggvii filium.*

petitioni tuæ annuam, ita tamen ut caveas, ne quam moram canis tuus nobis faciat. Igitur canis, signo a colono dato, in innumeros armentorum greges procurrere, et pecora explorare; necdum dimidia hora intermissa est, cum omnia rustici pecora discreverat et a cetero grege abegerat. Mirari Olavus suique omnes; inquirit, qua indole et prudentia canis iste sit. Rusticus eum similiorem esse prudentium opilionum, quam brutorum canum, humanoque intellectu gaudere demonstrat. Hic Olavus cupiditate captus, canem, ut erat, singularis pretii esse æstimavit, atque petiit a rustico, ut cum sibi donaret. Rusticus ei canem extemplo dono dedit, Olavus vero rustico crassum annulum aureum, insuperque, quod majoris erat pretii, suam amicitiam. Itaque amici digressi sunt. Hic canis appellatur Vigius, et sermo est omnium hominum, non extitisse rem ejus generis hoc cane pretiosiorem.

De Olavo Tryggvii filio et Alpine athleta.

14. Quo tempore Olavus in Angliam venit, athleta quidam, nomine Alpin, ibidem fuisse dicitur; is omnium æqualium erat robustissimus, insignis gladiator; magnas habebat possessiones etsi injuste partas; idem omnibus in rebus summus splendoris ac magnificentiæ ostentator, de facie pulcher. Erat in Anglia nobilis vidua, cum propter cognationem, tum propter ipsius heroicam indolem; huic nomen erat Gyda, amplumque regnum possidebat. Hujus nuptias ambiit Alpin athleta. Cui illa tale responsum dedit, velle se conventum indiecre, in quo quem eligere maritum velit, optatura sit. Annuit athleta. Cum Olavus ac piratæ cognossent, quale responsum athletæ regina dedisset, complures ex eis iter ad conventum pararunt, seque eximiis vestimentis ornarunt, sperantes se delectum iri;

multi quoque eorum se in vitæ periculis experti fuerant. Olavus quoque profectus est, qui ita erat vestitus, ut hirsuta lacerna circumdatus esset caputque demisso pileo (cucullo) tegeret. Is igitur cum suis ad conventum profectus est. Aderat et in conventu regina, triginta feminis comitata; quas, ab urbe splendida pompa vectas, ipsa omnes dignitate superabat. Alpin athleta in sella sedebat, pretiosissimis sericis coccinis, auro gemmisque ornatus, idolo pulvinari imposito simillimus. Hunc formosæ illæ feminæ adequitarunt, equis insidentes. Hic athleta sermonem orsus: audi, inquit, nobilis domina, oro obsecroque, ut equo descendas, sedemque hoc loco juxta me deligas, meque virum tibi et amatorem optes. Erat autem potens illa domina soror Olavi Scotorum regis, qui Kvaran est cognominatus. Quæ cum magnam utrinque multitudinem conspexisset, complures que eximios viros splendide ornatos, videret et Alpinem eximie ornatum: totam coronam virorum circumequitans, omnium, qui eo convenerant, cum vultum tum vestes diligenter notat, neque tamen eum, quem quæreret aut se dignum putaret, invenit. Hoc idem altera vice fecit, circumequitans, et cujusque viri faciem et vultum explorans. Tertia vice circumequitans, eo venit, quo loco erat vir quidam ingenti statura, hirsuta indutus lacerna. Cujus oculis conspectis: hic est, inquit, quem ex omnibus, qui huc convenere, virum mihi eligo. Alpin, cum se spretum, tanta affectum contumelia et delectabili illa conditione privatum, hunc vero virum sibi prælatum intellexisset, stomachose fremens, eum brevi tempore fruiturum illa conditione significavit. Jam concio dimissa, magnificæ et eximiæ epulæ instauratæ, fama per omnes pagos dimanante; eodem primum dynasta, deinde multi alii prin-

cipes convenerunt, cum Olavus hanc matronam ducturus esset. In quo convivio cum discumberet, eodem Alpin athleta magna cum ira venit, et Olavum ad certamen circense provocat, jubens experiri, quantum viribus et strenuitate valeat. Accidit secundo convivii die, ut Olavus ad certamen circense provocaretur. Olavus se venturum declaravit. Et postridie prima luce Olavus cum duodecim viris ad locum proficiscitur, item athleta cum viris quatuor et viginti. Dein armis inter se concurrunt; cadunt ex athletæ comitibus viginti duo. Tum Olavus, depositis armis, in athletam incurrit, eumque manibus comprehensum humi prostravit; quo facto, omnibus qui superstites erant arcte vinctis, athletam equo imposuit et caudam versus spectantem ante se in urbem egit. Quo viso, dynasta ceterique principes Olavum præclarissimam victoriam reportasse existimarunt, qui athletam tanto ludibrio et contumelia tractasset. Quare dynasta eos contemsit, se laturum injurias eorum negans, eumque ea terra excedere jussit; quod et fecit. Hic Olavus aliquamdiu commoratus est, filiumque ex Gyda procreavit, nomine Tryggvium; is postea adversum Sveinem Alfivæ filium tribus ante festum jolense noctibus pugnavit.

De Hakone dynasta.

15. Jam inde narratio repetenda, quod dynasta Hakon Sigurdi filius, quemadmodum supra dictum est, hoc tempore Norvegiæ imperavit. Sigurdus erat filius Hakonis Grjotgardi filii. Hic Hakon, vir potens et prudens, suis consiliis ac dolis Haraldum Gunnildæ filium Halsi ad sinum Limicum oppressit, item alterum Haraldum Aurosum, quem ipse, volente Danorum rege, humi prostravit. Ita hæc duo regna, Norvegia et Dania, conjuncta sunt. Tum quoque Hakon ingenti

illa auri copia quæ cognato suo fuerat, potitus est. Dein rex Haraldus Hakonem procuratorem et dynastam Norvegiæ præfecit, ita ut quotannis Danorum regi vectigalia penderet. Ita tredecim hiemes processerunt, ut Norvegi Danis vectigales essent. Sed anno decimo tertio imperator Otto adversus Danos pugnavit. Tum rex Haraldus et Hakon dynasta in sinum Limicum profugerunt; inde Hakon dynasta in Norvegiam refugit, nec exinde unquam regi Danorum tributum pependit. Aliquot post hiemibus piratæ Jomenses circa mediam hiemem cum classe centum et nonaginta navium in Norvegiam profecti, cum Hakone dynasta ejusque filio Eiriko in sinu Hjorungico conflixerunt, tamque audaciter pugnarunt, ut pauca extent in terris borealibus exempla prœlii adeo vehementis. Totum diem pugnabant, Hakon vero dynasta subinde in terram egrediebatur et diis suis sacra faciebat, eosque magnopere invocabat; sed tamen eo die preces ejus irritæ erant. Nam complures de suis, pauci de piratis Jomensibus ceciderunt. Postridie a primo sole usque ad meridiem prœlium fervebat. Tum Hakon in terram trajecit, votumque Thorgerdæ Holdabrudæ pro victoria fecit, cui, antequam preces suæ exaudirentur, filium novennem immolavit. Quo facto, illa in prœlium eunte, ortaque tum terribili pugna cum grandine, complures piratarum Jomensium cecidere. Eirikus Hakonis filius acrem impetum sæpius fecit, multosque hostium prostravit. Tum Sigvaldius dynasta cum triginta navibus in Daniam refugit, remanente Buio, qui honestius esse dixit, eo loco fortiter cadere, quam cum immenso pavore fugere. Tertio die vehementissimo ardore pugnatum. Cum vero complures auxilio Hakoni dynastæ subvenirent, illis autem auxilia longius essent arcessenda, compluribus suo-

rum interfectis, diutius resistere non potuerunt. Itaque Buius, cum suos cadere, turbam circumstantium militum rarescere, et hostes in naves jam transcendere animadvertisset, postquam fortissime pugnarat, arcas suas aurarias in utramque manum sumsit, ea ratione usus, ut trunca brachia annulis arcarum insereret; eumque exclamasset, „desilite, omnes Buiani", in mare se præcipitavit.

De insidiis Olavo Tryggvidæ ab Hakone dynasta factis.

16. Sed illuc revertar. Hakon dynasta, cum insignem famam de multis prœliis ab Olavo Tryggvii filio factis rebusque multis locis præclare gestis accepisset, omnes animi curas in id intendit, ut caveret, ne quibus subitis aut inopinatis dolis se filiosve regno exueret; multis modis animo versavit, quibus consiliis occurreret, ne imperio spoliaretur, potius aliquas ei struendas insidias ratus, ut ipsum patria aut vita privaret. Frequens igitur convocari jubet concilium, quo complures principes convenerunt. Erat vir, nomine Thorer Klakka, dynastæ amicissimus; hunc in concilio ad se vocat, ostendit se velle eum orientem versus Gardos mittere eis cum mandatis, ut dynastam mortuum nuntiet, et hoc insuper, regnum principe vacare, omnesque in regia dignitate Olavo Tryggvii filio deferenda consentire: hujus mandati confirmatores accedent duo avunculi Olavi Tryggvii filii, qui veritatem abs te dictorum adserent, seque dicent ideo missos esse, ut eum cum honore in patriam reducant. Cognati autem Olavi sancte juranto, se hoc consilium Olavo non prius aperturos, quam Norvegiam pedibus attigerint; tum primum id licitum esto. Idem Thorer dicitur antea cum Olavo versatus eique jurata fraternitate junctus fuisse; neque tamen eo minus his dolis se venditarat

seque adeo dolosis insidiis adversus Olavum Tryggvii filium obstrinxerat, dynastæque præmiis et hortationibus adductus, voluntati ejus se satisfacturum sancte pollicitus erat. Itaque dynasta hos duo cognatos Olavi, quorum alteri nomen erat Karlshöfudi, alteri Josteini, arcessi jubet. Qui cum adessent, dolosum illud, quod excogitarat, consilium eis aperuit. Illi se facturos negare, dicentes, sibi minime convenire ita in consangvineum suum consulere. Dynasta eos deteriorem sibi conditionem et rem minus expetendam, si hanc recusarent, eligere ostendit: vos enim, nisi meæ voluntati pareatis, repentinam mortem oppetetis. Unde factum est, ut aliter facere, atque imperarat, non auderent. Itaque profectioni se accingunt, singulas quique naves ducentes, et in Angliam trajiciunt. Quo cum venissent, cognito, Olavum jam ortum versus profectum in regnum Gardorum, eo cursum dirigunt. Huc delatos magna ille hilaritate excepit, cognatisque suis splendidum convivium apparavit. Mox Thorer subdola illa mandata exponere, omnesque res a nobis ante memoratas Olavo aperire cœpit. Quærente Olavo a cognatis, an vera essent quæ dixisset, illi demisso capite parum audacter vultuque tristi responderunt, veraque esse affirmarunt. Olavus itaque, verbis eorum fidem habens, hæc vera esse credidit, cum universi comites dictorum veritatem confirmarent. Sed Olavus multique alii mirari, cur fratres, Karlshöfud ac Jostein, quibus tam læta contigisset congressio, sese adeo tristes gererent. Hic hiemem transegerunt. Vere incipiente Olavus iter ab oriente paravit, sex ducens naves, præter tres illas, quas illi orientem versus duxerant; quæ naves multis rebus pretiosis, auro, gemmis, eximiis sericis coccineis, et quibuscunque rebus in se-

ptemtrione rarissimis, onustæ erant. Itaque ignarus, se his insidiis peti a cognatis suis, profectus, iter sine ulla suspicione fecit. Commodis usi ventis, magna hilaritate navigabant. In Norvegiam appulerunt loco, qui antrum Thjalvii dicitur, navesque suas tentoriis contexerunt. Cum ceteri obdormivissent, Jostein ac frater navem Olavi conscendunt, tacite et modeste accedentes orant, ut in terram egrediatur. Itaque facit; considunt prope a pontibus et inter se colloqui cœperunt. Hic ambo simul: "uterque nostrum, mortem ex te promeriti, ob scelus nostrum et fraudem nostra tibi capita dedimus"; addentes, cum rem omnem flentes exposuissent: atque hic locus, ut opinamur, tuæ, cognate, cædi est destinatus. Tum Olavus: ipsi vobis habeatis capita vestra, vobisque hoc crimen condonabo; nunc vero, quid faciendum sit, docete. Illi: scimus, inquiunt, Finnum quendam, multarum rerum præscium, in hoc monte domicilium habere; hunc adeuntes, quid faciendum nobis sit, consulamus, petentes ut aliqua nobis utilia det consilia. Olavus contra: abhorret animus, minusque placet, istud hominum genus convenire, aut eorum opem implorare; si vero vobis hoc placeat, Dei voluntas nostra quoque fiat! Deinde noctu in tenebris per loca valde paludosa et lutosa progredientibus, cum Olavus, pæne utroque pede in palude forte hærens, a suis exceptus et e palude eductus esset: eo hoc accidit, inquit, ut pœnas darem, atque apparet male convenire, ad tutelam aut patrocinium Finni istius confugere; et merito meo hoc accidit. Illi reposuerunt; vetus proverbium est, insolita eventa meliorem rerum conversionem præcedere. Finnus ille, adventum eorum præsagiens, fores domus suæ aperit, ut

domicilium suum invenire possint. Qui cum, conspecto inde lumine, viam eo invenissent, his Finnus, intus verba faciens, sic loquitur: scio, qui sis, Olave, quidve quæras, et qui futurus sis. Neque est, cur domum meam intres, nam hodie, ex quo ad terram appulisti, graviter laboravi: etenim te haud parvi præcedunt genii, quippe cujus in comitatu lucida numina sint, quorum consortium ego, qui alius naturæ sim, ferre nequeo; quam ob causam foris verba facias, oportet. Tum Olavus: age vero, Finne, dic, quid agendum nobis sit, aut quem exitum res inter me et adversarios intercedentes sint habituræ: potiturus sim hoc regno, nec ne. Cui Finnus: primo mane crastino te Thorer in colloquium evocabit, in terram egredi jussum, secreto tecum collocuturus; idem hortabitur, ut ambo considatis, ipseque sibi altiorem, quo sedeat, eligere locum studebit, quod tu concedere nolito, propterea quod duo ex suis in silva latent, signo dato procursuri atque te interfecturi; tu vero item duo ex tuis in silva collocato, qui signo a te dato procurrentes Thorerem interficiant; atque hoc modo Thorer, quem tibi tetendit laqueum, eodem capietur, meritasque pœnas dabit. Post hæc non multo Hakone interfecto, regno potieris. Hæc, quæ jam dixi, cum evenerint, ut imperium Norvegiæ regas, novam incognitamque religionem huic terræ imperabis, et, antequam desistas, plerique omnes tibi subjecti imperio tuo parebunt. Quod si hæc, quæ jam prædixi, eventus vera esse docuerit, mihi aliam atque utor religionem imperare nolito, nev me ad eam amplectendam cogito, neque enim converti me ad res alias, aliamve quam qua nunc sum naturam, fas est. Neque vero tibi aut tuæ dignitati ullum me honorem conciliare posse

video, nisi ita forte evenerit, ut canis tuus vulneretur; hunc ad me missum sanabo. Post hæc discesserunt et ad naves descenderunt, hasque tacite conscenderunt, ut ceteri somno non excitarentur. Omnia a Finno prædicta eventu probata sunt. Cumque Olavus ac Thorer de sedis prærogativa inter se disceptarent, quod uterque locum editiorem postularet, Olavus manicam dextra supra caput extulit, quo facto quatuor viri ex silva procucurrerunt, quorum duo erant Jostein et Karlshöfud, qui ceteros cursu prævertentes ad locum, ubi Olavus ac Thorer sedebant advolarunt, amboque simul Thorerem gladiis appetiverunt, qui tali modo vitam finivit. Quo conspecto Thoreriani aufugerunt; qui vero in navibus erant, pacem petierunt, quam Olavus omnibus religionem christianam admittentibus operamque sibi pollicentibus concessit; quam conditionem libenter acceperunt. At Olavus, cum se, talibus dolis circumventum, divino beneficio liberatum intellexisset, Deo gratias egit. De quibus hactenus satis dictum est.

De Hakone dynasta potente.

17. Jam proxime narrandum est, Hakonem dynastam, vergente ætate, insolentia et pecuniæ cupiditate stimulatum, durum sese erga populum gerere cœpisse. Accessit circa rem uxoriam intemperantia; nam quotquot nancisci posset feminas, sive sorores, sive matres filiæve essent, suæ libidini subjecit, easque apud se, quamdiu ipsi placeret, retinuit. Jam tum magnam in universum populum crudelitatem exercere cœpit, quare animi civium tantopere sunt ab eo alienati, ut multi eum Malum appellarent. Et dicitur Islandus aliquis longum et infame carmen, multis insertis probris inauditis, de eo composuisse. Ha-

kon deos majori religione, quam plerique alii homines, colebat. Atque in rebus venereis eo immanitatis procedebat, ut amor in libidinem prorumperet, ita ut cum civium uxoribus amplissimo loco natis, multisque virginibus, consvetudinem haberet, quæ cum apud eum unam hebdomadem aut mensem commoratæ essent, eas ignominia affectas (violatas) domum ad patres ac matres remisit. Brynjolvus nomen erat viro potenti et divitiis affluenti, qui in Gaulardalo habitabat; is uxorem habuit venustam. Huc nocte quadam Hakon dynasta servos suos misit, edito mandato, ut uxorem ejus abducerent. Qui ut venerunt ad villam, jam Brynjolvus cum uxore lectum conscenderat; illi, causa adventus exposita, significant, placere dynastæ, uxorem ejus ipsis abducendam tradi. His Brynjolvus: pauca sunt, quæ dynasta iste loqui aut facere indignum putet, eoque jam insolentiæ procedit, ut magna spes sit, (quod bene vertat!) fore, ut dominatus ejus turpiter ruat; et sane populus hicce magnis premitur difficultatibus. Itaque Brynjolvus vehementi ira impulsus, missos ab dynasta gravi cum stomacho abigit; qui reversi ad dynastam, rem renuntiant. Dein dynasta plures viros misit, qui uxorem volenti nolenti extorquerent, aut aliter eum interficerent. Qui cum ad Brynjolvum venissent et mandata dynastæ exposuissent, Brynjolvus: nunc sane nescio, quem res exitum habitura sit, uter nostrum, dynasta an ego, victoriam ex altero sit reportaturus. Quibus dictis exiliit; illi uxorem raptam abducunt. Brynjolvus omnes villas circa positas circumiit, copias poposcit; docet, quanta se impulerit necessitas, ne ea atrocitate diutius premantur; vehementer hortatur, ut adversus dynastam arma capiant: de-

monstrat, non sui solius, sed communem omnium necessitatem id postulare. Qui cum esset magnæ auctoritatis, gratia valens amploque genere natus, magna ad eum multitudo confluxit, unanimi in dynastam odio; hi magnum habuerunt armorum apparatum militesque strenuos, et iter magno cum tumultu ac fremitu faciebant. Transcenso Gaularaso viam, quæ Ladas fert, ingressi sunt; ibi villa dynastæ principalis erat, ibidem summum delubrum, totius Norvegiæ maximum. Omnium una erat voluntas, dynastam aut interficere aut in ædibus concremare. Versabatur Ladis dynasta, totius regni sede capitali, ubi ante eum majores sui sese continuerant, ipseque magnum illud delubrum, quod ibidem erat, innumeris diis dicaverat. Etsi vero tales res, quæ tam graves et iniquæ videri possint, de Hakone dynasta referimus, tamen merito de eo prædicari potest, regnum ejus primo quidem diu amicitiis fultum stetisse; procedente vero ætate ejus, durior in dies civibusque gravior esse cœpit dominatio ejus. Idem dicitur omnium fuisse de facie pulcherrimus, et sapientissimus, multisque rebus excellentissimus omnium, qui eum dignitatis titulum gesserunt; idem bellator peritissimus. Filios habuit legitimo connubio natos, Sveinem et Erlendum. Nam Eirikus ex legitima uxore susceptus non erat; is patris et similis et dissimilis erat: sapientia similis, in prœliis strenuus, adspectu vero et ingenio dissimilis; idem animo liberali, bene aliis consulens, procerum et humiliorum studiosus reconciliator, ingenio mansveto, præterquam in inimicos, quibus se crudelem et asperum præbehat. Eirikus ac Svein, cum hæ res gerebantur, peregre aberant. Accidit primo mane, ut aliqui cubiculum dynastæ ingressi, magnam undique multitudinem adfluere

significarent. Quibus rebus cognitis dynasta, cum sibi haud expedire intelligeret, auxilia ex pagis arcessere, propterea quod omnis, quæ ibi erat, multitudo repugnatura esset, nec quicquam inde auxilii exspectari posse videretur, ad naves, quæ prope a villa aberant, confugit, et unacum filio Erlendo ac domesticis in sinum provehitur; duas naves celeriter nacti a litore solvunt, spe in terra adenita, salutem mari petituri. Dynasta paulum a litore provectus, novem conspexit naves, quæ ab exterioribus per sinum navigantes obviam tendebant. Quibus visis cum magna admiratione capti essent, a puppi respicientes, multas vident naves ex interiore sinu magno cum impetu et clamore se insequentes. Hi, simul velis et remis, magno fervore summoque odio iter contendebant, effugiendi facultatem dynastæ prærepturi.

De Olavo Tryggvii filio.

18. Olavus Tryggvii filius, qui interfecto Thorere Klakka omnibus, quas ab oriente duxerant, navibus præerat, boream versus secundum litora navigavit. Hoc ipso tempore intrato sinu, ab Agdaneso obviam navibus, quæ, ut supra demonstratum, ex interiore sinu ferebantur, contendit, suosque naves his applicare jussit: scire enim cupio, quinam sint; quæ verba ignarus, qui obviam irent, locutus est. Jam Hakon dynasta, cum rem suam in tantis versari angustiis videret, intelligens, quam irrogassent hostes, perferendam sibi pœnam esse, filium Erlendum sic alloquitur: age, exiguam scapham compara; hanc cum paucis conscendam et in terram trajiciam; tu hic remaneto: spero enim te, propter gratiam, qua vales, vitam retenturum, quod multi bene erga te animati sunt, nec tibi quisquam adferet vim, modo ipse non adsim. Sic itaque

factum. Dynasta ad terram adpellit, in silvam extemplo excurrit, saluti consulit. Ut vero in silvam venit, omnibus locis insidias collocatas esse animum advertens, plagam orientalem cum suis petere contendit, eoque venit, quo loco Gaulardalus appellatur, id agens, ut vitæ consulat, hostiumque conspectum vitet. Interea classiarii, magno studio instantes, duas illas naves consequuntur, classemque ex omnibus partibus eis adplicant. Hic Erlendus, rem suam in hostium potestate versari intelligens, cum suis in aquas desiliit, natando effugere conatus. Hoc ipso temporis momento Olavus Tryggvii filius advenit, qui ad clavum navis suæ sedens, cum juvenem illum natando a navibus aufugere animadverteret, classiarios, in quos inciderat, interrogavit, quis esset juvenis ille, qui nando a navibus aufugeret. Dicunt, hunc dynastæ filium esse, Erlendumque nominari. Quo ille audito, conjecto quem manu tenebat clavo gubernaculi eum percussit, qui ictus capiti inflictus mortem ei attulit. Inde Olavus quærit, quæ esset causa hujus tumultus ac dissidii. Illi, vera edita causa, contra interrogant, quis esset vir ille magnificentia et dignitate spectabilis, qui verba cum eis faceret. Ille se Olavum nominavit, seque Tryggvii filium esse dixit. Quo audito Thrandi eum hilariter exceperunt, blandisque verbis compellarunt: sanequam nobis exoptatus adesto, te enim jam diu desideravimus, regiam tibi dignitatem, ad quam es natus, libenter deferentes. Itaque una omnes dynastam persequamur, eumque e medio tollamus, ad quam rem tuo auxilio nobis opus est. Quo superato totius imperii Norvegici potieris, totius enim Norvegiæ te regem creare statuimus. Quorum dictis Olavus Tryggvii filius delectatus, se eis ad hanc rem suum

auxilium libenter polliciturum ac præstiturum ostendit. Dein omnibus navibus ad terram applicatis, omnibusque copiis in unam aciem conglobatis, ad conquirendum dynastam exeunt, eumque quæsituri exercitum in cohortes distrahunt. Dynasta, Olavum Tryggvii filium advenisse animum advertens, civesque ad eum confluere intelligens, se conquiri veritus, fugam quam vehementissime properat, copiis quæ eum comitabantur in diversa diffugientibus; atque eo tandem rediit res, ut nemo apud dynastam remaneret, præter Karkum, servum ejus. Dynasta inter fugiendum equo vectus, ad magnum aliquem fluvium pervenit, eumque transiit. Detractum humeris, quo indutus erat, amiculum bombycinum in fluvium conjicit; inde in Gaulardalum aufugientes, latebras circumspiciebant. Veniunt ad villam, dictam Rimulum; hic femina eximia nobilisque incolebat; ea dynastam conveniens liberaliter salutavit. Huic dynasta: heus tu, bona matrona, inquit, ab inimicis meis pulsus domo profugi; hostis me magna vehementia persequitur. Dic age, ecquam videas latebram, ubi delitescere possim. Quæ tua est prudentia, quæque nos intercedit amicitia, officium præsta domino tuo debitum. Ea contra: si mihi vir aliquis potens quærendus esset, quo eum loco minus quærerem, quam in suili? Cui dynasta: en prudens consilium; igitur servis tuis præcipe, ut heic occultum nobis locum præparent. Ea sic fecit; jubet ingentem foveam deprimi, lignisque superinjectis, ne recentis operis vestigia possent animadverti, quam diligentissime contegi. Hanc domum dynasta ac servus subierunt, quo cum descendissent, diligenter contecta est. Dein servi terram superinjecerunt, hanc fimo superstraverunt, eaque insuper compulsis porcis fimum concul-

cando protriverunt. Interim Olavus Tryggvii filius dynastam quærens insequitur, magnoque stipatus militum numero ad fluvium, de quo facta mentio est, pervenit. Vident pallium in lingulam quandam arenosam ejectum; quo sublato, agnoscunt, dynastæ fuisse. Hic multis dicentibus, obiisse dynastam eo loco, neque opus esse ulteriori pervestigatione, vir quidam magno natu: vos quidem fraudes dynastæ minime nostis, si eum in hoc fluvio interiisse putatis; immo abjecto pallio vos dolis seducere cogitavit, ut mortui hoc loco opinionem præberet. Quibus dictis cum fidem haberent, inquisitione continuata, tandem in Gaulardalum delati, ad villam Rimulum pervenerunt. Hic omnibus villæ ædibus exploratis suile intrarunt, neque quidquam invenerunt. Ante vero quam inde discederent, Olavus clara voce locutus est: si quis caput dynastæ mihi attulerit, hunc ego magno præmio remunerabo. Quibus dictis finem quærendi fecit, et cum omnibus suis discessit. Dynasta, qui unacum servo hæc verba exaudivit, vocem hujus hominis vehementer admiratus, in hæc erupit: hic vir, Olavus, insignis auctoritatis est, magnaque ejus orationi vis inest, neque me aut animum meum antea unquam unius hominis vox tam vehementer commovit, etsi sæpius in gravissimis fuerim constitutus periculis; nam hæc verba animum meum gravi sollicitudine et cura afficiunt. Lumen, cibum ac potum apud se habebant, unaque cœnabant. Dynasta servum intuitus, cum animadverteret, faciem ejus valde obscurari, inde intellexit, mentem ei vacillare eumque consilii ambiguum esse; quare suspicatus eum se proditurum, si ipse obdormivisset, fidem ei non habuit. Itaque ipse sibi invigilare cœpit, noctemque insomnem agere statuit; contra ea servus se alto diutinoque sopori immersit. Qui

excusso somno, dynastam vigilem animadvertens: somniavi, domine, inquit. Dynasta: quid somniasti? Dicam tibi, inquit ille, tu vero somnium interpretare. Dynasta: dic igitur! Visi mihi sumus eadem nave vehi, egoque ad clavum sedere. Dynasta: sic cogita, te meæ et utriusque nostrum vitæ arbitrum esse, itaque fidelem te præstes, ut postea crebro rebus secundis frui possis. Aliud præterea oblatum mihi somnium est, adstare domui virum ingenti statura, nigro colore vultuque truci; is locutus est: jam Urlius interfectus est. Dynasta: scilicet interfectus est, opinor, Erlendus filius meus. Post hæc servus obdormivit, somnoque solutus, cum dynastam vigilare animadverteret: adhuc unum vidi somnium; apparuit mihi vir aliquis magna statura, qui a monte descendens locutus est: nunc omnia freta interclusa sunt. Hic dynasta: adeo parum superesse vitæ nostræ ais. Servus: adhuc somniavi, equum ingenti magnitudine mihi ab Olavo datum. Dynasta: scilicet te altissima, quam nancisci poterit, cruce affiget; ita tibi cave, ne me prodas, quod tunc exiguum tibi vitæ spatium restabit. Dein servus redormivit, dynasta vero vigilavit. Cum vero processisset nox, et lux adpropinquaret, dynasta diutius vigilare non potuit. Servus, tum somno experrectus, cum dynastam somno jam sepultum videret, arrepto cultro acutissimo, inferiori jugulo dynastæ grave vulnus inflixit, inde caput præcidit; quo facto domo se abripuit, et eo usque contendit, donec postero die mane Ladas pervenit. Tum Olavo Tryggvii filio caput dynastæ tradidit. Quod cum Olavus caput esse Hakonis dynastæ agnovisset, servo iratus, eum suspendi jussit, dicens eum meritas proditionis pœnas daturum: Hakonem dy-

nastam prodidit; me quoque, si poterit, prodet; sic autem dominorum proditores deterrendi.

De divisione terræ (Norvegiæ).

19. Olim rex fuit, nomine Norius, qui Norvegiam primus incolis frequentavit. Ex meridiana parte Norvegiæ sita est Dania; ex orientali, Svecia; ex occidentali, Anglia; e septemtrionali, Finnmarkia. Norvegia natura triquetra est, cujus longitudo, a plaga africi ad septemtriones, ab Albi Gothorum boream versus usque ad Veggestavum, latitudo et amplitudo, ab ortu ad occasum, a silva Eidensi ad mare Anglicanum patet. Terra autem his nominibus discreta et appellata est: Vika, Hordia, Oplandia, Thrandheimus, Halogia, Finnmarkia. Quæ regna multos pagos, multas provincias, insulasque innumerabiles continent. Celeber ille rex, Haraldus pulchricomus, postquam totum regnum Norvegicum, quod ad mortem usque obtinuit, in potestatem redegerat, sibique magnis opibus subjecerat, in Rogalandia diem obiisse, ibidemque tumulatus esse dicitur. Post eum multi fuere reges ejus stirpe prognati, qui regia potestate pagis, amplis regnis aut insulis præfuerunt. Quo nomine eos tantum respicimus, qui litoribus maritimis exterioribus imperarunt, summamque regiam potestatem exercuerunt; nam in Oplandia et in tractibus montanis reguli provinciales fuerunt ab Haraldo oriundi, qui provinciis imperarunt; quæ regna, compluribus terræ locis, montibus ac silvis disterminabantur. Ex his regibus, qui ab rege Haraldo descenderunt, excellentissimi et celeberrimi fuerunt, rex Tryggvius, pater Olavi, de quo jam commemoratum est, item Olavus Haraldi filius et Haraldus Grenlandicus, pater Olavi sancti, qui postea universum Norvegiæ imperium singulari potestate tenuit.

Olavus rex creatus.

20. Ubi hæ res vulgo innotuerunt, famaque per regnum percrebuerat, Hakonem dynastam interfectum esse, ejusque in locum successisse Olavum Tryggvii filium: omnes principes ac viri sapientes ex communi Thrandorum, atque omnes, qui aliquo honoris titulo erant ornati, omnisque præterea multitudo advenit, universo populo eum sibi regem uno ore optante, et, ut omnibus civibus præesset, orante. Hic primum omnium Thrandos ac Gauldalenses in tutelam suam recepit, et cum his iniit societatem, ea lege, ut eos adversus Eirikum dynastam et Sveinem, quibus cum multi essent adversarii, tamen complures habebant cognatos et amicos, opibus et auxilio juvaret. Rex Olavus vicissim aliis, atque gravibus, difficultatibus premebatur, cum pater suus vita totoque regno spoliatus fuisset, ipse vero Olavus in pueritia diu a cognatis ac patria exsulasset. Ceterum altera ex parte colonis magna erant auxilia militumque copia, quam regi offerrent, ingentesque opes, quibus regium imperium sublevarent; quibus vicissim rex eximium præsidium in omnibus periculis sive prœliis præstare poterat; quo factum est, ut regis civiumque voluntates brevi conjungerentur. Itaque illi Olavum Tryggvii filium in comitiis Eyrensibus regem creant; ipse vicissim leges eis institutaque civilia servaturum jurat; utrique communem operam saluti publicæ dare tenerentur. Jam regnum cum gloria ac lætitia gubernavit; totam Norvegiam singulari imperio rexit, cunctas sibi subjecit provincias regni, inde a territorio Finnorum, ad boream sito, usque ad fines meridianos, Daniæ conterminos; quibus rebus vir potens ac illustris extitit. Idem, quoad regno præfuit, laboribus et periculis erat implicitus;

primus regum Norvegiæ veram religionem observavit, factumque est ejus auctoritate et potentia, ut universum regnum Norvegiæ ad christianismum perduceretur, multæque acciderunt memorabiles res, antequam christiana religio introducta esset.

De rege Olavo, veram religionem annuntiante.

21. Hoc regium mandatum coram universo populo proponens, multas dicitur orationes magna cum facundia habuisse, ut religioni, quam antea habuissent, animis tam perniciosæ, renuntiarent, quum in lignis ac lapidibus, quos oblatis coluissent sacrificiis, unicam salutis spem posuissent. Igitur blandis verbis oravit, ut vanam istam et ridiculam religionem, quæ ipsos multiplici periculo deciperet, abjicerent, hortatus, ut potius verum Deum colerent, qui in cœlestibus gaudiis regnaret: hunc unum verum esse Deum, hunc omnia bona impertiri hominibus docet. Omnes sapientissimos regni viros hortatus est, ut animum adverterent ad exempla Anglorum, Danorum aut Saxonum, qui paulo ante novam religionem amplexi erant. Itaque blandis verbis orat, ut cultum sacrificalem deponant, exempla talium virorum sequantur, in rectam viam se convertant, et in verum Deum cœlestem credant; ostendit, quantum præstet, Deo omnipotenti, quam diabolo, parere; multis exponit de gaudiis beatorum et piorum hominum, et vicissim de conditione, quæ malos homines maneat, et de terroribus cruciatuum infernalium. Quam orationem magna cum vi divinoque auxilio habuit. Etsi autem principes contra dicerent, relictisque comitiis domum in pagos, ubi quisque domicilia haberet, se referrent, tamen nihilo secius rex magnam retinuit hominum multitudinem, divinumque mandatum per-

secutus est. Qui cum facundia sua omnium animos commovisset, non prius destitit, quam omnes, qui in comitiis remanserant, ab episcopo sacro fonte lustrati essent; qui ab eo tempore vera in creatorem fide imbuti, idola sua ipsi perfregerunt, horumque cultu penitus rejecto, sanctam religionem et Dei præcepta observarunt. Quo facto cœtus christianus magna cepit incrementa.

De rege Olavo Tryggvii filio.

22. Memoriæ ab Ario polyhistore proditum reperitur, quod quidem plerique comprobant, Olavum Tryggvii filium duo[1] et viginti annos natum in Norvegiam revenisse, imperiumque, quod quinque hiemes gessit, capessivisse. Sunt tamen quidam rerum historicarum scientes, qui confirment ac persvasum habeant, eum natum annos triginta duo imperium adiisse. Qui qua ratione annos computent, nunc exponemus. Hi dicunt, Olavum, cum rex Tryggvius pater interfectus fuerit, nondum editum in lucem, sed eodem anno natum unam hiemem apud avum maternum atque matrem clam versatum esse; dein orientem versus in Sveciam per silvas ac deserta ad Hakonem grandævum concessisse, ab Hakone dynasta et Gunnilda exagitatum, ibidemque duas hiemes mansisse; inde, cum tertium ætatis annum complevisset, discessisse; marique iter facientem, cum Gardos proficisci statuisset, unacum matre a paganis captum et retentum fuisse, in hac servitute sex annos consumsisse; Gardis atque partibus orientalibus undecim annos, in Vindlandia tres commoratum esse. Tum in Daniam, inde in Hiberniam concessit, ubi ab abbate quodam, sancto spiritu pleno, sacro baptismo initiatus est. In terris occidentalibus novem annos trans-

[1]) *mallem* quinque (ɔ: v pro ij).

egit. Quibus elapsis Angliam reliquit, natus annos duo et triginta. Post hæc Thorer Klakka insidias Olavo struxit; qui cum in Norvegiam, uti dictum est, proficiscerentur, Thorer, quemadmodum Finnus prædixerat, pauloque post Hakon dynasta interfecti sunt; quo facto Olavus Tryggvii filius, ut commemoratum est, imperium suscepit. Ea vero de re tali modo consentiunt hi viri, Sæmundus polyhistor et Arius polyhistor (quorum utriusque relatio fidem meretur), Hakonem imperio præfuisse annos triginta tres, ex quo Haraldus Grafeldus ceciderit[1]; quæ sententia cum hac narratione admodum congruere videtur. Sumunt vulgo, Olavum Tryggvii filium tres in vita sua ætates habuisse: unam, cum gravem servitutem, oppressionem et contumeliam perpeti coactus est; alteram, cum magno splendore et felicitate florebat; tertiam, dignitate, gloria, sollicitaque publicæ salutis cura insignem. Verum fieri potest, ut Einar Areipotens aut Astrida, soror Olavi, quam Erlingus Soliensis in matrimonio habuit, hos novem annos, quibus ab aliis vexatus et oppressus fuit, tunc non observaverint, cum multorum opinio esset, eum mortuum esse. Postea vero quam cognati amicique hunc eundem virum tanquam ex morte resuscitatum repererunt, adventu ejus haud minus lætati sunt, quam si ab Acheronte revocatus esset, ideoque ætati ejus annos septem et viginti adtribuerunt. Sed utriusque testimonium mihi observatione dignum videtur, ut intelligi possit, quatenus tales relationes fidem mereantur.

---

[1]) Fateor, me hunc locum nondum satis intelligere. Id mihi persuadeo, Arii hanc sententiam non fuisse, dubito etiam, an Sæmundi fuerit. Concedam, Oddi monachi fuisse, etsi repugnet eis, quæ supra dixit (recte, ut puto) in cap. 15.

De rege Olavo Tryggvii filio.

23. Ab eo tempore, quo primum Haraldus pulchricomus imperium Norvegiæ capessivit, usque ad illud tempus, quo Olavus Tryggvii filius occidentem versus in Angliam cum quinque navibus profectus est, postquam unam hiemem rex Norvegiæ fuerat, centum quadraginta octo anni transiisse dicuntur. Ejusdem anni autumno proxime insequenti rex in Norvegiam reversus est, secum ducens episcopum Jonem et complures sacerdotes, Thangbrandum sacerdotem et Thormodum, multosque alios Dei ministros, quos designaverat, ut cœtum christianum confirmarent et instaurarent, secus credentes in rectam viam reducerent, verumque lumen a Deo omnipotente proficisci docerent. Cumque rex Olavus paratus erat, in Orcades navigarunt; his insulis præerat dynasta Sigurdus Lodveris filius, vir multis rebus celeber, potentia et amicitiis valens. Huic rex Olavus veram religionem annuntiavit, et ad eam amplectendam magna eloquentia, tam sero vespere, quam primo mane, studiosissime hortatus est; satellites ejus de cruciatibus infernalibus, æterno igni et algore, multisque aliis terribilibus tormentis edocuit; ipsum omni studio monuit, ut tales res caveret, ostenditque, eos nullo pacto hos cruciatus posse effugere, nisi idola sua diffregissent, Deumque omnipotentem, creatorem suum, omnium rerum gubernatorem, colerent: hic, inquit, colendus vobis est. Dynasta his vehementer restitit, negans se suæ majorumque religioni renuntiaturum: neque vero ego præstantiorem novi religionem, quam qua majores mei, aut cultum meliorem, quam quo usi sunt cognati mei excellentissimi. Olavus, cum eum religioni suæ pertinaciter adhærere animadverteret, filius ejus juvenem, nomine Hvelpum,

qui ibi magna cura educatus fuerat, comprehensum margini navis longæ ad proram imposuit, destrictoque gladio, optionem dynastæ promisit, utrum obtruncari ante oculos sibi filium suum mallet, si religionem recusaret, an juncta secum pace et amicitia filium recuperare, receptoque religionem christianam amplecti vellet: alioquin regno ejus periculum et vastationem denuntiat. At dynasta se utrumque amplexurum spospondit, et christianam religionem et regis amicitiam. Itaque factum, ut dynasta omnesque sui baptizarentur. Quo facto rex Olavus, ventis usus secundis, in Norvegiam cum classe contendit; jamque magna cum lætitia navigavit, classisque, et certatione velificandi et navium splendore, eximiam speciem præbuit.

De rege Olavo.

24. Rex Olavus ab occidente delatus, ad Mostriam Norvegiæ insulam constitit. Hic ei noctu per quietem apparuit sanctus Martinus episcopus, his allocutus: in hac terra ea consvetudo invaluit, ut Thori aut Odini ceterisve Asis pocula memorialia in conviviis dicata fuerint; nunc velim, hanc consvetudinem ita immutes, ut mea memoria in conviviis colatur, pristinus vero ille mos deponatur; tibi vero vicissim polliceor, me verba pro te facturum et negotium tuum confirmaturum; sunt enim multi, qui tibi nunc resistere decreverunt. Proximo post die frequenti conventu indicto, infinita hominum multitudo ad regem confluebat, orationi ejus oblocutura. In quo conventu tres disertissimi viri operam suam sunt polliciti, ut ei contra dicerent; qui, utpote omnium, qui convenerant, sapientia et eloquentia præstantissimi, si Dei nomen annuntiare cœpisset, verba contra facere apud animum

statuerant. Rex Olavus in excelso saxo stabat, quo magis omnibus conspicuus esset, verbaque sua facilius exaudirentur; quod saxum, in rei gestæ memoriam, etiam nunc ibidem exstat. Tum rex Olavus verba ad populum facere, Dei nomen annuntiare, omnes ornatis verbis in suam sententiam perducere, et religionem, quam antea erant professi, confutare cœpit. Qui cum prolixam ac disertam orationem habuisset, is, cui primæ partes respondendi erant demandatæ, surrexit, oculosque diu circumferens se insolenter gerebat, magna eloquentia et arte verba facturus. At hunc tanta cepit tussis et anhelitus, ut vocem emittere nullam posset, atque ita nihil contra dicens residere cogeretur. Tum alter surrexit, magna cum ira regi contra dicturus; is vero adeo balbutiebat, ut, quid loqueretur, percipi non posset; ut adeo qui cum fastu ac superbia surrexerat, derisui habitus turpiter resideret. Quo facto tertius surrexit, collegas suos verborum artificiis ulturus. Huic autem accidit, ut raucus factus tam obtuso gutture substrideret, ut intelligi, quæ loqueretur, non possent. Qui cum tam efficaci vi superati essent, complures religionem amplexi, abjecto pristino errore, regis imperio paruerunt. Inde rex classe Stadum prætervectus, septemtrionem versus in Thrandheimum navigavit. Tunc temporis, more regum superiorum, sedem principalem Ladis habebat.

De inventis Selianis.

25. Initio imperii regis Olavi accidit, ut duo viri iter facerent, quorum alteri nomen Thordo Jorunnæ filio, alteri Thordo Ægileivæ; erant potentia et auctoritate insignes, possessionesque in provincia Fjordensi habebant. Hi, quod famam de mutatione principum nondum acceperant, Hakonem dynastam convenire cogitabant.

Quibus, Ulvasundum pernavigantibus, cum insulam Seliam adveherentur, splendidum oblatum visum est, eximium lumen cœlitus emissum, quo loca maris terræ propinqua, item ipsa insula Selia resplendebat. Illi, magna capti admiratione, cum scire cuperent, quale illud visum esset, quidve hac re eis portenderetur, naves eo direxerunt. Quo loco lumen fulgere conspicati erant, caput humanum invenerunt. Quod cum svavem odorem exhalare animadvertissent, id venerabundi, et tamen timentes, sustulerunt atque secum abstulerunt, ad Hakonem dynastam delaturi, quem pro sapientia sua, quid hoc sibi vellet, intellecturum et cogniturum existimabant. Itaque iter persequentes, cum haud longe progressi essent, cognoverunt, dynastam interfectum, et in ejus locum successisse egregium principem, regem Olavum Tryggvii filium. Illi nihilo secius ire perrexerunt, regem conventuri, cujus præstantiam ac clementiam ab omnibus deprædicari audirent, Ladasque pervenerunt. Quos congressum suum petere audiens rex, magna eos comitate excepit, eisque convivium adparavit. Hic cum lautissimis epulis adsiderent, rex honestissimos hosce viros blanda comique oratione obsecrare cœpit, ut pristina religione rejecta in verum Deum crederent: audivi, inquit rex, vestram agendi rationem multis nominibus probari et collaudari; quare oro, ut ad christianam religionem animum adplicetis. Ceterum hi viri prima statim oratione regis adeo sunt permoti, ut imperata facere suumque errorem abjicere pollicerentur. Itaque advocato episcopo Jone, qui altero nomine Sigurdus adpellatus est, baptizati sunt in nomine sanctæ trinitatis, Deoque consecrati. Quibus baptizatis, omnes magna lætitia

affecti sunt. Rex eos magno honore habitos suis ipsius mensis convivas adhibuit, quod ei æquum videretur, homines, qui sua auctoritate permoti partem cœlestis hæreditatis accepissent, solennis quoque convivii, regiæ mensæ et amicitiæ participes esse. Cumque accumbentes læti potabant et se oblectabant, regi et episcopo, omnibusque qui aderant, de splendido illo viso, quod eis oblatum esset, exposuerunt, de lumine et invento capite, eamque rem magna cura ac sollicitudine narrarunt. Rex præcepit, ut sibi caput ostenderent, quod et fecerunt. Quo viso: hoc vere, inquit, sancti hominis caput est. Deinde omnibus optimis viris caput ostendit, remque magna cum lætitia exposuit. Post hæc iidem viri domum redierunt, sancta fide confirmati; hi magna cum lætitia et honore discesserunt, atque regis præceptum postea diligenter custodiverunt.

De rege Olavo.

26. Accidit aliquando, ut colonus quidam mitis et mansvetus in insulam Seliam veniret, deindeque ad regem Olavum profectus, ei de re, quæ accidisset, exponeret, nimirum equam suam aufugisse, seque diu eam quæsitum circumisse: ego tandem, inquit, eam in hac insula prope a freto, in parte insulæ exteriori, qua ad occidentem vergit, quo loco ingentes rupes erant, stantem conspexi; itaque eo me contuli, domine, eoque loco non solum eo die, sed et postea sæpius, magnum lumen vidi. Quo audito rex et episcopus, magna usi festinatione, in hanc insulam trajecerunt, duce colono, eamque diligenter explorarunt. In occidentali insulæ parte rupes ingentes invenerunt, ubi olim vasta fuisse antra, quæ nuper corruissent, animadverterunt. Hunc locum diligenter perscrutantes, magnum ossium numerum svaveolentium saxis interspersum in-

venerunt. Jam hæc jussu regis et episcopi collecta, et in eadem insula diligenter asservata. Rogatu episcopi regeque jubente templum ibidem exstructum, et sanctis illis hominibus, quorum reliquiæ ibi asservabantur, consecratum. Eodem loco Deus omnipotens insignia exhibet beneficia ad hunc usque diem, ob eorum merita, qui ibidem quiescunt. Eodem modo multa fiunt miracula in alia insula, quæ Kinna adpellatur, quo etiam loco, sicut in Selia, eorundem hominum reliquiæ adservantur. Quorum utrorumque causa Deus clementia et benignitate sua multa miracula patrat.

De Sunneva.

27. Regnante Hakone dynasta res sequentes accidisse dicuntur. Erat in Hibernia regia quædam filia, nomine Sunneva, mortuo patre amplarum possessionum hæres. Sed pirata quidam eo arma inferre resque ejus affligere instituit, duas offerens conditiones, ut aut armis secum certaret, aut matrimonio sibi jungeretur. Ea vero illi, utpote pagano, nullo modo nubere voluit. Itaque suos in concilium convocatos oravit, ut conditionem relinqvendæ patriæ potius deligerent, quam ut sua causa tot hominum sangvinem effunderent: neque enim tam multiplici me periculo exponere volo, ut cum ethnico pirata vivam. Jam multi eam conditionem elegerunt, ut eam comitarentur, utpote reginam suam. Eidem se comitem adjunxit frater, nomine Albanus, multique ministri,mulieres puerique. *Pro sustentatione racio assumunt.* Sic ostendit, se Deo magis, quam terreno auxilio, confidere, atque se Deo omnipotenti commendavit. Igitur sustulerunt* .... tum omnes Dei nomen invocarunt; quo vero majora incrementa cepit regnum Dei,

*) desunt circiter duo folia.

eo majorem honoris jacturam diabolus facere sibi visus est.

De Eiriko Sveciæ rege.

28. Quo tempore Hakon dynasta Norvegiæ præfuit, rex Eirikus Sveciæ imperavit. Hic post celebre illud prœlium, quod cum Styrbjorne commiserat, ex quo superior discessit eo pacto, ut Oddiner ei victoriam daret, pollicito, se post annum decimum Oddineri peculiarem fore, Eirikus victoriosus ab eo tempore est appellatus. Hic Styrbjörn, omnium æqualium fortissimus et armorum gloria inclytissimus, escensione in Svioniam facta, tantas adversus regem copias duxit, ut rex Eirikus vires ejus magnopere metueret. Sed rex Eirikus tanta vi diabolica adjutus esse dicitur, ut arte magica duas partes hostium prostraverit; tandemque factum est, ut omnes copiæ cum ipso Styrbjorne occubuerint. Rex Eirikus Sigridam facinorosam in matrimonio habuit, ex quibus natus est Olavus Svecus. Dicitur rex, fastus et insolentiæ Sigridæ reginæ pertæsus, repudium ei mittere voluisse, eamque Gothiæ reginam præfecisse, deinde filiam Hakonis dynastæ in matrimonium duxisse. Post eum filius Olavus imperium capessivit. Tum vero Vissivaldus, regionum Orientalium rex, et Haraldus Grenlandicus, rex Uplandensium, nuptias Sigridæ ambierunt. Illa vero, quod et indignum existimabat, nuptias suas a regulis ambiri, et audacius judicabat, talem reginam a tantulis affectari, ea de causa utrumque eadem nocte in ædibus concremavit; eodem loco et occubuit vir illustris Thorer, pater Thoreris Canis, qui Stiklastadis adversus regem Olavum sanctum pugnavit. Quo edito facinore Sigrida Facinorosa appellata est.

De Olavo Tryggvii filio et regina Sigrida.

29. Rex Olavus Tryggvii filius, cum regi-

nam, quæ Gothiæ imperaret, tam præclara fama ferri audisset, et illud regnum et ipsam una reginam in potestatem suam redigere cupiens, illustres viros Upsalos in Sveciam, ubi ea tunc se continebat, misit. Hi mandata domini sui proposuerunt, omnemque causam adventus exposuerunt. Quibus regina auditis, amicos in colloquium adhibuit, et cum his consilia contulit, eo tandem rei exitu, ut se nupturam Olavo sponderet. Missi reversi domino suo legationem renuntiarunt, cujus exitu valde lætatus est. Dein ille annulum, qui speciem auri referebat, pecuniæ sponsalitiæ nomine reginæ misit, qui annulus magnum quoddam delubrum, quod fuerat Hakoni dynastæ, ornaverat. Regina, accepto annulo læta, datoris liberalitatem magnopere collaudavit, jamque tali regi nubere vehementer cupiebat. Sed aliquando forte accidit, cum annulum animi oblectandi causa manu regina tractaret, ut uno loco obscuratum esse animadverteret. Quam ob rem aurificem ad se vocatum probare aurum jubet; quo ille facto, hunc annulum ex metallo (orichalco) et ære factum, totumque inauratum esse deprehendit. Hic regina, gravi ira incensa, annulum diffringi regique Olavo remitti jussit, eum sibi fraudem fecisse magnaque se affecisse contumelia testata, neque se velle ullum cum eo inire connubium.

De rege Sveine a Sigvaldio abducto.

30. Mortuo regi Haraldo Gormi filio Svein Furcobarbus filius ejus successit. Burizleivus, Vindlandiæ rex, Danorum regi vectigalis erat; huic tres erant filiæ, una Astrida, altera Gunnilda, tertia Thyria. Eo tempore Sigvaldius dynasta arcis Jomensis erat; is ad regem Burizleivum profectus, duas ei proposuit conditiones, se arcem relicturum, nisi sibi filiam Astri-

dam in matrimonium dedisset. Cui rex: equidem viro majori, quam tu, dignitate eam collocare constitueram; neque tamen repulsam feres: tu regem Sveinem cum paucis comitibus e Dania huc ad me elicias, ita ut ejus potestatem habeam. Annuit Sigvaldius; rem fide interposita confirmant. Eadem æstate Sigvaldius cum tribus navibus et trecentis sexaginta viris profectus, cum Selandiam attigisset, regem Sveinem haud procul inde convivio interesse cognoscit; naves suas ad promontorium aliquod, ubi nullæ usquam naves in propinquo erant, constituit. Rex Svein convivium celebrabat, septingentis viginti comitibus stipatus. Sigvaldius proris navium pelago obversis, unam ex alterius prora religat, omnes remos scalmis impositos habere suos jubet. Dein ad regem mittit, qui dicerent, necessitatem postulare, ut se conveniat; vitam et imperium ejus in eo verti: vos autem me ægrotare dicite, morti jam proximum. Missi ad regem profecti, mandata aperiunt. Quibus rex auditis confestim magna stipatus virorum multitudine ad naves descendit. Sigvaldius in extrema navi decumbebat, qui suos ita est allocutus: cum triginta viri cum rege navem terræ proximam conscenderint, pontes a terra subito attrahite, causati, ne naves cum vectoribus deprimantur: rex autem primus omnium naves conscendet. Ubi viginti viri in navem, quæ media est, venerunt, medius quoque pons attrahendus est; cum vero rex cum decem viris in extremam navem pervenit, interjacens pons tollendus. Jam rex cum copiis adveniens, Sigvaldium dynastam in extrema navi jacere graviter ægrotantem cognoscit; itaque navem terræ proximam conscendit, et aliam deinceps ex alia, donec in navem Sigvaldii pervenit. Sigvaldiani omnia, ut imperatum erat,

exsecuti sunt. Rex, ut in navem Sigvaldii cum decem viris devenerat, quæsivit, an Sigvaldius usu linguæ valeret; audit, valere quidem, sed viribus esse perquam infirmis. Ad quem accedens rex, pronoque corpore procumbens, quærit ab eo, ut valeat, quidve dicere habeat, quod sua tanto opere intersit. Sigvaldius contra: prono corpore ad me inclines, domine, tum intelligere poteris, quæ locuturus sum. Hic Sigvaldius regem ad se inclinatum ambabus manibus medium complexus, firmiter tenuit, suosque inclamans naves quam vehementissime remis propellere jussit. Illi imperata faciunt; naves celeri remigio in altum provolant, septingentis viginti illis viris in litore remanentibus, et regem abductum conspicientibus. Tum rex Sigvaldium ita alloquitur: quo hæc ratio spectat, quidve agitas? Cui dynasta: exponam tibi, domine, omnem hujus consilii rationem; ego tibi uxorem petii, filiam regis Burizleivi, quæ venustate et omnium rerum peritia excellit; id quod amicitiæ ergo feci, ne optima conditione uxoria careres. Regi interroganti, quod virgini nomen esset, Gunnildam vocari, Sigvaldius significat, sibi vero desponsam esse alteram ejusdem regis gnatam, jam se iturum ad regem Burizleivum et negotia utriusque nomine peracturum. Jam Sigvaldius regem adiens, se jam nuptias filiæ ejus promeruisse ostendit, regem enim Sveinem in arcem Jomensem abductum in potestatem ipsorum pervenisse. Ego vero id consilii excogitavi, inquit Sigvaldius dynasta, tu Gunnildam filiam tuam regi Sveini nuptum dato, ejusque huc adventum gloriosum et honorificum reddito, quem honorem ipse remittendis prædiorum mercedibus ac vectigalibus meretor. Sic omnia ex arbitrio Sigvaldii peracta sunt: rex Svein omnia vectigalia remisit, Gun-

nildam ductum ivit. Qui etsi omnia, quatenus res ferebat, in honorem suum convertebat, tamen omnia consilia ac dolos Sigvaldii perspicere sibi visus est. His actis rex, triginta ingentes naves magnumque copiarum numerum habens, uxorem reducit, Sigvaldium vero dynastam ob dolos suos fundis avitis extorrem esse jussit, qui aliquantum temporis exul patria caruit.

De conventu a rege Olavo habito.

31. Rex Olavus Tryggvii filius secundo imperii anno frequentem conventum in Dragseido juxta Stadum indixit; quo regis edicto per complures pagos divulgato, infinita eo convenit hominum multitudo, feminæ virique, juvenes senesque. Quum ex omnibus, quibus imperatum erat, pagis homines convenissent, rex surrexit et hunc in modum verba fecit: Deus vobis pro vestro huc adventu gratiam referat! Ut vero sciatis, quid vobis conveniat, de omnipotentis Dei miraculis vobis exponam, ejusque sanctum nomen annuntiabo. Dicitur autem orationi regis, Dei nomen annuntiantis, tanta accessisse vis, ut qui eo duris pectoribus venissent, et ad amplectendam religionem tardiores essent, horum animi svavitate verborum et eloquentia, quam ex ore ejus audirent, adeo svaviter deliniti fuerint, ut orationem ejus grato animo acciperent. Quod postea semper evenire solebat, ex quo sanctus Martinus episcopus ei apparuerat, et se, quotiescunque divinum negotium perageret, per os ejus locuturum et orationem ejus confirmaturum pollicitus fuerat. Quam ob causam omnibus est exoptabile visum, quæ præcepisset, lubenti animo accipere. De qua re etsi nos propter inscientiam pauca dicamus, tamen omnes, verba ejus audientes, summa admiratione capti sunt. Itaque magna hominum multitudo eorum, qui recte cre-

debant, baptizata est; qui aliquot dies cum rege et episcopo versati, ab his in sancta fide confirmati, christianis disciplinis imbuti, templaque in quoque pago exstruere jussi sunt.

De incantatoribus.

32. Rex Olavus edixit, ut omnes artis magicæ periti, quique priscam superstitionem exercerent, in primis omnes, sive feminæ, sive mares, quos Norvegi incantatores dicunt, in exsilium irent; cujus criminis qui convicti essent, hos ut damnatos aut homicidas interfici jussit. Hujus conventus mentionem facit sacerdos Sæmundus polyhistor, vir sapientia insignis, his verbis usus: Olavus Tryggvii filius, anno imperii secundo, magnam hominum multitudinem congregavit, et conventum in Stado in Dragseido habuit, neque prius veram religionem hominibus annuntiare destitit, quam baptismum admisissent. Rex Olavus rapinas, furta et homicidia severe repressit; idem populo bonas leges dedit, bonisque moribus adornavit. Sic Sæmundus de rege Olavo in libro suo scripsit: omnes homines, qui vim diabolicam (magiam) exercerent, in Nidarnesum conduxit, comparatisque navibus his hominibus terra excedendum esse simulavit. In hoc numero vir erat, nomine Eyvindus, nobili genere natus, tertio aut quarto consangvinitatis gradu Haraldum Pulchricomum adtingens. Hos adiens rex sic locutus est: magnum mihi regnoque meo damnum vestro discessu affertis, atque nostro ex digressu plus ad me incommodi, opinor, quam commodi redundabit, si a vobis, tanta præditis vi et efficacia, quibus ceteros homines antecellitis, deserar. Verum propterea quod studio propagandæ religionis christianæ, quam huic terræ imperavi, tantum profeci, necesse mihi esse videtur, ut vos et ejusmodi homines regno

excedatis: at libenter velim, ut ne odium in me concipiatis, nev vis vestra in majestatem meam hostiliter erumpat. Igitur, priusquam naves conscendatis, vos ad epulas optimarum rerum copia instructas invitare volo. Illi pro his verbis regi gratias agunt, invitationem læti accipiunt, quod verbo pollicitus esset, ut re præstaret, hortantur. Itaque rex suos jussit magnam domum struendo convivio adornare, in qua læti epulis frui possent. Quæ cum esset adornata, eo omnis generis dapes et potum, mulsum et cerevisiam delicatiorem, conferri jussit. Illi vehementer potabant, et utraque re (cibo et potu) immodice fruebantur. Nocte vero subito accidit, ut somno excitarentur, taberna super eis conflagrante, titionibus totam domum pervolantibus, magno et horrendo sonitu coorto, qua ex re ingens fletus et ululatus virorum feminarumque extitit. At Eyvindus, omnium, qui intus erant, artis magicæ peritissimus, eo modo ex incendio evasit, ut saltum daret cervi instar velocissimi, diabolicis artibus adjutus: nimirum in trabem domus transversariam subsiliit, inde in fulmentum columinis, et ex fulmento iu fenestram transiliit, atque ita solus ex omnibus, qui intus erant, evasit. Dein fuga se abripuit. Qui cum die quodam iter faceret, in via incidens in milites regis Olavi, hos regi salutem suam verbaque amica perferre jussit: eique dicite, inquit, me ex incendio effugisse, majorique omnibus in rebus, quam antea unquam, licentia usurum.

De Roaldo.

33. Erat, ut dicunt, vir quidam sacrificiis deditus, nomine Roaldus, Godoæ habitans, potens et magnæ auctoritatis: is sæpe diis vota fecit, et quotidie eis sacrificavit, suppliciter precans, ut prohiberent, ne ad aliam religionem cogeretur,

nev ab Olavo rege patria expelleretur. Idem illecebris diaboli adeo deceptus erat, ut dii ei ob sua sacrificia responsa darent. Rex Olavus, fama de hoc viro accepta, iter eo comparat; quotiescunque vero itineri se accingeret, ventus adversus coortus est, ut eam in insulam navibus pervenire non posset, factumque aliquoties est, ut profectio eorum singulis vicibus impediretur, rexque ad proficiscendum paratus diutius detineretur. Roaldus deos perpetuo invocabat, ut Deo Olavi fortiter resisterent, sacraque eis faciebat. Quum rex Olavus, qui decus Norvegorum merito potest appellari, circa hæc conamina diutius hæsisset, id consilium cepit, quod ipsi suggestum est a Deo, præcepitque suis, ut ab ipso Deo peterent auxilium, eique sacra facerent, ut secundam tempestatem, huic vento, quem vi diaboli adversus eos excitatum esse intelligebat, contrariam eis daret. Itaque rex et episcopus Deum ipsum invocarunt, quo facto extemplo lenis ventus secundus exortus est, pro quo grates Deo egerunt. Sic commodo vento navigantibus, duo turbines mari incubuere, qui inter se pugnare videbantur. Hic episcopus magnum aliquod vas sumsit aquaque repletum consecravit, dein aquam in mare contra ventum fluctusque adversum insurgentes effudit, quo facto sedatis, naves celeriter ferebantur. Sic adjuvante Deo omnipotenti ad insulam delati, naves in portu constituerunt, et escensione facta hominem, Deo ipsisque inimicissimum, comprehenderunt, duasque conditiones obtulerunt, utrum abjecta religione sua vitam et amicitiam eorum retinere, an mortem subire velit. Rex eum jam blandis, jam asperis verbis allocutus, gravesque cruciatus comminatus, permovere studuit; sed ille, neque blanditiis verborum, neque minis commotus, a per-

tinacia revocari non potuit. Cui cum rex necem comminaretur, hæc locutus est: decet me, mihique magis honestum est, mortem pati, quam cultum deorum nostrorum abjicere. Rex, pertinacia ejus cognita, alta eum cruce suffigi jussit, talique mortis genere periit.

De Halogis.

34. Erant in Halogia tres viri amplo genere nati ac divites, unus Thorer, cognomine Cervus, alter Harekus, tertius Eyvindus Kinnriva. Hi cultus sacrificalis erant observantissimi, neque religionem majorum suorum deserere volebant. Qui, regem Olavum in partes boreales venturum certiores facti, magnis copiis multisque navibus adversus eum contractis, quod aliam atque antea habuissent, religionem imperaret, ne fines suos ingrederetur, prohibere, et cum eo confligere statuerunt. Quo cognito rex Olavus iter ad eos conveniendos susceptum in præsens distulit, primumque orientem versus in Albim profectus est, quo loco, ut fert consvetudo, reges Daniæ et Norvegiæ aut Angliæ et Saxoniæ conveniunt. Hic Sigridam Gothiæ reginam convenit; quibus inter se colloquentibus, omnia ad concordiam spectabant; tandem eo deductus est sermo, ut de matrimonio cum ea ineundo mentionem faceret; de omnibus inter eos bene convenit, una re excepta, quod illa se christianam religionem accepturam negaret. Rex, cum eam diutius ad hanc acceptandam hortatus esset, neque ea adsentire vellet, ira incensus, genam ejus manica sua percussit, dicens: quid? mene putas, vetula rugis obsita, uxorem ducere velle te, si in nomen Dei non credas? At regina hanc ob causam vehementer irata est, adeo ut, longinqua versans consilia, crebro postea regi Olavo gra-

ves insidias strueret. Post hæc Sigrida Sveini Danorum regi nupsit.

De rege Olavo.

35. Eadem æstate Olavus ingentem et pulchram navem, Tranium nominatam, quæ omnes naves magnitudine, pulchritudine et celeritate præstabat, ædificandam curavit. Circa id tempus complures viri, magnitudine virium et artis naturæque bonis præstantes, ad regem Olavum venerunt, quos in aulicorum numerum recepit; et ubicunque famam accepisset de viris, robore aut sapientia ingenii excellentibus, aut in aliqua re egregiis, hos omnes ad se pertraxit, eorumque animos sibi conciliavit; et ut ipse ceteros reges omnibus rebus antecedebat, ita eos sibi viros adjunxit, qui ceteris in omnibus antecellebant, hosque multo quam ceteri principes melius et lautius habebat. Uni ex intimis ejus nomen erat Akio Dano, qui etiam genere Danus erat. Is regi significat, sororem regis Sveinis Thyriam vocari, feminam non minus venustate quam potentia excellentem: hujus ego per aliquantum tempus tutor constitutus, egregiam in ea indolem esse expertus sum; ea amplas in Falstria possessiones habet. Quæ cum ab Akio magnopere laudaretur, regi bene placere cœpit. Sunt autem, qui eam viro cuidam, nomine Bjorni, nuptui collocatam esse, seque loco Norvegiæ, qui Thyrileiva dicitur, aliquantum temporis continuisse dicant. Quod si verum est, patet, non virginem, sed nobilem viduam fuisse.

Particula de Islandis.

36. Memoriæ proditum est, autumno quodam naves ex Islandia in Norvegiam advenisse. Hæ Agdanesum prætervectæ Nidarosum appulerunt, quo loco oppidum aliquod et emporium positum erat; ibidem id temporis rex Olavus se

continebat. Aderant nimirum aliquot Islandi, qui pannos vulgares et pelles promercales venales habebant, Thorarin Nevulvi, Kjartan Olavi, et Halfrodus. Tunc tres naves ad pontes stabant, quarum una erat Halfrodi, altera Brandi Liberalis Vermundi filii et Thorleivi Brandi filii, qui patrueles erant, tertia Kjartanis ac Thorarinis. Hi ter discedere conati, quod ventus secundus nunquam adspirabat, ad pontes hærebant. Vident aliquo die, cum læta tempestas esset, homines animi causa se natando exercentes, quorum unus ceteros peritia antecellebat. Hic Kjartan Halfrodum hortatur, ut cum homine illo, qui ceteris natandi arte præstabat, contenderet. Minime, inquit ille, is enim est, quocum contendere non audeam. Quo modo igitur, inquit Kjartan, æmulationem tuam ostendes? Ut se dabit, ait Halfrodus. Itaque ego cum eo contendam, inquiens Kjartan, vestes deponit, in fluvium se dejicit, virum illum nandi peritissimum adpropinquat, pedeque prehensum undis submergit. Cum aliquantum temporis sub aquis fuissent, rursus emergunt; interea nihil inter se colloquuntur. Mox iterum aquis se committunt, diuque sub aqua urinantur, iterumque emergunt; dein tertio ima petunt, tumque multo diutissime sub aquis morantur; cumque Kjartan respirandi necessitate coactus emergere cuperet, nulla dum facultas dabatur, ex quo apparebat, quantum concertator virium magnitudine prævaleret. Tandem, cum longe diutius, quam ei commodum esse videretur, sub aqua urinati esset, emergunt et terræ adnatant. Tum is, qui ex oppido advenerat, quæsivit, quis vir ille esset; Kjartane nomen suum edente: tu natandi bene peritus es, inquit, an a ceteris artibus æque instructus es? Ille ceterarum quidem pæne æqualem sibi peritiam esse, atque hujus,

significans, at vero in tali re parum artificii ostenderam, inquit. Cur vero nihil vicissim percontaris? inquit oppidanus. Equidem mea nihil interesse existimo, qui sis, ait Kjartan. Ille: at ego tibi dicam nihilominus, inquit, cum rege natando certasti. Jam regi de genere ejus percontauti rem, ut erat, aperit. His dictis cum Kjartan, qui amiculo carebat, digrederetur, rex eum oravit, ut amiculum, quod ei muneri dare vellet, accipere non graveretur. Ille regi benigne gratias egit, atque dein ad naves regressus, sociis quæ res intervenisset demonstrat. Qua re illi gravissime indignati, cum regis potestati se ipsum subjecisse judicabant. Interea mala tempestate coorta, cujus similem raro extitisse homines meminerant, causam maxime ad amiculum, rege donante ab Kjartane acceptum, iramque deorum haud dubie ea re concitatam, vulgo referebant. Animadversum est, regi Kjartanem, utpote virum insignem visum, bene placuisse. Islandi, hiemem in oppido transigentes, omnes una hospitabantur. Versa interim in melius tempestate, magna hominum multitudo ad oppidum confluebat, festo jolensi adpetente. Quo festo cum rex ceremonias rituum majori splendore adornaturus vulgo speraretur, complures magna videndi cupiditate ferebantur. Rex Olavus ædem sacram in oppido faciendam curaverat, atque nocte festum jolense proxime antecedenti regis omniumque christianorum ratio se gerendi perquam honesta fuit, et cum rei divinæ modeste operam dedissent, in cubicula redierunt. Rex Olavus misit exploratum, quid Islandi de sacris christianorum ritibus judicarent, aut quomodo eis probarentur. Horum sermones missi a rege captabant, dum alius alium interrogaret,

variaque fierent judicia. Interrogant Kjartanem, ut ei novi ritus placeant. Quibus ille: mirum quantum mihi quidem horum ratio placet; sæpius quidem antea regis externam speciem probavi, nunquam vero magis quam nunc; nunc enim longe maxima ejus admiratione captus sum; et, ut opinor, melius fecerit, qui huic regi, et in primis ei, cujus religionem annuntiat, operam dederit. Finito dein colloquio digressi regii rem renuntiant. Secunda festi jolensis feria rex misso nuntio Kjartanem arcessit. Venit, regem honorifice salutat, rege comiter resalutante. Colloqui inter se incipiunt; rex ei veram religionem annuntiavit, qua in re cum Kjartani singula bene probarentur, ipse cum omnibus sociis navalibus secunda festi jolensis feria baptizatus est. Etiam Halfrodus cum suis sociis religionem christianam amplexus est; qui regi hanc conditionem proposuisse dicitur, ut ipse se sub aqua lustrali teneret, alias se baptismum non admissurum. Ad hanc conditionem multo magis descendere maluit rex, ille vero hac re poetæ Difficilis cognomen meritus est. Kjartan et aliquot alii nobiles viri regis se ministeriis addixere. Ceterarum quoque navium sociis cum rex divinam religionem annuntiaret, sæpeque ad fidem amplectendam hortaretur, multis recusantibus, interdixit, ne quid ab incolis mercarentur, nev quis eis venderet. Qua iniquitate diutius male habiti, ad sanam prudentemque rationem animos tandem inclinarunt, omnesque religionem sunt amplexi. Kjartan vero apud regem versabatur.

De rege Olavo et sacerdote Thangbrando.

37. Antea aliquanto rex Olavus nuntium in Islandiam miserat, sacerdotem nomine Thang-

brandum, genere Saxonem; is Islandis religionem christianam prædicavit, omnesque, quotquot eam amplexi essent, baptizavit. Hallus Sidensis, filius Thorsteinis, filii Bodvaris Albi de Vorsia, qui fundos in Alptafjordo meridiano occupaverat, mature baptismum admisit; item Hjaltius Skeggii filius de Thjorsardalo, Gizur Albus Teiti filius, multique alii viri principes. Tamen plures erant, qui contra dicebant. Thangbrandus, navi in Alptafjordum appulsa, Thveræ* hiemavit; cumque in hac insula unam hiemem aut duas transegisset, interfectis duobus tribusve hominibus, qui contra dixerant, discessit. Circa hoc tempus ab Islandia reversus regi renuntiat, negotium minus bene successisse, incolas magnas in se inimicitias exercuisse: dixit se incolis Islandiæ christianam religionem annuntiasse, Illi vero, inquit, mihi in vicem pugnam obtulerunt. Quibus rebus gravi rex ira commotus, comprehensos Islandos partim spoliari, partim interfici, partim mutilari jussit. Hac eadem æstate Hjaltius Skeggii filius et Gizur Albus advenerunt, regemque adeuntes causam Islandorum defendebant; ostenderunt, si res cum consilio ageretur, incolas Islandiæ religionem christianam accepturos; Thangbrandum paucorum sibi hominum amicitiam in Islandia conciliasse, demonstrarunt. Tum rex Olavus: si istis impunitatem concedi velitis, in Islandiam revecti sanctam ibi religionem annuntiatote. Annuunt. Itaque rex horum precibus adductus omnes Islandos dimisit, ut quo vellent tuto discedere possent, quatuor exceptis, Kjartane Olavi filio, Svertingo Runolvi pontificis filio, et duobus aliis; significans, penes horum cognatos situm fore, utrum prospero sint exitu negotiorum usuri, an non:

*) *Rectius* Thvattæ.

eos enim se obsides retenturum, donec nuntium de rebus Islandicis accepisset. Hjaltius ac Gizur, cum apud regem hiemassent, æstate proxime sequenti in Islandiam proficisci parabant, mandata regia exsecuturi; quibus ille magnam pecuniæ summam, ad amicitiam principum conciliandam, dedit; socius itineris additur sacerdos, nomine Thormodus. Hi in Islandiam delati ad Vestmannoas appulerunt, elapsis decem hebdomadibus æstatis. Altera ante æstate lege receptum fuerat, ut hoc anni tempore ad comitia veniretur, cum ad id tempus una hebdomade prius vulgo ventum fuisset. Extemplo ex insulis in continentem transmiserunt, et ad comitia contenderunt, Hjaltio, qui proxima ante æstate propter irrisionem deorum relegationis damnatus fuisset, in Logardalo cum undecim viris remanente. Quam pœnam eo meruerat, quod hos versiculos ad juris dicundi rupem pronuntiaverat:

Nolo Deos irridere;
canis mihi Freya videtur,
sane ex duobus alter est,
Odin aut Freya, canis.

Gizur ac sui dein ire perrexerunt, donec ad Vellankatlam, qui locus prope lacum Olvusicum est, pervenerunt. Hinc nuntium in campum comitialem ad amicos suos miserunt, ut obviam sibi venirent, quod resciverant, inimicos constituisse, comitio armis eos prohibere. Ante vero quam avecti inde essent, advenit Hjaltius quique cum eo erant comites. Hic duas ingentes cruces, quarum altera staturam regis Olavi repræsentabat, peregre secum advexerat, easdemque in comitia deportandas curavit. Jam, cognatis et amicis obviam progressis, in campum (comitialem) equitant. Concurrunt ethnici, plena instructi armatura, propeque factum est, ut armis inter se confligerent.

Postridie concio ad juris dicundi rupem accedebat, item quoque Gizur et Hjaltius, qui tum cruces ad juris dicundi rupem deportandas curavit. Hi causam adventus sui palam exposuerunt, omnibus, quam diserte verba facerent, demirantibus. Tum qui religionem christianam acceperant, in unum locum convenerunt, in alium ethnici; jam unus post alterum testes adhibere, seque communibus legibus usuros negare; quo facto ethnici ab juris dicundi rupe discesserunt. Post hæc christiani ab Hallo Sidensi petierunt, ut leges ferret, quibus christianæ religioni nomen dantes uterentur. Hic autem id negotium sic a se amovit, ut Thorgerem prætorem dimidia argenti selibra ad leges ferendas conduceret; atque is, etiam tum ethnicus, leges tulit. His actis in tabernacula itum. Tum Thorger decumbens, pallio capite obvoluto, hunc diem totum noctemque insequentem jacuit, nullum verbum proferens. Postero mane in tabernacula misit, ut ad juris dicundi rupem accederent. Quo cum ventum esset, ostendit, rem in periculosum discrimen adductam sibi videri, si hujus terræ incolæ eisdem legibus non uterentur; inde multis modis concionem oratione permovere conatus est, dicens, discordias inde extituras, terræque vastitatem inductum iri. Etiam commemoravit, reges Norvegiæ et Daniæ longo tempore bella inter se gessisse, ad eum finem dum utriusque regni populus, ipsis invitis, pacem inter eos composuisset; quo facto alterum alteri munera misisse, eamque pacem, quoad vixerint, mansisse: neque vero mihi committendum videtur, ut prævaleant ii, qui turbare pacem maxime cupiant, sed causa inter utrosque sic accommodanda, ut postulatis utrorumque ex parte satisfiat, universi vero eisdem legibus, eadem religione utamur.

Finem dicendi sic fecit, ut omnes annuerent, se eisdem legibus, quas rogaturus esset, usuros; ethnici enim rem ex sua senteutia dijudicatum iri sperabant, eo quod ethnicus erat is, qui leges laturus erat; christiani vero eundem pacta cum Hallio conventa serváturum putabant. Tandem Thorger: primum omnium omnes incolas christianos esse, quique non antea sint baptizati, veram amplecti religionem jubeo; de expositione infantum et esu carnis equinæ pristinæ leges valeant; clam Deos colere, cui libuerit licitum esto, si quis testibus convictus fuerit, relegationis pœna multator. Sed hæ quoque paganismi reliquiæ paucis sunt interjectis hiemibus abolitæ. His rationibus christianam religionem in Islandia introductam esse, Teitus Isleivi filius demonstravit, atque eadem æstate tota insula, auctore rege Olavo Tryggvii filio, ad christianismum conversa est: cujus regis ea in Islandia exstant rerum gestarum monumenta, quod hanc insulam ad christianam religionem perduxerit.

De rege Olavo.

38. Aliquo tempore duo Norvegi, quorum alteri Hauko nomen, alteri Sigurdo, ex Anglia ad regem Olavum venerunt. Hos rex veram religionem et ritus christianorum observare jussit, eosque crebro hac de re compellavit. Cum vero suæ sententiæ pertinaces essent, regisque adhortationes nihil valerent, eos in vincula conjici jussit, et tamen blandis verbis oravit, ut in rectam viam se perduci paterentur. Neque vero eo minus pravæ religioni tantopere adhærebant, ut reduci ab errore non possent. Sed tribus noctibus intermissis accidit, ut aufugerent, omnibus quo profugissent ignaris; nec quæsiti inveniri potuerunt. Interim omissa hujus rei cura tempus labitur; paucisque interjectis mensibus ru-

mor pervasit, visos in Halogia cum Hareko, ihidemque magno in honore haberi; qui rumor ad aures regis Olavi pervenit.

De rege Olavo.

39. Jam ipse diabolus, totius humani generis hostis, cum intellexisset, quantopere auctoritas sua, humanæ naturæ semper contraria, deminueretur, quantasque vires et incrementa caperet Dei auctoritas, magna inflatus invidia, humanam induit speciem, quo facilius sub humana specie homines decipere posset. Accidit, cum rex Olavus, festo natali domini nostri Jesu Christi, Ogvaldsnesi convivio exciperetur, convivæque per sedilia dispositi, potatione jam præparata, exspectarent, dum mensa regia statueretur, ut vir quidam senex unoculus, demissum pileum capite gerens, aulam intraret; is erat admodum loquax multasque res narrare novit. Adductus ad regem, cum ab eo, quid novi apportaret, interrogaretur, multa se de priscis regibus horumque prœliis narrare posse ostendit. Regi quærenti, an sciret, quis Ogvaldus ille fuisset, ex quo esset promontorium istud denominatum, respondit: *in* hoc promontorio domicilium habuit, et vaccam quandam tanto amore prosecutus est, ut eam, quocunque iter faceret, secum duceret, ejusque lac in deliciis haberet. Unde illi, qui pecudibus delectantur, dicere solent: perpetui comites vir vaccaque sunto. Idem rex multa prœlia fecit, cumque aliquando prœlium committeret cum rege Varine, Skorustrandæ imperanti, in quo prœlio magna edita strages est, cecidit rex Ogvaldus atque in hoc ipso promontorio tumulatus est; cujus tumulus prope ab hac villa reperiri poterit, et in alio tumulo vacca est. Dein compotatio more solito agitata, omnesque præparati convivii deliciæ: quo

facto multi cubitum iverunt. Tum rex senem illum confabulandi gratia advocari jussit, scamnoque ante lectum regium insidentem multis de rebus interrogavit, illo ad singula bene ac scienter respondente. Qui cum jam diu multas res retulisset et ad multa bene respondisset, regem eo major incessit sermonis ejus audiendi cupiditas, adeo ut in multam noctem vigilaret, multis de rebus rogitans. Tandem episcopus regem verbo monuit, ut cum eo colloqui desineret; sed rex una narratione relata aliam desiderabat. Procedente nocte rex somno oppressus est, postque paulo expergefactus, an advena vigilaret, quæsivit; nullo reddito responso, custodes eum investigare jussit, at non inventus est. Tum rex surrexit; advocatis pincernis et coquis, quærit, ecquis vir ignotus ad eos, in convivio apparando occupatos, venerit. Cui princeps coquorum: nuper ad nos venit, domine, vir aliquis, qui mihi, carnes delicatiores tibi apparanti: cur tales tamque macras carnes, inquit, mensæ regiæ intimisque regis amicis apparatis? Hic ego hortari, ut carnes pingviores magisque convenientes, si facultas ei esset, curaret. Tum ille: age, sequere me! monstrabo tibi carnes pingves et delicatas, mensæ regiæ convenientes. Inde me ducit ad domum aliquam, duoque latera bubula satis pingvia ostendit; hæc ego tibi in cibum coxi, domine! Hic rex, fraudes diabolicas esse intelligens, coquo: has carnes aufer, inquit, et in mare projice, ne quis inde vescatur; quas si quis gustaverit, cito morietur. Quid vero putatis, quinam hic diabolus fuerit, advena iste? Nescimus, inquiunt, qui sit. Rex: hunc diabolum opinor vultum Odinis assumsisse. Itaque carnes, jubente rege, ablatæ, et in mare projectæ sunt. Advena

vero, quamvis multis promontorii locis jussu regis conquisitus, repertus non est.

De rege Olavo et Eyvindo Kelda.

40. Hac eadem nocte, rege et episcopo sacra celebrantibus, dum missæ cantabantur, accidit, ut vir supra memoratus, nomine Eyvindus Kelda, idem ille, qui, cum incantatores concremati sunt, incendium effugerat, ad promontorium appelleret. Jam cum quinque navibus ab alto advectus, classem prope a villa Ogvaldsnesia in statione constituit. Idem jam magnopere numero copiarum, maxime tamen peritis artium magicarum confidebat, quorum magnum numerum secum habuit, etsi ipse scientia magica eos omnes superabat. Jam adoriri regem Olavum, et cum omnibus suis interficere cogitat. Sed evenit hic, quod psalmista dicit, ut ejus malitia in ipsius caput recideret, quemque ipse laqueum tetenderat, eodem caperetur. Nam cum, navibus in insulam egressi, ad templum, quod id temporis rex et episcopus universaque concio christiana frequentabat, escenderent, visa sacra æde, Eyvindus suique omnes oculis capti sunt; quo facto ultro citroque per insulam oberrabant. Rex, tribus missis celebratis, templo egressus, cum homines tam mire incedentes conspicaretur, misit qui explorarent, qui homines essent, quæque causa esset talis incessus. Missi profecti eos conveniunt; quærunt, qui sint et quam ob rem sic incedant. Illi cum timore aperiunt, qui sint, quid sibi velint, quantoque spectaculo fuissent. Qua re nuntiata, rex eos congregari et in custodiam dari jussit. Postero vero die rex Olavus hos omnes vinctos ex navibus in scopulum, ab regione promontorii in septemtriones versa situm, qua fretum Karmense terminatur, deportari, eoque loco ad unum securi percuti jussit; ibidemque

Eyvindus suique omnes occisi sunt; atque exinde ad hunc usque diem is locus *Skrattasker* (scopulus veneficorum) nominatur. Quarto inde die rex utrumque tumulum effringi jussit; reperta in majori ossa humana, in minori vacca. Ex qua re omnibus luculenter apparuit, senem illum quædam vera dixisse; atque inde intellectum est, eum et regem et alios diabolica astutia decipere voluisse, cum regem prima nocte, et quo tempore res divina peragebatur, somno prohibuisset, quo minus prohibiti somno vigilare possent; idem fraudem sic composuerat, ne posset episcopus solenne illud festum, qua mos ferebat dignitate, celebrare; atque ita totius humani generis hostis fraudulentos doli laqueos præparaverat, ut animos primum, dein corpora perderet. Verum hæc omnia, uti par erat, ad ipsius contumeliam et ignominiam versa sunt; et quo magis versutia ejus apparebat, eo magis ab universo cœtu christianorum conculcatus et ignominia affectus est.

De rege Olavo.

41. Rex Olavus tertio imperii sui anno ingentem et eximiam navem, qualem priorem illam parique artificio, ædificandam curavit; quæ navis Serpens Brevis est appellata. Ea autem consvetudo in boreali Halogia obtinere dicitur, ut incolæ capturæ multum studeant, et ferarum et piscium et cetorum; quæ res et multorum, tam pauperum, quam colonorum, inopiam sublevat, et ad opes parandas multum conducit. Die quodam, læta tempestate, Haukus ac Sigurdus Harekum allocuti dicuntur, jucundum esse prædicantes, tam serena tranquillitate piscatum exire. Hareko lubenter annuente, ingentem actuariam deducunt, hanc cum aliquot suorum conscendunt, Hauko et Sigurdo comitatioribus. Cum longius ab

litore provecti essent, Haukus ac Sigurdus cum suis, remis strenue incumbentes, cursum meridiem versus secundum litora direxerunt, neque prius itinere destiterunt, quam in Thrandheimum pervenirent. Rex, qui advenientes benigne accepit, statim Harekum ad amplectendam sanctam fidem adhortari incepit, cui negotio multos dies impendit, intelligens, quantum in tantæ auctoritatis viro futurum momenti esset, si in rectam viam perductus fuisset. At ille se inexorabilem præbuit. Tunc ei rex amplam potestatem suamque insuper amicitiam est pollicitus, dicens, hæc parvi esse pretii, si cum præmiis in altera vita perpetuo fruendis compararentur; obtulit ei duas præfecturas, quas administraret, si diis abnegatis Christo fidem haberet et baptismum admitteret. Hanc autem Norvegi præfecturam appellant, ex qua educi in expeditionem possint naves viris armisque plene instructæ duodecim, quarum singulas sexaginta aut septuaginta milites occupent, uti tum consvetudo ferebat. Recusavit illico Harekus. Porro quærente rege, an trium præfecturarum potestatem habere vellet, etiam negavit. Tandem quærenti, an quatuor, annuit. Qua re lætatus rex, eum cum Hauko et Sigurdo omnibusque sociis admittere baptismum jussit, neque tum quidem quicquam adversati sunt. Hoc tertio anno imperii regis Olavi factum. Post hæc Harekus domum rediit. Monuit eum rex, ne cui in regionibus borealibus res, quæ intervenissent, eloqueretur; qua in re ille dicto audiens fuit, prosperaque usus navigatione domum revenit. Paulo post Harekus Eyvindum Kinnrivam per dolos comprehensum ad regem Olavum deduxit. Cui rex statim divinam religionem indesinenter annuntiare cœpit, omuem curam adhibens, ut eum a cultu deorum revocaret. Qui cum summa per-

tinacia adversaretur, rex eum blandis verbis permovere conatus est, si errore abstitisset, terrestrem dignitatem magnumque honorem offerens. Atque tandem res eo deducta est, ut rex ei potestatem quinque præfecturarum offerret, si christianæ religioni nomen dare vellet. Verum ille obstinate negabat. Tum rex pelvim igni plenam ventri ejus imponi jussit. Tactum ardore interrogavit rex, an christianam religionem amplecti vellet. Nolo, inquit, sed tamen oro, ut, quæ dicturus sum, audiatis animumque diligenter adtendatis. Rex: dic ea, quæ tibi placeant, nos dicenti aures præbebimus. Eyvindus infit: pater meus et mater, longo tempore legitimo connubio juncti, nullam prolem procreaverunt, cumque consenescerent magnopere angebantur, si forte nullo herede relicto moriendum eis esset. Itaque ad Finnos magna cum pecunia profecti, ab his petierunt, at arte magica aliquem sibi heredem conciliarent. Tum Finni principem spirituum aera incolentium invocarunt; aer enim æque ac terra impuris spiritibus plenus est. Hic dæmon aliquem impurum spiritum huic obscuro carceri, quo nomine uterus matris meæ appellari merito potest, immisit; atque idem ille spiritus ego sum, qui hoc modo conceptus, sub humana specie apparui et in lucem sum editus, et hæreditatem a patre et matre relictam amplosque honores accepi. Idcirco autem me sacro fonte lustrari nefas est, quod homo non sum. His dictis exspiravit. Post hæc rex Olavus magna classe comparata septemtrionem versus in Halogiam proficisci statuit, comitatus Jone episcopo et Hareko. Quibus rebus per certos nuntios cognitis Thorer, manu adversus regem collecta, confligere cum eo statuit. Congrediuntur; fit vehemens prœlium; cadunt complures Thoreri-

anorum, naves milite nudantur. Thorer, complures suorum cadere, quosdam fugere animadvertens, navi ad terram appulsa fugæ se mandavit, insequente rege. Ut litus attigerat Thorer, relictis navibus, in terram excurrit. Quo viso unus e regiis sagittam in eum emisit, quæ interscapilio infixa in cava corporis penetravit, ut homo collaberetur; eodem autem momento ex corpore ejus ingens cervus vehementi impetu prosiluit. Quod conspicatus regius canis, Vigius, procurrens cervum magna sævitia persequitur. His animadversis rebus rex Olavus, suos cursu prævertens, longe in terram excurrit, præcurrentes feras subsecutus. Videt canem cervumque congredientes vehementi conflictu inter se certare; canis mordendo, cervus arietando pugnabat. Is tandem certamini finis, ut ambo caderent. Superveniens rex cervum multis vulneribus necatum invenit; canis grave vulnus sub armo acceperat. Rex suis advenientibus cadaver cervi ostendit, quod tum exaruerat, summa levitate, pellis instar inflatæ. Canem ad navem deportatum panno obvolverunt; quem rex deinde ad Finnum illum, quem quondam convenerant, misit, rogans ut canem sanaret. Quod et factum est; nam Finnus ille canem paucis mensibus sanavit, sanatumque ad regem remisit. Post hæc rex Olavus Halogis veram religionem annuntiavit, quaque per Halogiam iter faceret, multi homines sunt baptizati. Quæ omnia territoria curæ Hareki commisit; ipse vero magna auctus gloria in Thrandheimum rediit. Hæ vero relationes, quas modo attulimus, de talibus monstris ac miraculis quanquam haud immerito incredibiles videri possunt, tamen omnes norunt, diabolum et miseros illos homines, qui Deum reprobent, semper omnipotenti Deo adversari. Diabolus autem, omni dolorum

et insidiarum genere fraudes exercens, impuro suo spiritu cum pessimis rebus adversus Dei cultores concitato, oculis eorum omnibusque corporis sensibus occœcatis, multis modis eos deludit ac seducit. Has vero res et eventa, quæ narravimus, re vera ita accidisse, haudquaquam pro certo affirmandum esse existimamus: sed, cum diabolus plenus sit fraudulentiæ et malitiæ, ea pro visis habenda ducimus.

Matrimonium regis Burizleivi.

42. Burizleivus, Vindlandiæ rex, nuptias Thyriæ, sororis Sveinis, Daniæ regis, petisse dicitur; quam conditionem propter affinitatem et necessitudinem, quæ jam antea inter eos intercesserat, facile a rege impetravit, pactaque ei regia filia est. Erat rex Burizleivus paganæ religioni deditus atque senex; his autem pactis Thyria præsens non intererat. Interea Burizleivus dote Thyriæ auctus in Vindlandiam rediit; rex Svein eodem paulo post filiam mitteret. His cognitis rebus Thyria, se mori malle testata, potius quam contractis cum ethnico rege nuptiis receptam a se religionem christianam violare, complures hiemes in prædiis suis se continebat. Quo loco cum res diutius mansisset, Gunnilda, filia regis Burizleivi, moleste ferens, prædia, quæ sibi sponsalitia dedisset Svein, a Thyria teneri, sæpius hac de re coram rege questa est. Rex Burizleivus, sua conditione male contentus, crebro nuntium ad filiam Gunnildam misit, ut a rege Sveine peteret, ut Thyriam sororem suam, uti pollicitus fuisset, in Vindlandiam mitteret. Rex Svein, precibus Gunnildæ adductus, hoc fecit; missis ad Thyriam nuntiis significat, se convenire eam velle. Quæ cum advenisset, navi instructa virisque conductis eam in Vindlandiam misit. Ut ad regem Burizleivum venit, ille ma-

gno instructo convivio nuptias cum ea celebravit. Dicunt autem, quoad in potestate regis Burizleivi fuerit, eam cibo potuque abstinuisse; sic undecim dies transisse; die duodecimo ab rege dimissam. Ruphus sacerdos, regis eam deducentis mentionem faciens, antequam revertisset, ita locutum memorat: jam video, vestram amplitudinem moriendi potius conditionem, quam imperii mecum consortionem eligere malle; itaque te, datis comitibus ac navibus, dimittam. Illa, domum in Falstriam revecta, ibi se aliquamdiu continuit. Inde legatos in Norvegiam ad Akium, nutritium suum, misit, ut suo nomine cum rege Olavo Tryggvii filio ageret, ut tutelam sibi contra adversarios rex præstaret: hoc enim loco morari non audeo, inquit, verita regem Sveinem, fratrem meum, qui me iterum in Vindlandiam ablegare statuit. Missi ad Akium delati, rem sibi mandatam exponunt. Ille extemplo regem adit, quibus difficultatibus ea prematur, ostendit; orat, ut aliquo modo ei subveniat, ne sæpius accidat, ut in tantum discrimen adducatur: et scio, eam potius malle viro christiano nubere. Rex ad hæc liberaliter respondit, rerum ejus conditionem sibi curæ futuram ostendens. Akius ei præsentis illius auxilii opus esse significat, ne ad connubium cum ethnico rege ineundum cogatur. Rex itaque se venturum ad eam, verba ejus auditurum, quamque amice, ubi convenissent, se mutuo exciperent, animadversurum pollicitus, e vestigio naves instrui, omniaque ad eam profectionem magna cura adornari jubet; viros elegantissimos ejusdem itineris comites deligit; et, ubi paratus erat, solvit. Quo constituerat delatus, cum comitatu escendit. Liberaliter excipitur; ipsa regina obviam ei progreditur, et eum in celsa sede collocat; ipsa adsidens sermonem

cum eo serere, negotiumque suum agere incipit. Hic rex quæsivit, an se tutorem omniumque rerum suarum curatorem optaret, et utrum potestatem secum consociare, an res suas alius curæ permittere vellet. Cui illa: regem tam celebrem et eximium, quam tu es, minime recuso. Hoc igitur negotium tractant, donec eo perducta res esset, ut Thyria, auctore Akio nutritio suo, se ipsa regi Olavo desponderet. Itaque convivium amplificatum, nuptiæque eorum magno cum honore celebratæ. Eo die, quo celebratæ sunt epulæ nuptiales, rex solio insidens, cui principes ac proceres ab utroque latere adsidebant, mulso, vino aliisque deliciis hilares, Thorarinem Nevulvi filium, insignis prudentiæ virum, eo mittit, quo loco matronæ symposium agitabant. Qui reginam accedens, inclinato corpore eam veneratus: ave, domina inquit, me meus dominus huc misit ad te, scire cupiens, utrum vestræ amplitudini splendidæque vitæ eligi conveniat, donum lecti genialis an sponsalis. Cui regina: dominus meus secum ipse reputet utrum me deceat magis, aut eligi mihi malit. Sciat autem me novem noctes cum rege in regio toro accubasse. Itaque rex, si regium torum cum eo novem noctes sociassem, intelligeret quid facturus esset. Cujus responsis auditis Thorarin, inclinato corpore eam valere jussit. Ad regem reversus, responsa renuntiat. Rex, cui responsa ejus bene probarentur, extemplo eximium pallium splendido ornatu instructum ei remisit. Quo celebrato convivio rex, comitante Thyria regina, magna cum lætitia in regnum suum reversus est.

Fracta deorum simulacra.

43. Animadverterat rex Olavus, Thrandos, qui secuti eum fuerant, deos, in primis Freyum, magna adhuc religione colere. Quam religionem

cum rex vehementer reprehenderet, illique obloquerentur, re quasi in disceptationem adducta, duæ illæ quas habebant naves ingenti inter se æmulatione remis certare cœperunt, utrisque remigium summa virium contentione urgentibus. Rex ad terram prior appulsus, extemplo ad delubrum se convertit, ubi diffractis deorum simulacris, Freyum secum portans, obviam suis reversus est; obviam venientium in conspectu Thrandorum Freyum minutim diffregit. Illi ad sanitatem redeuntes, prisca religione abjecta, regi dicto audientes pacem cum eo fecerunt.

Matrimonium Sveinis Danorum regis.

44. His cognitis rebus, rex Svein ægerrime tulit, hoc injussu suo factum. Mortua paulo post regina Gunnilda, uxore Sveinis regis, ex qua duos susceperat filios, Haraldum et Knutum, in matrimonium duxit Sigridam Facinorosam, quam Eirikus Victoriosus antea in matrimonio habuerat, matrem Olavi Sveci. Hanc sibi antea rex Olavus Tryggvii filius desponderat, sed, quod ethnica erat, neque christianam voluit religionem admittere, pacta sponsalia resciderat. Eandem rex Olavus, qui ejus causa ad ethnicismum relabi nollet, manica sua percusserat.

De rege Olavo.

45. Dignum memoria et relatione videtur, quod in insula, Brimangria dicta, altus est mons, difficillimo adscensu, *Smalsarhorn* a Norvegis appellatus. In hunc montem enisus Olavus rex, clypeum suum in summa rupe defixit; qui mons ceteros multum supereminere, pæneque super ipsum mare prominere videtur. Ferunt, duos aulicos regis gravi inter se contentione certasse, uter utro eniti agilius aut altius adscendere in montem posset; dato tandem in magnam pecuniam

pignore, re fide confirmata, se ad scandendum parasse; alterum longe in montem enisum, eo tandem processisse, ut inde neque adscendere, neque descendere, neque in utramvis partem oculos vertere ausus sit. Hic stabat genibus contremiscens, animi hærens, metuensque, ne ex eo loco delapsus ossa frangeret aut repentina morte interiret; in tali discrimine constitutus auxilium regis suorumque implorabat. Alter, aliquanto inferius stans cum vertigine correptus altius adscendere non posset, omnibus artubus contremuit, et tamen ægre saluti consuluit. Cum rex animadvertisset, illi alteri neminem laturum opem esse jamjam in casum vergenti, deposito pallio bombycino, panno se circumcinxit, navique egressus, adscensa rupe, miserum illum hominem manibus apprehendit, et conservavit, subalarem, veluti puerum, ad naves portans.

De rege Olavo.

46. Dicere quoque convenit rem ad laudem insignem, quod rex Olavus sæpe cum lorica natare, eamque sub aqua exuere solitus est. Sub signis pugnans volantia gæsa et sagittas tam sinistra quam dextra interceptas æque commode utraque manu remisit. Omnes agilitate et velocitate superabat, in prœliis strenuitate et pugnandi impetu excellebat; nec, si orbem terrarum lustres, in terris septemtrionalibus invenietur quisquam, qui cum omni virtutum genere ac fortitudine æquiparet. Navigans ventis secundis, fortunæ quodam beneficio, utebatur, et dicitur uno die cursum sæpe confecisse, quem alii duobus aut tribus diebus conficere solebant; multisque in rebus fortuna multo, quam alii, secundiore usus est.

De rege Olavo.

47. Neque prætermittendæ videntur res, quibus Deus omnipotens regi Olavo insignem

gloriam pro suo labore et adsidua sacrarum precum usurpatione his in terris concessit, multisque miraculis illustrem reddidit. Interdum accidit, cum rex Olavus in navibus excubaret, multis custodibus vigilias agentibus, ut necopinantibus ex terra superveniret, navesque suas clam conscenderet. Custodes, eum in lecto celsæ puppis quiescere opinantes, mirabantur, se discedentem non animadvertisse, vigiliæ cum fide actæ sibi conscii; neque tamen co minus e mediterraneis descendentem viderunt, atque, etsi terra rore perfusa esset, tamen nunquam ejus vestigia nec inveniri nec conspici potuerunt, sed naves siccis pedibus conscendebat. Accidit aliquando, ut duo amplissimi viri, Gudbrandus Dalensis et Thorkel Dydril iter regis specularentur, inito consilio, ut de itione ejus certiores fierent. Primo mane alicujus dici Thorkel in extremitate pontis sedens, iter regis observabat. At rex omnino insperanti subito superveniens, ex ponte in aquas deturbatum curiositatis pœnam dare jussit, quo facto procumbens natantem excepit, et in pontem reposuit: nunc denique scito, inquiens, an laciuia hæcce maduerit. Dein ambo in navem exierunt. Sed propter amicitiam et amorem, quo rex Thorkelem prosequebatur, ipsoque vehementer flagitante, ut indicaret sibi, cur tam occulte ac solus adeo sæpe e navibus egrederetur: nocte quadam rex, pedes Thorkelis contrectans, eum secum tacite ire jussit. Egressi in terram veniunt ad silvam aliquam, quæ prope a navibus erat. Cum in silvam venissent, rex infit: tu apud hanc arborem consiste, meque exspecta haud longe progressurum brevique rediturum; verum cave, ne longius ipse progrediaris. His dictis rex in locum aliquem silvæ, arboribus vacuum, progressus est. Tum visum vidit, quod

multis post hiemibus testatus est, cum regi Haraldo Sigurdi filio rem narravit, hoc testimonium veris dictis proferens, regem Olavum Deo supplicantem supinas manus ad cœlum tetendisse; tum splendidum lumen precanti affulsisse, aciem oculorum intuentis sui præstringens. Mox duo se homines vidisse, splendidis vestibus ornatos, manus capiti regis superimponentes, egisse se Deo gratias, quod tale sibi visum oblatum fuisset. Audisse dulcem cantum, svavemque odorem luminis illius comitem, animadvertisse; duobus vero aut tribus noctis horis elapsis, lumen evanuisse, quo facto accedentem regem se ad naves redire jussisse. Hanc rem ne cui quoad viveret, enuntiaret, vetuit rex, ni fecisset, mortem minatus; quod ille, utpote regi amicissimus, præstitit. Sed multis post mortem regis Olavi hiemibus Thorkel, tum ætate provectus, hanc rem regi Haraldo narravit; qui rex Thorkelem veritatis amantissimum judicavit.

De rege Olavo.

48. Dicunt aliquo tempore ita accidisse, cum rex Olavus a missa regressus in solio consedisset, suique sedes suas occupassent, ut e conspectu eorum subito ablatus sit, circumsidentium, ubi esset, interrogante altero alterum, cum scirent, quinimo inter omnes constaret, eum ex aula non egressum. Quorum audito sermone, episcopus: dicere vobis possum, inquit, quo eum loco stare videam; in media aula stans colloquitur cum aliquo, quem videre vobis non fas est. Atque post paullo regem in sede sua sedentem conspiciunt. Quibus rebus animadversis, crediderunt, eum angelum esse, de cœlo missum, cœlestibus naturis, quam hominibus, similiorem. Sic vir quidem illustris, Gudbrandus Dalensis, eum regem dubitabilem, ipsis (incolis) apparentem,

appellavit; dubitare enim se, utrum vero similius existimaret, ceterisne regibus terrenis hujus mundi similis esset, an esset angelus a Deo missus, humana carne ab hominibus celatus, ut multis gentibus nomen domini Jesu Christi prædicaret. Rex Olavus Tryggvii filius quinque terras harumque incolas ad christianismum perduxisse dicitur. Verum exspectari non poterat, incolas probitate morum et plena fiducia Deo obedientes fore; erat enim temporis breve spatium, populus vero, ingenio asper, in ethnicismo inveteraverat, majorumque suorum religionem abjicere gravabatur; accedebat magna sacrorum doctorum paucitas, qui, si qui essent, quod magno in contemtu incolarum erant, propter ignorantiam et inscientiam lingvæ Danicæ minus audaces erant. Hæc terrarum, quas christianismo addixit, nomina sunt: Norvegia, Hjaltlandia, Orcades, Færoæ, Islandia, Grænlandia. Ceterum permulta loca ad religionem christianam solum nomen adtulerunt, et in reliquum allatura fuissent, nisi alius ad eam corroborandam et populum subigendum accessisset, nempe vir ejusdem nominis, Olavus Haraldi filius, qui ad christianam religionem confirmandam vires haudquaquam minores, tempus multo longius habuit. Sed propterea quod res esset multi laboris, temporisque spatium breve ad oves ovili Dei omnipotentis colligendas, divinum opus quasi imperfectum restare videbatur. Nam montana territoria regibus Norvegicis, quæ oræ maritimæ imperabant, subjecta non fuere; reges enim Uplandici, qui (singulis) provinciis præfuerunt, regi Svionum paruerunt, quorum pauci christianam religionem amplexi sunt. Per omnia territoria remotiora montesque spatiosiores totius Norvegiæ, item in vallium recessibus et ultimis promontoriis, idola clam colebantur a multis, qui

cum ea domi intra parietes habere non auderent, silvas, rupes, lacus religiose colebant. Anno post mortuum regem Olavum Tryggvii filium decimo quinto accidit, ut rex Olavus Haraldi filius in Uplanda profectus, quinque regulis uno autumno in potestatem redactis, Uplanda christiana redderet magnamque idolorum multitudinem diffringeret. Sic existimandum est, fundamentum religionis christianæ labore regis Olavi prioris positum, parietes ab Olavo posteriore exstructos; hortum ab Olavo Tryggvii filio circumseptum, ab Olavo sancto lætis arboribus ornatum et auctum fuisse. Olavus sanctus, qui non suæ solum, sed et omnium, quorum curam gerebat, necessitati prospexit, insuper, sanctam mortem obiens, sangvinem suum pro salute totius populi sui profudit: quem in cœlestis regni gloria cum omnipotenti Deo versari, multa ab eo edita miracula etiam nunc testantur; quem omnes Norvegi pro præside suo salutisque et misericordiæ apud Deum hominesque deprecatore habent. Hic vero Olavus Tryggvii filius, postquam regnum ingenti illo prœlio, quod in Serpente longo commisit, victus amiserat, nostro e conspectu sublatus est, ut, cujus sanctitatis sit, terreni homines pro certo non intelligant; non quidem apparet, quibus prodigiis et miraculis valeat: missum a Deo, nemo dubitat. Quem cum Deus ceteris regibus illustriorem, et omni rerum salutarium genere admirandum reddiderit: ideo nobis omnibus est necessarium, ut nomen domini Jesu Christi pro hoc homine, cui tantam potentiam et excellentiam concessit, ita laudemus, uti Deum ob regem Olavum sanctum celebramus.

De Serpente longo.

49. Rex Olavus quarto imperii sui anno navem quæ valde celebris et præclara evasit

fabricandam curavit; hæc intra Ladas, ad recessum maris intra Ladhamros, juxta ipsum sinum ædificata est. Hoc loco est lacuna quædam depressior, cæspite vestita, ab omni tuta violentia tempestatum, sive a sinu interiori, sive exteriori coorientium. Longitudo carinæ, solo incumbentis, ulnarum quatuor et septuaginta, mensura intervalli inter proram puppimque non inita. Ædificata nave, rex magnum hominum numerum ad eam spectandam invitavit. Spectatæ magnitudinem et pulchritudinem omnes, qui advenissent, collaudabant, nullam ei parem unquam in Norvegia factam esse navem declarantes. Rex, audiens navem ab omnibus vehementer collaudari, magnopere delectatus est. Sed, aliquot interjectis diebus, trium ingentium ictuum in navi reperta vestigia sunt; qui ictus ingenti securi lignaria lateri navis fuerant inflicti. Quo cognito rex, gravi ira incensus, de auctore facti severe inquirere cœpit. Nemine confitente, rex ictus lateri inlatos spectatum accedens, magna cum ira pronuntiavit: ei, qui hominem, qui navi tanta vulnera inflixit, meque damno et contumelia affecit, interfecerit, selibram auri dabo. Post paulo præfectus fabrum, qui navem ædificaverat, artisque fabrilis peritissimus erat, regem adiit, et ad secretum colloquium sevocatum ita allocutus est: noli, domine, hanc ob rem tam graviter et periculose de aliis statuere, egomet enim vulnerandæ navis auctor sum; me, qua tibi placuerit, pœna affice. Rex: cur aut qua inductus ratione hoc fecisti? Ille: quia fabrica navis imperfecta mihi videbatur et existimo, si latera navis humiliora reddantur, commodiora fore; nimis enim alta videbantur; quibus humilioribus, pulchriorem navis speciem præbebit. Cui vitio si mederi me velis, hanc ego navem pulcherrimam et omnibus rebus

ornatissimam præstabo. Quod cum approbasset rex, faber aggressus, navem, uti regi pollicitus erat, refecit, magnaque arte ornavit ac limavit; quo facto, regi, se rem quantum potuerit accurasse, significans: jam accede, domine, et opus, inquit, inspice. Precibus ejus adductus rex spectatum accessit, magnaque affectus lætitia, opere collaudato insigni eum præmio ornavit. Dein rex navem omni pigmentorum genere coloratam auro argentoque ornavit; prora navis capite draconis erat conspicua; bini et quinquageni remi latera occupabant. Tum navi nomen inditum lingva Norvegica, et *Ormr hinn lángi* appellata; lingva vero latina *Longus draco* sive *Serpens* vocatur. Hanc navem ipse rex gubernavit, socios navales, qui ea veherentur, constituit, delectis e toto regno viris robore valentissimis et tractandorum armorum peritia ceteros Norvegos excellentibus. His rebus magnam gloriam rex consecutus est, qui talem fabricandam navem curasset. Jamque omnes se animadvertere putabant, navem nunc esse multo pulchriorem magisque conspicuæ magnitudinis; eumque modum in cædendo faber servaverat, ut ictus neque nimis alte impressi, neque nimium suspensi essent; ea dexteritate ictus temperaverat. Nemo vir annis minor viginti, nemo sexaginta major in hac navi versaretur; nulli eandem ingrederentur homines meticulosi aut ignavi, neque fere cuiquam locus in ea concedebatur, nisi qui in aliqua re ceteros homines excelleret; cujus rei testimonia, ubi describentur res a rege Olavo suisque gestæ, proponentur.

De habitu regis Olavi.

50. Rex Olavus Tryggvii filius magna erat statura, decori servantissimus, niveis rectisque capillis, albis superciliis, facie lucida, quovis

homine formosior, oculisque pulcherrimis; et testati sunt, qui rem prope cognitam habuerunt, non extitisse duos viros variarum artium peritia et morum elegantia inter se similiores, quam regem Olavum Tryggvii filium et Hakonem Adalsteinis alumnum, quorum hic virium magnitudine illo præstantior fuit, neque tam ex æqualibus quisquam erat, qui par Olavo existimaretur. Rex Olavus primus omnium Norvegorum religionem christianam observabat; is, antequam hanc religionem amplexus esset, prospera fortuna usus est, postea vero multo prosperiore; multis enim præditus erat virtutibus, quas a vi divina potius, quam ab humana amplitudine, profectas esse, facile intelligi potuit. Nam sicubi conventum intra regni fines edixerat, virique potentiores, verba adversus eum facturi, convenerant, quo loco multas disertas orationes audire erat, quamvis magna cum eloquentia verba coloni facerent, semper tamen plus regis valuit oratio, quippe qui convenienter cum veritate loqueretur; et tamen homines multis modis erant adliciendi, magnisque beneficiis devinciendi, antequam introduci religio posset. Rex Olavus filiam Jarnskeggi Yriensis adsectatus fuerat. Idem quarto imperii anno comitia octo provinciarum Frostæ in Thrandheimo habuit. Magna huc multitudo hominum et proceres summæ auctoritatis convenerunt; aderat Jarnskeggius Yriensis, Styrkar Endridii ab Gimsis, Ormus Lyrgia Bynesensis ex Golardalo, multique eorum cognati; hic Ormus in matrimonio habuit Gudrunam, filiam Bergthoris, sororem Asgoti ex Selvogo, quorum mater erat Thurida, soror Thoroddi Olvosensis. Hi omnes in comitiis stabant, rege Olavo veram eis religionem commendante. Qui cum disertam orationem habuisset, Jarnskeggius respondit, dicens: nisi imperare ista destiteris, te eadem, quæ

Hakonem dynastam, sors manebit. Rex, cum eis se multo copiarum numero inferiorem esse animadverteret, simulans se eis adsensurum, locutus est; haud mearum virium est, opibus vestris, quibus tantum prævaletis, adversari, et rege dignius mihi videtur, augere sacrificia, quam minuere, cui etiam rei nos operam dabimus. Hæc rex blaudo sermone proferens, gravem animo iram conceperat. Jam dimissa concione, præfecti et potentes coloni, una trecenti et sexaginta viri, Mœriam in Thraudheimo se contulerunt; hoc loco fanum erat principale, ibidemque sacrificia instituerentur. Rex, cujus adventus eodem exspectabatur, primum quidem a comitiis domum se contulit, inde vero in sinum interiorem profectus est, unam tantum navem, Serpentem longum, omnibus rebus instructissimum, ducens. Quo cum veniret rex, coloni sacrificium, quo homines immolarentur, apparaverant, regemque, ut ritus suos appprobaret, cogere statuerant. Aderat magna hominum multitudo. Ut rex eo venit, oravit, ut sibi (fanum) ingredi remque divinam, ab eis administrandam, contemplari liceret. Data venia ingreditur, ingentem securim militarem manu tenens, sacrificulo ipsorum comitatus. Cum intrassent, sacrificulus regi significavit, quo quisque deorum loco constitutus esset. Thor, qui summa religione colebatur, in media æde collocatus erat. Rex Olavus ad genua sedentis Thoris accedens, sublatam securim in caput ejus, secundum aurem, incussit, ut pronus in solum collaberetur. Hoc facto egreditur rex; interea vero dum exiret, Jarnskeggius foris juxta fanum in medio regiorum interficitur. Tunc Olavus: jam sacrificiorum amplificandorum memores simus, juvenes, neu servos neque senes nullius pretii immolemus; quin uxores vestras aut viros au-

ctoritate insignes rapite, atque diis offerte! Sed interfecto Jarnskeggio coloni vehementer perturbati, nunc demum intelligebant, se regi neque felicitate rerum gerendarum, neque strenuitate pares esse. Quos tum rex ita est allocutus: jam mecum consentiatis, vosque meæ tutelæ et amicitiæ permittatis; credite in Deum, qui facit, ut sol justos injustosque collustret, qui bonos malosque pluvia recreat; credite in unum Deum, patrem et filium et spiritum sanctum. Quæ cum rex locutus fuisset, tantus omnium pectora metus occupavit, ut contra dicere auderet nemo; gravi enim se calamitate perculsos existimabant, veroque simile ducebant, nisi se potestati regis subjecissent, fore, ut plures homines amitterent. Itaque utile consilium ceperunt, Deum auctore rege professi. Quo facto episcopus et sacerdotes viros septingentos et viginti, præter feminas puerosque, baptizarunt. Sic ea contumelia, qua regem afficere cogitarant, ipsis magnæ saluti fuit. Itaque universi pace reconciliata digressi sunt, unum Deum collaudantes. Interfecto Jarnskeggio, postquam rex amplas illas nuptias cum regina Thyria contraxerat, Gudrunæ Jarnskeggii filiæ, quæ cæso patre grave vulnus se accepisse existimaret, repudium renuntiavit.

De rege Olavo et Roaldo.

51. Vir erat nomine Roaldus, in Moldafjordo habitans, sacrificiis impense deditus, auctoritate multum valens, qui neque amplecti religionem christianam, neque fundis avitis excedere vellet; idem, magiæ peritissimus, artem diabolicam exercebat. Ita tres anni exierant, ut homo iste magicæ artis peritus adversus regem fines suos intrare conantem duos ingentes concitasset fluctus decumanos, idque tanta cum æstus vehementia, ut neque rex suique in ejus con-

gressum venire, neque oppidum, quod incolebat, ingredi quisquam injussu ejus potuerit. Ad hunc conveniendum rex Olavus iter comparavit; cumque eo venisset, quo loco hi fluctus ruebant, extemplo cursum in eos dirigi, terribilesque illos aquarum montes pertransiri jussit; qui, scandi a navibus cœpti, extemplo sedati subsidebant. Roaldus comprehensus est. Cui cum rex veram religionem annuntiasset, illeque nomen Dei pernegaret, suos vero deos profiteretur, duci ab rege jussus, ultima pœna merito affectus est.

De rege Olavo.

52. Accidit eodem in territorio, cum rex in conventu aliquo religionem annuntiaret, ut vir aliquis potens et disertus regi obloqueretur. Hunc rex comprehendi jussit, et imperavit, ut serpens ori ejus immitteretur. Ita faciunt; capiunt serpentem, osque hominis aperiunt: sed serpens, reflante homine, ab ore repulsus, nullo modo in fauces irrepere voluit. Tum rex candens ferrum sumi et serpenti alligari jussit, quo facto bestia, calorem sentiens, in os hominis irrepsit, et confestim in alvum penetravit, unde se exseruit avulsum hominis cor rostro tenens. Qua re visa magnus timor et perturbatio universo ethnicorum cœtui injecta est.

De rege Olavo, hominem canibus dilacerandum objiciente.

53. Æstate quadam vir in Islandiam venit, nomine Grimus, statura et robore insigni, qui aliquamdiu proreta regis Olavi fuerat. Vir quidam magnæ auctoritatis, nomine Thorkel Trevil, in Borgarfjordo habitavit. Forte accidit in comitiis, magna se constipante turba, ut Thorkel pedibus hominum conculcaretur, eamque rem Grimo imputaret. Quapropter magna in Grimum ira incensus, virum quendam, nomine Si-

gurdum, statura et viribus excellentem, ad se vocatum ad insidias Grimo struendas perduxit, ut illatam sibi contumeliam ulcisceretur. Eodem vespere cum Grimus cubitum iret, Sigurdus cum armis ad eum ingressus, ferro eum petere cœpit. Ille se fortiter defendebat, et tamen ad extremum cecidit. Ob hoc facinus cognati Grimi Sigurdum ex præscripto legum civilium reum proscriptionis egerunt. Cædis damnatus eadem æstate peregre abiit, autumnoque insequenti in Norvegiam venit, ubi alienum sibi comitique nomen indidit. Rex Olavus a mercatoribus certior factus, proretam suum in Islandia interfectum esse, gravi ira accensus, crudelem ab isto homine ultionem expetere statuit; neque omnes fidem datam ita præstiterunt, ut rex celeriter expiscari verum non posset. Itaque rex hominem quæsiturus ad navem se contulit, noxiumque celeriter indagatum vinciri catenis jussit. Paulo post indicto conventu imperat, ut iste homo canibus dilacerandus objiciatur. Cum magna hominum multitudo in conventum venisset, homo jubente rege vestibus exutus, ut erat nudus, circumfusa adstantium corona, incursibus canum expositus est. Tum regem adiens aulicorum quidam: audi, domine, inquit, hunc virum talem habere vitæ exitum, haud oportet; melius convenit, ut eum in cæsi locum restituas, neque enim hunc fortitudine illo inferiorem arbitror. Cui rex: at hac re deterrendi sunt alii, ne aulicos meos interficiant. Aulicus, cum intelligeret, verba sua apud regem nihil valere, episcopum adiens, rem ei indicat. Episcopus eum confestim ad regem remisit, orans, ut homini culpam condonaret. Rex respondit: haud episcopus hominem, solo incedentem, certius quam ego perspicere potest; quin vestibus illico exuendus est. Tota concio un-

dique circumstabat. Mox canes soluti; hic autem vir tam lucidos acresque oculos adversum eos intendit, ut eum invadere non auderent. Tum rex robustissimum suum canem Vigium bis terve ad se vocatum manu palpavit, mordereque hominem jussit. Is tandem hortante rege, vehementer incitatus, una vice procurrens, ventrem hominis dentibus laceravit, seque confestim ad regem recepit. Homo, accepto vulnere, exiliit, et coronam circumstantium transiliens exanimis decidit. Quo audito episcopus regem vehementer increpuit, usque eo donec pedibus episcopi advolutus admissum scelus Deo confessus est, seque hoc crudeli facinore graviter deliquisse judicavit. Cujus rei magnam rex pœnitentiam egit.

De rege Gudrodo ac fratribus.

54. Hoc tempore Gudrodus, filius Eiriki Blodaxæ, in Norvegiam venit; is ex piratica advectus, in Vikiam, regni partem orientalem, appulit; idem regem Tryggvium, consilio fratris, regis Haraldi, et dolo matris malevolentissimæ, insidiis circumvenerat. Magnum habuit copiarum numerum et classem sexaginta navium; tentabat, vellentne principes, qui Vikiæ præerant, se pro rege agnoscere, an ad eam mallent conditionem descendere, ut secum prœlio decertarent. Ibi id temporis imperium obtinebant duo fratres, quorum facta antea mentio, Hyrningus ac Thorgeir. Hi prudenter responderunt, dicentes, se potius eum regem sumturos, sed convenire in rebus tanti momenti, tribus interjectis diebus indici conventum, ut frequenti concilio regium nomen ei daretur. Qua re probata Gudrodus in conventum adfuit, magna ibidem præsente frequentia hominum. Hyrningus tum præsidem gerebat colonorum. Qui cum ad conventum equo veheretur, subita res intervenit; ex equo, quo

vehebatur decidit, et extemplo mortuus est; cujus funus magno cum luctu compositum, domumque deportatum est. Fratrem quoque tanta cepit tristitia, ut de hoc casu vix posset mentionem injicere; is tum Gudrodum in conventu sic est allocutus: haud dubie audivisti, domine, repentinum illum casum, qui hoc loco intervenit, amissum fratris mei; jam ego omnesque nostri magno in luctu sumus; quapropter oro, domine, ut funeris ejus honorifice faciendi veniam concedas. Quem vero tibi decrevimus honorem, te convivio apud nos inter jocos et gaudia interesse volumus, atque sic exspectare, dum alium conventum edicamus, in quo honori tuo satisfacere studebimus. Gudrodus, cui dicta Thorgeiris bene placerent, probata re, ad convivium proficiscitur, quod magna cum lætitia celebratum est. Accidit aliqua nocte, ut Hyrningus, quasi redivivus, eo magnis cum copiis adveniret; is triclinium subjecto igne incendit, Gudrodum omnesque suos in tectis concremavit; egredi conantes celeriter interfecti. Quo audito, rex Olavus factum eorum magnopere laudavit, eisque ingentes gratias egit.

De rege Olavo ac Thore.

55. Accidit aliquando, cum rex Olavus Serpente longo vectus litora prænavigaret, ipseque ad clavum sederet, ut aliquis, in rupe quadam stans, prænavigantes inclamaret, orans, ut rex locum sibi in nave concedere haud dedignaretur. Rex hoc audito navem eo applicuit, ubi stabat vir; quo facto ille navem conscendit. Hic se magnopere jactavit (insolentiorem, effrenatiorem se præbuit), regiosque multis contumeliosis verbis incessit, magnam lætitiam vultu præferens. Idem aspectu erat pulcher, barba rubra; ille alios, alii illum deridere; in multos verba

petulantia vario modo jactavit. Interrogantibus eis, ecquid rerum memoria dignarum et multo ante gestarum referre haberet, multas se res scire ostendit: nihil enim interrogabitis, inquit, quod explicare non possim. Hoc regi retulerunt, dicentes: hic vir, domine, multas res memorabiles referre habet; dein eum ad regem deducunt. Interrogatus a rege, quid referre haberet: domine, inquit, hæc terra, quam nunc prænavigamus, olim a gigantibus quibusdam inhabitata fuit. Sed forte accidit, ut gigantes isti casu nescio quo repentina morte perirent, ita ut duæ omnino feminæ superstites essent. Deinde factum est, domine, ut viri, humana natura præditi, ex orientalibus orbis partibus oriundi, hanc terram incolere inciperent; quos, domine, ingentes illæ feminæ magno opere infestarunt, et multis modis vexarunt. Tum id consilii ceperunt homines, domine, ut hancce rubram barbam auxilii ergo invocarent; atque ego extemplo malleum depromsi e sinu meo, illasque ad necem percussi. Quibus dictis a prora retro per navem transiliit, seque e puppi in omnium conspectu ejecit. Et ipse rex hoc eventum clare vidit, ut se in mare præcipitavit et oculis adstantium subduxit. Tum rex Olavus: en audaciam diaboli, qui palam in conspectum nostrum venire sustinuerit.

Particula de gigantibus.

56. Rege Olavo in Nomodalo ad boream versante duos regios aulicos cupido incessisse dicitur cognoscendi, an verum esset, eos pagos grassationibus gigantum majorem in modum infestari. Itaque hi nocte aliqua clam e nave regia egressi, cum diutius in tenebris processissent, tandem ignem ardentem prospicientes eo festinarunt. Propius ignem progréssi vident in antro quodam accensum ardere, multosque

adsidere gigantes, inter se confabulantes. Tum unus, quem ceterorum præsidem esse putarunt, infit: an nostis, regem Olavum huc advenisse, eo consilio, ut nos e possessionibus nostris expellat? Illi se scire fassi: væ illi, inquiunt, a quo multa illata mala pertulimus. Tum præses eorum: igitur dicite, quid inter vos negotii intercesserit. Unus eorum excepit: domicilium in Gölardalo habui haud procul ab Ladis, amicitia Hakoni dynastæ junctus, qui mihi eximia munera dedit. Qui cum regno suo immerito spoliatus fuisset, hic in ejus locum successit. Accidit aliquo die, inquit, cum regii satellites ludum prope ab oppido exercerent, ut, clamores et ululatus eorum ferre posse desperans, hisque omnibus vehementer offensus, me globo ludentium immiscuerim, ita ut conspici a nemine possem; hic comprehensum aliquem fracto brachio dimisi; postero die crus alterius fregi; tertio die rex ad ludum accessit; adfui et ego, aliquem eorum lædere cupiens. In medio eorum consistens unum ex eis apprehendi, at ille me inclementius complectens, latera mea brachiis arcte inclusit, haud graviores mihi dolores allaturis, si ex candenti ferro facta fuissent. Cum ille me vehementius premere cœpisset, propeque esset, ut impetum ejus sustinere non possem, tum ægre ex manibus ejus elapsus, inde valde adustus aufugi, et in hunc locum invitus me contuli. Tum alius gigas: hoc de me referre habeo, quod speciem pulchræ feminæ adsumsi, cornuque mulso plenum manu tenui, quod regi vespere quodam convivium obeunti propinare statueram. Itaque, convivis multo vino inebriatis, ad abacum constiti, splendide vestita. Tum rex manum ad me porrexit; ego accedens cornu ei dedi, quod ille sublatum in caput meum et adversam faciem in-

cussit. Talem quæ nos intercedebant negotia exitum habuerunt. Tum tertius gigas infit: ego, speciem pulchræ feminæ mentitus, sero vespere cubiculum regis intravi; sedebat rex, nudis pedibus, lineis feminalibus crura revinctus, episcopo a dextra adsidente. Ille me, prope stantem animadvertens, lenire sibi pedis pruritum jussit; quare ad pedes ejus in scabello, et ante et post cœnam, consedi. Dein rex cubitum ivit, quem ego comitata, pedem eiam tum fricavi. Cum vero interea episcopus, itemque rex, obdormivissent, artibus diabolicis regem perdere conata sum. At ille expergefactus, librum aliquem in caput meum incussit, ut cranium oblideretur, quo facto inde aufugi, ab eo semper tempore caput incline gestans. Atque tum rex episcopum somno excitavit, rogavitque, ut animum adverteret incolumisne esset adventu hujus dæmonis, qui tam aperte cubiculum eorum intrasset, an non. Episcopus, regi morem gerens, in pede ejus fœdam reperit maculam veneno plenam, quam episcopus ex viva carne exsecari jussit; quod vulnus adhibita medicina postea coaluit. Quibus rebus visis et auditis, regii tacite reversi, navem omnibus somno oppressis conscenderunt. Sequenti mane regi hæc retulerunt: is ea vera esse adseruit, veritatemque dictorum argumentis adstruxit: caveatis autem, inquit, ne sæpius ita noctu evagemini, est enim minus tutum, rerum tam inanium causa solos proficisci. Post hæc episcopus ac rex omnes istos tractus, consecratam aquam circumferentes, obierunt, incolasque, quorum multi gravi fuerant incommodo affecti, a dolis diabolicis liberarunt.

De rege Olavo.

57. Regi Olavo et Thyriæ reginæ filius eximie pulcher fuisse dicitur, qui in baptismo

Haraldi nomine insignitus atque ex patre matris denominatus fuit; is regi ac reginæ carissimus erat, civesque spem animis læti concipiebant, fore, ut patri in imperio succederet, erat enim populo acceptissimus. Sed vix unum annum vixerat, cum ex hac mortali vita in æternam gloriam translatus est.

De rege Sveine ac regina Sigrida.

58. Jam de rebus, quæ quinto anno imperii regis Olavi in Dania acciderunt, referendum. Id temporis rex Svein Sigridam Facinorosam in matrimonio habebat. Hi aliquando sermonem inter se habuisse, reginaque, multis præsentibus amicis eorum, locuta esse dicitur: quousque, domine, inquit, quam accepisti contumeliam ulcisci supersedebis? Rex: quænam, quæso, domina, ista contumelia est, quam inultam patior? Regina: ignominiæ magnoque dedecori tibi fuit, quod ne dignus quidem habitus, neque ejus pretii æstimatus fuisti, cujus auctoritas consuleretur, quando Thyria soror tua Olavo regi Norvegiæ nupsit, quam rem ab eo tempore tacitus tulisti; sed ipsa se in matrimonium collocavit, auctoritatem secuta nutritii sui, tua venia non expetita, illeque nuptias cum ea celebravit. Hic rex Svein: quamnam ego ea re contumeliam accepi? nonne Olavus Tryggvii filius aliis omnibus regibus præstantior est? num regi præstantiori elocare sororem potuissem, et si ipse conciliator nuptiarum fuissem? immo, etsi totum meum regnum florentissimo statu vigeret, satis splendide locata est. Regina Sigrida reposuit: equidem haud nego, regem Olavum ceteris regibus esse præstantiorem, tuamque sororem satis quidem bene locatam esse: verum quoniam rex appellaris, considerare debes, quanta te affecerint contumelia, cum ipse sibi tuam sororem desponderit, te dignitatemque tuam parvi faciens. Rex

contra: at vero injuriam istam et contumeliam, nunc adeo consummatam, æquo animo ferendam existimo; quod et optime convenerit, cum et rex Olavus potentia admodum valeat, neque ego meis opibus adversus eum uti, aut hanc ulcisci contumeliam possim. Sigrida locuta est: at tu ideo diu eris parvi pretii rex, quod ipse talis esse vis; quod si rex esse velles, quales majores tui fuerunt, hoc nullo modo ferres dedecus ac contumeliam. Et pro certo tibi confirmo, si animi adeo pusilli esse vis, ut non audeas talia ulcisci, næ me tecum divortium facturam, nec ullo pacto hoc loco mansuram. Hic rex Svein: Quandoquidem rex Olavus potentia et opibus tantum valet, quanam tandem ratione hoc ego ulciscar? Sigrida: dolis circumventum superato, et ita ad extremum superabis eum. Rex: itaque consilium edoce, quænam sit ineunda ratio, ut superari possit. Sigrida: primum nuntios in Vindlandiam mittito ad Sigvaldium dynastam, quem totius regni Danici exulem fecisti; hunc ad te invitato, ea proposita conditione, ut, si possessiones et provincias a majoribus suis obtentas recuperare velit, tecum in gratiam redeat. Deinde cum eo paciscitor, ut legationem tuo nomine suscipiat in Norvegiam, atque ita pro facinore adversus te commisso satisfaciat; sed hoc negotium cum comitate agere memento. Jam legati ad Sigvaldium cum regiis mandatis proficiscuntur, eaque coram eo exponunt. Dynasta, magna usus celeritate, ad regem proficiscitur; illique ambo unacum regina de communi negotio inter se tractant. Hic rex Sigvaldio: si recipere possessiones tuas cupis, legatus nostro nomine cum veris tesseris in Sveciam et Norvegiam proficiscitor ad regem Olavum Svecum, indeque ad regem Olavum Tryggvii filium,

ut æstate proxime insequenti omnes una in Brennois congrediamur; quo necessarii negotii causa proficiscendum sibi esse, rex Svionum simulet. Tum Sigrida: rex Olavus, gnatus meus, in Norvegiam ad cognominem suum mittat, ut se in promovendo divino negotio adjuvet, quo facilius religio christiana in regnum suum introduci possit; et certo scio, si hoc agatur, eum, omnibus rebus posthabitis, ad annuntiandum Dei nomen iter suscepturum, tumque eum in aliquas insidias pellicere facile poterimus. Si vero rex Olavus Tryggvii filius e Norvegia profectus, pernavigato freto Orano, te non prohibente, iter suum quocunque velit persequetur, nullam voluntatis tuæ suspicionem animo concipere poterit. Sed hac re facillime, rex Svein, ostendere poteris imbecillitatem tuam, si eum tuto ac libere redire patiaris. Hæc regis reginæque mandata accipit, profecturum se pollicetur, iter comparat, in Sveciam proficiscitur. Eirikus, filius Hakonis dynastæ, et Svein, frater ejus, qui tum in Sveciam venerant, nuntium de itinere Sigvaldii accipiunt, cum quo magnæ eis inimicitiæ intercedebant; ex quo in Hjorungavogo conflixerant. Itaque de itinere Sigvaldii certiores facti, mittunt ad eum, ut in congressum eorum veniat. Quod factu optimum ratus Sigvaldius, nulla interposita mora, eos convenit et comiter salutat. Quærentibus, quo iter haberet, respondit: jam in vestra situm est potestate, credo, quo iter facturus sim; dein fratribus omnem causam itineris sui exponit. Tum Eirikus: si verum est, quod dicis, tu omnesque comites tui tuto, quo velitis, proficiscamini licebit. Itaque Sigvaldius iter persequitur, donec Olavum Svionum regem convenit, cui mandata regis Sveinis ac Sigridæ reginæ exponit. Olavus Svionum rex Sigvaldium liberaliter ex-

cepit, omniaque, quæ inter regem Sveinem matremque et Sigvaldium convenerant, approbavit; quæ iterum repetere opus non est. Post hæc Sigvaldius in Norvegiam profectus, regem Olavum Tryggvii filium in Oplandis convenit, cum eo paulo ante festum jolense pervenisset; a quo egregie exceptus, festum jolense apud eum transegit. Sigvaldius dynasta regi Olavo mandata Svionum regis, cognominis ejus, exposuit, petens, ut sibi, prius quam discessisset, consilium suum aperiret. Post festum jolense Sigvaldius se ad abeundum paravit; tum rex Olavus Sigvaldium dynastam regi Svionum renuntiare jubet, se sine dubio, uti in mandatis postulassent, in Brennoas, quibus regnum suum terminaretur, venturum. His actis Sigvaldius dynasta in Daniam reversus, regi reginæque renuntiat, regem Olavum Tryggvii filium dicta die in locum, quem constituissent, adfuturum; quam ob rem illi dynastæ Sigvaldio pacem patriamque concesserunt.

De rege Olavo.

59. Hoc quoque commemorare volumus, quinque illis annis, quibus rex Olavus Norvegiæ præfuerit, regnum tanta omnium bonarum rerum felicitate, tam terræ feracitate, quam cœli serenitate, beneficio Dei omnipotentis floruisse, ut pari felicitate nunquam, neque antea, neque post, floruerit. Cui rei id signo erat, quod rex sancto illo festo, dominica palmarum, a missa regrediens hominem quendam vidit ante ædem sacram consistentem, ingentem fascem herbæ, quam Angelicam vocamus, humero gestantem. Rex manum porrexit, hunc æstivum fructum, qui tantæ lætitiæ ac maturitatis esse videretur, probaturus. Vir, qui onus portabat, sarcina deposita, regi unum Angelicæ caulem dedit, quem rex in ædem symposiacam, ubi aulici convivio excipie-

bantur, intulit. In solio residens, partem caulis angelicæ præsectam reginæ misit, qua accepta, ea sic locuta est; domine, inquit, memoria teneo, mihi infanti donum esse datum in primæ dentitionis monumentum, quas pecunias rex Svein, frater meus, quando postulare voluissem, cum usuris solveret. Jam peto a te, domine, ut has pecunias, meridiem versus in Daniam proficiscens, exigas; potes quoque intelligere, domine, quantas in Vindlandia possessiones amiserim, quarum reposcendarum nemo ad hoc tempus neque potestatem habuit, neque audaciam; quarum rerum turpissimam jacturam sæpe numero deplorare soleo. Rex, cui hæc res magnam sollicitudinem injiceret, quid faciendum esset, animo perpendere cœpit.

De rege Olavo.

60. Æstate proxime insequenti rex Olavus, tessera evocationis nuntia per totum regnum dimissa, magnum contraxit copiarum numerum; quæ cum convenissent, centum et quadraginta naves rex habuit, multis tum comitatus principibus et viris eximiæ fortitudinis; Thorgeir et Hyrningus, affines ejus, magnam manum ducebant. Jam rex et regina profectionem e regno compararunt. Ut exercitus paratus erat, rex, cursu meridiem versus secundum litora directo, classem ad insulam, quæ Mostria appellatur, appulit. Eodem rex Olavus primum appulerat ex Anglia profectus, ibique primam ædem sacram exstruendam curaverat; jamque ad eandem insulam cum universa classe appulit. Erat in hac insula vir quidam senex, idemque cœcus; is ibidem rem familiarem ac possessiones habuit, rerum futurarum valde providus. Classe ad insulam consistente, rex aliquot suorum secum egredi in terram jussit. Accedunt ad ædes senis. Cui in-

terroganti, quinam adessent, unde advenissent, quidve vellent, princeps comitatus respondit, mercatores esse ex propinqua continente, merces promercales secum portantes. Tum colonus: quid nobis referre potestis de classe regia aut evocatione copiarum ejus? Dicunt, classem ad insulam stare. Hic senex, graviter suspirans, in hæc erupit: heu, heu, grave damnum discessu regis nostri incidet nobis, quippe qui ita quatuor res multo meliores ac præstantiores, quam quæ antea hac in terra fuerint, amissuri simus; et dolendum est, inquit, si infortunio nostro accidet, ut has omnes res perdamus. Is, qui principem mercatorum gerebat, senem allocutus: quænam, inquit, sunt quatuor illæ res, ceteris rebus tanto præstantiores, ut cum his nullæ, neque nunc, neque antea, comparari possint? Huic colonus: primo loco numero regem nostrum Olavum, omnium regum excellentissimum, cujus similis ex eo genere nemo inde a tempore Haraldi Pulchricomi, omnium sapientissimorum virorum judicio, hanc in terram venit; nemo enim rem publicam tam gloriose tamque salutariter administravit. Quem si forte amiserimus, quamdiu vivemus, ea non utemur fortuna, ut ejus similem adipiscamur. Secundam numero reginam Thyriam, cui omnes unum testimonium ferunt, nullam unquam feminam omnifaria bonitate et prudentia ei parem in Norvegiam venisse. Tertia res est navis ejus, Serpens longus, de quo omnes idem loquuntur, navem ei parem nunquam fuisse ædificatam. Quarta res est canis ejus, Vigius appellatus, qui in suo genere ceteris canibus melior et robustior est. Jam vereor, ut ea nobis adspiret fortuna, ut res tam egregias nostra in terra habere nobis liceat; sæpius enim usu venit, ut, quo quæque res majorem habeat admirabilitatem, eo celerius amit-

tatur. Quibus auditis rex Olavus suos compellavit: jam ad naves descendamus! Iis autem egredientibus, cum in limine consisterent, cœcus ille vir: omnibus, cum senescere cœperint, accidit, inquit, ut non solum visu corporali deficiant, sed etiam caligo ac tenebræ mentis ferendæ nobis subeundæque sint. Nam nescii, me modo cum ipso rege collocutum; quod si non ignorassem, tanta garrulitate haud usus fuissem. Post hæc rex ad naves descendit, et orientem versus terram prætervectus, in locum constitutum, quo loco prisci reges convenire solebant, pervenit. Quem in locum cum Svionum rex nondum advenisset, hujus adventum rex Olavus duas hebdomades exspectavit, sed frustra, fraudum et insidiarum, quæ sibi struerentur, ignarus. Itaque cursum suum pertendit et pernavigato freto Orano in Vindlandiam pervenit. In Vindlandia multos ex amicis suis convenit, a quibus magno honore acceptus est; ibidem magnam partem æstatis consumsit; hic ad eum venit Astrida, filia regis Burizleivi, uxor Sigvaldii dynastæ, soror Gariæ (i. e. Geiræ) Sapientis, quam rex Olavus in matrimonio habuerat; hic etiam Dixinem, de quo antea facta mentio est, convenit. Quamvis autem rex in Vindlandia a multis honorifice exciperetur, tamen exercitus ejus magna domum redeundi cupiditate flagrabat. Rex Olavus regem Burizleivum in Vindlandia conveniens, ab eo possessiones dotales Thyriæ postulavit. Qua in re cum ab Astrida, regis Burizleivi filia, adjuvaretur, ipseque esset regi Olavo amicissimus, quod filiæ ejus matrimonio junctus in Vindlandia fuerat versatus: rex Burizleivus has possessiones pecunia numerata redemit, quam pecuniam ad naves regis Olavi deportandam curavit. Ibidem rex Olavus diu commoratus est.

De filiis Hakonis dynastæ.

61. Filii Hakonis dynastæ, Eirikus et Svein, cum propter cædem patris sui, tum etiam quod eis in patria sua manere non licuisset, magna in regem Olavum invidia et odio accensi dicuntur; regemque Olavum non regno solum, sed etiam vita spoliare cupiverunt. Itaque, ut primum Sigvaldius e Svecia in Norvegiam profectus erat, fratres, Eirikus ac Svein, Olavum regem Svionum convenerunt, et cum eo una consilia inierunt. Iidem Sveinem quoque regem Danorum convenerant. Qui omnes, cognito, regem Olavum Tryggvii filium magno cum exercitu in Vindlandiam pervenisse, ingenti metu perterriti, quod eis impugnatu difficilis videretur, magnas copias cogunt; deinque reges ac dynastæ, conciliis inter se habitis, eam rationem instituerunt, ut Sigvaldius dynasta iterum ad regem Olavum profectus, tentaret, an eum invicto exercitui eorum objicere et in insidias, quas ei struxerant, pellicere posset. Locus insidiarum erat insula Svoldra, quo Sigvaldius regem Olavum paucis stipatum navibus pelliceret. Rex Svein regi Olavo crimini dedit, quod sororem suam se invito duxisset, deinde, quod provinciam suam tributariam, regnum Norvegiæ, quam Haraldus pater suus Falkoniam[1] suam appellarat, occupasset. Sic Sigvaldius dynasta[2]:

(Haraldi[3] tu Falconiam gladio
defendis) vivere et mori.

---

[1]) ad verbum: insulam accipitrum f. falconum; confer. *Fornm.* 1, 119—20; 11, 26. [2]) cum duo sequentes versus in *Hkr.* Vita Magni boni, cap. 17. str. 10. et *Fornm.* 6, 44, ad Parrhesiam Sigvati referantur, pro *Sigvaldi jarl* legendum puto *Sighvatr skáld*, Sigvatus poeta. [3]) In textu est *Har*, quod secundum Hkr. et *Fornm.* l. c. pro abbreviatione nominis *Haralds* accipio; neque

Olavus Svionum rex eam belli causam prætendebat, quod Olavus Norvegiæ rex matrem ipsius contumelia affecisset, quod nuptias cum ea condictas animi levitate dissolvisset, ipsamque manica sua percussisset, se magnæ ignominiæ ultionem ab eo expetendam habere testatus. Hujus quoque belli Sigrida præcipua fax erat. Filii Hakonis, Eirikus ac Svein, satis inimicitiarum, quarum memores essent, ab rege Olavo se perpessos existimabant. Quintus belli coryphæus erat Sigvaldius dynasta, Danorum regi subjectus. Jam rumor in Vindlandiam perfertur, vero esse similius, insidias regi Olavo reversuro ejusque exercitui factas esse; quem rumorem alii affirmabant, alii negabant et vanum esse contendebant. Rex Olavus hunc rumorem excedere omnem fidem judicans, parum eo movebatur. Jam Sigvaldius in Vindlandiam profectus, regem Olavum convenit. Inter quos colloquio instituto, rex Olavus interrogat, ecquam veri speciem habeat, insidias aliquas sibi strui bellumque adversus se fieri. Sigvaldius dynasta hæc, quæ narrata eis sint, vana et falsa esse testatus, veritatem a se dictorum jurejurando confirmat. Cujus verbis rex Olavus fidem habuit. Ideo Deus omnipotens eorum temporibus accidere passus est, ut rex Olavus, a maligno et mendaci spiritu seductus et deceptus, regno suo invitus et dolis hostium circumventus privaretur, ne terrestri suo regno diutius imperaret, cum non minus vir cœlestis, quam terrestris videri possit. Hæc in Sigvaldium dynastam scripta sunt:

Non proferam nomen
(rem propius tangam:
nasus aduncus est

---

enim Norvegia simpliciter a poeta appellari potuit *haukey*, sed *haukey Haralds*.

perduellioni)
ejus, qui regem Sveinem
fraudulenter e regno elicuit,
et filium Tryggvii
dolis circumvenit[1].

Rex Olavus veniam domum redeundi suis concedit.

62. Dicitur rex Olavus fremitum ac murmurationem suorum animadvertens, indignantium, quod diutius quam libuisset in Vindlandia morarentur, frequens concilium indixisse, in quo sic verba fecit: scio, inquit, eorum in meo exercitu magnum numerum esse, qui instanti æstate domo profecti, relictis possessionibus, uxoribus, liberis, cognatis et patria, his omnibus (inquam) post tergum relictis me secuti sunt. Quam ob rem danda vobis venia est, si tam diutinam hoc loco commorationem moleste feratis. Hanc ob causam omnibus, qui cupiant, veniam domum in patriam revertendi concedere volumus; eis vero, qui me comitari velint, multo majorem gratiam habeo, quam sic facientibus, etsi postea accidat, re præstabo. Quæ cum dixisset rex, milites ei ingentes gratias pro venia data egerunt. Tum vir quidam ætate provectus in concilio surrexit, et sic verba fecit: eum præfectum nobis regem habemus, qui aliorum regum dissimilis est, naturaque dispari, cujus similis haud facile invenietur; qui cum e regno suo excesserit, fieri potest, ut in aliquod periculum incidat. Verum etsi pro sua clementia veniam suis revertendi concedat, tamen nobis haud convenit, tam excellentem principem deserere; multo magis nos decet, pro eo pugnare, eique fidelem operam navare, quoad potestas est, pulchraque præstare ministeriorum officia; ne sic accidat, ut ob neglecta in dominum

[1]) vide *Fornm.* 3, 19—20.

nostrum officia eo privemur, nosque postea nunquam fructum ex eo capiamus. Ad hæc ejus dicta pauci responsa reddiderunt. Insequenti luce orta, rex aulicique somno experrecti animadvertunt, copias expeditionales dissipatas esse, plerosque militum castra reliquisse, velisque sublatis abscedere, non amplius undecim navibus remanentibus. Neque tamen rex Olavus ad navigandum paratus erat, sed adhuc aliquamdiu moratus est. Interea reges diutius apud collectum exercitum hæsisse dicuntur; milites impatientiores fieri, diuturnioris moræ jam pertæsi; quin multi desperare, regem Olavum in ingentem illum exercitum incasurum, et tamen incertum putare, quem eventum, antequam res ad finem esset perducta, conflictus habiturus esset. Hinc milites, desidendi tædio jam capti, cum aliqua die classem Norvegorum magna ferri celeritate conspicarentur, ingenti sunt lætitia affecti. Rex autem Olavus iter tardius comparavit; ei Astrida multas celoces Vendicas dedit, regemque ab oriente proficiscentem comitata est, persvasum habens, regi Olavo insidias paratum iri, si per regnum Danorum proficisceretur. Tum Sigvaldius septemtrionem versus in Skaneyam profectus erat. Rex Olavus ex Jomsborga (arce Jomensi) proficiscens, naves habuit septuaginta unam. Sic Haldor non-christianus:

Rex a meridie profectus est
cum navibus septuaginta et una
(eximius ille dux classis
gladium in prœlio rubefecit):
cum dynasta ursum pelagi
in cursum incitasset ad Skanienses
conveniendos. Eo auctore
pax inter viros rupta est[1].

[1]) Constructio: *konúngr fór sunnan siautugum skeiða oc*

Cum naves regis Olavi per exteriora ferebantur, classis principum in portu ad ancoras stabat; ipsique principes in insula constituti classem prænavigantem conspicabantur.

De navigatione regis Olavi.

63. Eo die aer sole splendente serenus erat; itaque principes et cohortes, in insula deambulantes, naves, quæ prætervehebantur, minores contemplabantur. Cum multæ naves præterlatæ erant, navem magnam et pulchram conspicati, hunc haud dubie Serpentem longum esse dixerunt, et "descendamus ad naves" exclamabant. His Eirikus dynasta: adhuc exspectemus, inquit, plures illi, quam Serpentem longum, naves ingentes habent. Hanc navem, quæ insignis erat magnitudinis, Styrkar de Gimsis possidebat. Majorem, addidit Eirikus, atque splendidiorem speciem vobis præbebit Serpens longus. Mox aliam vident navem bene ornatam et præfixis capitibus superbientem. Tum rex Svein: hic haud dubie procedit Serpens ille longus; jam caveamus, ne nimis tardemus. Huic Eirikus dynasta: non hic

---

cinu) *mætr meiðr unnviggs rauð sverþ at ona a) morði*), *þú er jarl hafði of-krafðan lagar hún b) Skánunga fundar. Sætt seggja ættar gekk sundr* (ɔ: *fyrir*) *hánum.* Hæc stropha, aliqua lectionis varietate, occurrit *Fornm.* 2, 297.

a) sic nunc construere visum, cum *on* s. *oun*, docente Edda, sit pars gladii, et *morð* de noxa, pernicie, capi possit; ita enim *ona morð* erit prœlium, ut ratione non prorsus absimili *törgu morð*, pernicies peltæ, apud Kormakum. *b*) i e. navem; sensus est: cum dynasta nave profectus esset ad conveniendos Skanienses, quod in prosa præcedenti sic exprimitur: *Sigvaldi var þá farinn norðr á Skáney.* Ceterum phrasis, *jarl krafði lagar hún fundar* (dynasta postulavit a nave, ut conveniret v. adiret, ɔ: Skanienses), conferri potest cum phrasi, *oc grjóts grjá gángs of beiddu* (Ed. Sn. ed. Raskii, 147), *á skip skal til skriðar orka*, etc., Hávam.

credo, Serpens longus est; navium enim majorum, quarum magnum habent numerum, adhuc paucæ sunt prætervectæ. Hanc navem aliquis regi cognatus, vir potens et eximius, possidebat. Parvo post intervallo, cum magnam præterlabi navem viderent, exclamante rege Sveine, ibi haud dubie Serpentem longum procedere, Eirikus dynasta excepit: magna quidem hæc atque ornata navis est; majorem vero, magisque eximiam speciem dabit Serpens longus, quem rex Olavus ducit. Hanc altera navis, magna et ornata, statim subsecuta est; quas naves fratres, Hyrningus ac Thorgeir, ducebant. Aliquanto post intercedente intervallo, magna ornataque navis cum velo cæruleis virgis distincto, eis quæ prænavigarant multo major, in conspectum venit; hic dromo erat, nullis capitibus præfixis. Hic rex Sveiu surrexit, subridensque: metuit rex Olavus, inquit, qui non audeat capita præferre, Serpentis longi insignia; eamus atque eum invadamus! Cui Eirikus dynasta: haud ista navis regem Olavum vehit; hanc navem, quippe mihi sæpius conspectam, novi; possidet eam Erlingus Skjalgi filius Jadarensis; præstat utique, hac prætervecta navi, qua tantæ fortitudinis viri vehuntur, in pugnam procedere; atque ipsi experiemur, si cum rege Olavo Tryggvii filio congressi fuerimus, satius nobis esse, vacuum locum esse in acie ejus, quam ut in hunce dromonem incidamus. Hic Olavus Svionum rex: absit, ut magnitudine navium deterreamur, quo minus cum rege Olavo prœlio congrediamur; nam si hoc loco cum invicto exercitu hæremus, illo cursu publico per exteriora navigante, eam merebimus ignominiam et dedecus, quæ fama per omnes terras divulgabuntur. Cui Eirikus

dynasta: hane prætervehi navem, domine, patiare, me auctore persvasum habens, nondum prænavigasse regem Olavum Tryggvii filium, quocum pugnandi potestas tibi hoc dic, opinor, dabitur. Nimirum multi hoc loco adsunt principes, inquit, a quibus eum impetum existimo factum iri, qui nos satis occupatos, antequam profligata res fuerit, teneat. Jam ingentem prætervehi navem conspiciunt, multis dicentibus, "navem admirandæ magnitudinis nunc præterlabi, haud dubie Serpentem longum esse, nolle jam Eirikum dynastam prœlio confligere suumque patrem ulcisci". Quibus dictis Eirikus dynasta, gravi accensus ira, surgit; hortatur, ut ad naves descendant; haud vero absimile esse ait, fore, ut Danos haud minus, quam se suosque, tædium pugnandi capiat. Magno adhuc interjecto intervallo, tres vident ferri naves, omnes quidem magnas, unam vero ceteras magnitudine multum antecedentem, aurata draconis capita præferentem. Jam omnes exclamare, vera dixisse dynastam: nunc tandem in conspectum procedit Serpens longus. Reponit Eirikus dynasta, hunc Serpentem longum non esse; hortatur tamen, ut in hanc, si velint, impetum faciant, et quid resistendo valeat, experiantur. Tum Sigvaldius dynasta, sumto dromone suo evectus ad naves, album clypeum, signum pacis, efferri jubet; quo facto illi, contractis velis, cursus sistunt. Ingens illa navis Grus erat, quam Thorkel Nevia (Naso), cognatus regis, ducebat. Interrogant Sigvaldium, quid novi referre habeat; ille significat, habere se quod referat novi, structas regi Olavo insidias. Itaque Thorkeliani, qui hoc rerum statu cursum pertendere nollent, navem in salo continent atque ceteros exspectant. Jam reges quatuor procedentes naves conspiciunt, quarum una, ceteras ma-

gnitudine longe antecedens, aurata draconum capita ostendebat. Hic exclamare omnes, admirandæ magnitudinis Serpentem longum esse, nullam usquam terrarum navem ei magnitudine aut pulchritudine parem esse, ingentis esse magnificentiæ talem fabricandam navem curasse. Tum rex Svein: celsum me hodie vespere Serpens longus vehet, quem, antequam sol occidat, ducturus sum; idem milites, ut se ad prœlium parent, hortatur. Hic Eirikus dynasta, paucis tamen audientibus: etsi rex Olavus nullam haberet navem, hac quam nunc videtis majorem, tamen rex Svein solo adjutus Danorum exercitu hujus navis dux nunquam existeret. Sigvaldius (Olavianos) hortatus est, ut velis contractis insulam (remis) subirent; eam esse tempestatis rationem, ut magnas naves ducentibus lenique vento utentibus navigatio propius terram commodior sit. Ita faciunt, navesque ad insulam subigunt. Ingens illa navis appellabatur Serpens brevis. Vix dimidia hora intermissa, reges omnesque milites tres naves insigni magnitudine conspexerunt, pone quas totum pelagus orientale aureo fulgore resplendere videbatur. Adpropinquante hoc spectaculo, ut percipi oculis posset, adparebant eximia draconum capita, magno fulgore coruscantia, longaque interjecta mora est, donec posterior pars in conspectum prodiisset. Hæc navis tota erat auro argentoque ornata. Quam ingentem navem procedentem intuiti, omnes demirati sunt, quantum præteriret temporis intervallum, donec puppim conspicerent. Hic Eirikus dynasta: jam surgite, nunc enim non est cur quis disputet, aliane navis, an Serpens longus istic procedat; hic igitur convenire regem Olavum Tryggvii filium poteritis. Hic multi obmutuere, ingenti navis magni-

tudine vehementer perterriti, atque complures mortem jam præmetuere cœperunt. Eirikus dynasta porro locutus est: digna rege Olavo splendida hæcce navis, nam quanto ipse ceteros reges, tanto hæc navis omnes ceteras antecellit. Rex Olavus, cum suos ad Insulam successisse animadvertisset, vero simile ratus, eos aliquid novi comperisse, has quoque naves ad insulam dirigi velaque contrahi jubet. Sigvaldius dynasta dromonem, quo vehebatur, per interiora insulam versus dirigit, regibus occursurus. Jamque omnes principes hac re magnopere lætati sunt, videntes regem Olavum in insidias incurrisse; sortes jaciunt, quis eorum primus cum copiis suis regem Olavum adoriatur; omnes enim regnum ejus concupiscebant. Exiit sors regis Sveinis, qui sexaginta navibus ad pugnam comparatis, instructo exercitu suo, signum sibi præferri jubet.

De rege Olavo.

64. Rex Olavus suos interrogavit, cur non navigarent. Illi edita causa rogant, ut fugam capiat. Ille contra: neutiquam terga vertam, inquit, potius prœlium committere malo; neque enim is verus est rex, qui præ timore hostes fugiat. Hic rex Olavus ac sui animadverterunt, se insidiis circumventos, totumque propinquum mare bellicis navibus tectum; exiguas vero copias ad manum conserendam habuit rex, a quo partem classis navigasse Halfrödus his versibus memorat:

Ibi certo regem, qui commisit prœlium,
credo amisisse multorum nimis
Thrandorum militum auxilium;
permulti se in fugam conjecerunt.
Rex strenuus cum duobus regibus
dynastaque tertio prœlium

commisit. Moris est præclari
talia commemorare facta[1].

Jam regum copiæ dividi cœptæ, Danorum exercitu in unum locum, in alterum Svionum concedente; tertio loco se Eirikus dynasta suasque copias paravit. Tum vir quidam prudens, Thorkel Dydril, regem Olavum allocutus: magnus hoc loco exercitus, domine, invictæque copiæ convenerunt; quare velis sublatis in altum navigemus, copiasque nostras cursu assequamur; neque enim cuiquam ignaviæ duci potest, quod sibi suisque modum statuat. Hic rex Olavus: naves conjungite, milites armaturam induant et gladios destringant; de fuga non est cogitandum. Quæ dicta Halfrödus his versibus confirmat:

Oportet memorare dictum,
quo regem virtute cluentem
allocutum ferunt in prœlio
viros cum hoste certantes.
Fugator Svecorum militum
fidum exercitum vetuit de fuga
cogitare. Vivunt animose dicta
principis, populo amici[2].

Rex Olavus aciem instruxit, latera navium pluteis munienda curavit, præcepitque, ut Grus et Serpens brevis utrique lateri Serpentis longi ap plicarentur, hæque tres naves copulis inter se conjungerentur. Tum proreta regis, ut quidam

---

[1]) vide *Fornm.* 2, 307.

[2]) Vide *Fornm.* 2, 306. Constructio posterioris semistrophæ: *hnekkir sina a) rekka baðat tryggvan her hyggja á flótta. þróttar orð þess þjóðar hressar b) liva.*

a) legendum puto *suia* i e. *Svia*, Svionum. *b*) forte legendum *hressa*, a *hressi*, id. qu. *hressir*, m., qui alacrem, lætum reddit; itaque *þjóðar hressi*, qui populum exhilarat, vel animos militum confirmat.

volunt, Vikar, ut alii Ulvus Rufus, regem allocutus, interrogavit, an Serpens eo longius a cetera acie concopulatarum navium prominere deberet, quo ceteris navibus longior esset. Cui rex Olavus: ideo factus est aliis navibus longior, ut longius a cetera acie proveheretur. Tum proreta: ergo difficilis orietur oppugnatio circa loca proræ proxima, domine, neque utique deerit his locis rei gerendæ occasio. Cui rex: at ego nesciebam, me proretam habere et rufum et timidum; nam hunc ideo aliis navibus majorem curavi fabricandum, quod volueram, eum tanto magis esse in prœlio conspicuum, quanto est inter velificandum aliis navibus splendidior. Tum proreta regem cum ira allocutus: ita tua majestas, domine, provideat, inquit, ne tu magis tergum vertas, celsam puppim defendens, quam ego proram. Hic rex, vehementi ira commotus, hastam in eum conjicere paravit. Tum proreta: eo telum mitte, domine, quo magis est opus; tu haud nimis multos habes milites propugnatores. Sunt qui dicant, tres fuisse proretas regis Olavi, omnes magnitudine virium insignes, unum Ulvum Rufum, alterum Vikarem, tertium Hyrningum; et plurimi consentiunt, Ulvum his verbis regem compellasse. Hoc momento conspecta navis est, quæ a plaga meridiana ruens, ad celsam puppim Serpentis longi summa celeritate ferebatur. Navis erat sedecim transtrorum; ex cujus prora vir quidam egressus cum rege colloquebatur sermone peregrino, cui rex item respondebat, sermone usus Norvegis non intellecto. Qui cum aliquamdiu inter se collocuti fuissent, hi ad terram se receperunt, ibique totum diem, quamdiu pugnabatur, se continebant, navibus in salo ad ancoras constitutis. Qui cum discessissent, regiis quærentibus, quinam essent, qui cum eo

collocuti fuissent? respondit peregrinos esse et ex Vindlandia advenisse. Hi quatuor principes, duo reges et duo dynastæ, regem Olavum prœlio adorti sunt. Sigvaldii in hoc prælio gestorum exigua mentio est; et tamen Skulius Thorsteinis filius in carmine breviori, quod de hoc prœlio composuit, commemorat, eum eidem interfuisse:

Secutus sum hostem Frisiorum
Sigvaldiumque (juvenis nactus sum
honorem, quo loco tela sonuerunt;
nunc sentiunt homines, me senescere),
quando tulimus rubefactum
tigillum vulneris in strepitu galearum
adversus bellicosum principem, in meridiana
regione, ante Svoldræ ostium[1].

De prœlio a rege Sveine adversus regem Olavum commisso.

65. Rex Olavus, aciem ad prœlium instructam e regione sibi oppositam videns, interrogat, cui principi ea signa præferantur. Responsum est, ea vexilla regi Sveini præferri. Tum rex Olavus: haud silvestres illæ capræ nos superabunt; Danis enim idem animus, qui capris, inest; horum copias non est quod metuamus: nunquam enim Dani ad hoc tempus victoriam reportarunt, classe pugnantes. Hæc cum regina Thyria audiret, magno est dolore affecta. Quo cognito rex eam sub foros deduxit, ibique tutum locum ei parari fecit, testudinem clypeorum circumdedit, firmisque armis texit; is eam sic compellavit: jam non est cur lacrimeris, nam hodie exacturus sum pecunias illas, tibi a fratre tuo datas in primæ dentitionis monimentum. Rex indutus erat rubra tunica bombycina, rosæ instar pulchra, loricaque superindutus in celsa puppi

[1]) Vide *Form.* 2, 311.

stetit. Post hæc classica per totam aciem cani cœpta. Rex Danorum naves Olavi regis adortus, nihil amplius efficere potuit, quam ut extremas naves milite nudaret. Nam cum ex navibus majoribus, quæ regi erant, tela acriter conjicerentur, Danorum regis milites alii graviter vulnerati, alii interfecti sunt. Sed etsi rex Svein initium oppugnationis fecisse existimatus est, tamen tela ex navibus Svionum regis, itemque dynastæ, sunt conjecta; horum enim naves tam prope aberant, ut facile telum eo adjici posset. Diu pugnatum est, Danis ægre sustinentibus; qui cum diu pugnassent, victoriam desperantes valdeque defessi, discesserunt, compluribus suorum amissis; atque ita, uti rex Olavus conjectaverat, parva cum gloria se receperunt.

Impugnatio Svionum regis.

66. Qui cum se recepissent, rex Svionum sexaginta naves admovet, manum habens lectissimam, singulos viros eximiæ fortitudinis et armis egregie ornatos. Quærenti regi Olavo, cui ea vexilla præferantur, responsum est, hæc vexilla esse Olavi Svionum regis: qui tecum pugnaturus est. Rex: facilius, inquit, et jucundius erit Svionibus, vasa, quibus excipere sangvinem sacrificalem solent, intrinsecus circumlambere, quam sub infesta nostra arma subeuntibus in Serpentem longum transcendere, atque naves, quibus nos vehimur, defensoribus nudare; neque, puto, opus erit, ut hippophagos istos metuamus. Jam acrem impetum faciunt. Norvegiæ rex, uti antea, Serpentem brevem atque Gruem ad utrumque latus Serpentis longi copulatos habuit. Dicuntur milites Olavi Norvegiæ regis, postquam Dani recesserant, ex minoribus navibus in majores transcendisse, et ab harum propugnatoribus grato animo accepti fuisse. Inde prœlium

acerrimum inter cognomines ortum. Sviones proram vehementer oppugnabant, milites Olavi Norvegiæ regis tela acriter ingerebant. Cum diu pugnatum erat, duodeviginti naves Svionum regis defensoribus erant nudatæ. Milites autem Norvegiæ regis ex navibus minoribus in Serpentem transcendere pergebant, eoque salutis quærendæ vitandæque mortis causa confugiebant, quod Serpens ceteris navibus multo erat longior et altioribus lateribus, ut, castelli instar, locum præberet defensioni aptum. Tanta vero in Serpentem longum multitudo hominum confluxerat, ut vix ii, qui armis ferendis erant idonei, gladiis uti ob turbam possent. At rex Svionum, animadvertens, multos ex suis interfectos, magnumque numerum vulneratum, quod ceteri milites lassitudine erant exanimati, recedendum ab oppugnatione existimavit. Eirikus dynasta ac sui, intra teli jactum constituti, interea tela perpetuo in naves Norvegiæ regis conjecerunt, etsi illorum (Svecorum) præcipua fiat mentio; similiter tota multitudo militum, tam Danorum, quam Svionum regis, quicunque oppugnationem facerent, tela perpetuo jaculabatur. Magnus quoque numerus militum Olavi Norvegiæ regis, cui auxilia longe aberant, occubuerat. Post hæc reges et Eirikus dynasta cum omnibus copiis ad terram se receperunt, concilioque habito, quid capiendum consilii esset, studiose deliberarunt.

Quidam ex classiariis Serpentis longi nominati.

67. Olavus Norvegiæ rex, aliquantum otii ac quietis a prœlio intercessurum ratus, virum quendam, nomine Thorkelem Dydrilem, Gruem, qui jam militibus erat nudatus, sauciis hominibus et ad prœlium inutilibus onerare et excedere prœlio jubet. Sic Halfrödus:

Lupi saturator, auro lætus,
natare conspexit vacuos
utrumque Serpentem et Gruem,
(is hastam in prœlio rubefecit)
antequam Thorkel, audax pugnæ,
in acri prœlio animosissimus,
nandique peritia insignis,
in lutra mali (navi) effugeret[1].

Cui regio mandato parens Thorkel, ex prœlio evasit. Tum tres cohortes robustorum virorum in Serpente longo supererant. Hi in ultima oppugnatione in Serpente fuisse dicuntur: Hyrningus, ac Thorgeir, frater ejus; Björn ab Studla; Thorgrimus Thjodolvi, Asbjorn de Mostria, Thordus ex Njardarlogo, Einar Styrkaris filius Thambarskelver de Gimsis, Kolbjorn ab Romarikia, Thorstein Bovipes, Thorstein Albus ab Oprostadis; Thorkel Dydril ante discesserat; Ulvus Rufus ab Heinmarkia, Vikar ex Tiundalandia, frater Arnljoti Gellinii; Vakerus Ærmicus, Bersius robustus, An sagittarius de Jamtia; Thrandus robustus de Thelamarkia, et Styrmer, frater ejus; Halogi, Thrandus Skjalgius et Ogmundus Sandius, Hlodver longus ex Saltvika et Harekus acer; Thrandi interiores, Ketil altus et Thorfinnus Eislius; Havardus et fratres Orkadalenses; Arnor Mæricus, Halstein et Borkus ex Fjordis, Eyvindus Snakus, Bergthor Bestil et Halkel de Fjalis, Olavus Drengus et Arnvidus e Sognio, Sigurdus Bildus et Einar Hordiensis, Finnus et Ketil Rygiensis, Grjotgardus strenuus et Thorolvus, Ivar Smetta et Halstein Hlivæ filius, Ormus Skogarnevus, multique alii, quorum nomina

---

[1]) Constructio: *úlfgeþir, glaðr armgrjóz, sá trönu oc báða naðra fljóta auða (hann rauð geir at gunni), áðr hjaldrþorinn þorketill, hugframr í ramre böð, snotr sunnz, hèlldi undan á siglu otri.* Vide *Fornm.* 3, 3.

ignoramus. Rex Olavus se denuo ad eundem subeundum laborem pro viribus comparavit, hoc certamen ad ultimum tentaturus.

De consiliis principum.

68. In hoc concilio, quod principes inter se habuerunt, pactum inter se sanciverunt, si Eiriko dynastæ satis auxilii ad impugnandum regem Olavum dedissent, huic duas terræ partes quæ ipsis obvenissent, in potestatem tradituros; eidem cura tuendorum regni Norvegici finium permitteretur, ita ut tributa quotannis ex ipsorum partibus penderet. Eirikus dynasta navem regis Olavi omnemque prædam in prœlio partam obtineret. Regnum Norvegiæ ternis æquis partibus inter eos divideretur. Hæc pacta inter se fide confirmarunt. His actis Eirikus dynasta se suasque copias comparat. Ducebat navem, dictam Jarnbardium, ingentis magnitudinis, et firmiter fabricatam, tam prora quam puppi multo ferro et acutis spiculis contecta; præter hanc undeviginti naves, forti milite instructas, habuit. Jam magno cum impetu remis in navem regiam feruntur, ut sint qui dicant, concurrentibus navibus latera Serpentis nonnihil oblisa fuisse. Quem cum tanto impetu in se ferri videret rex Olavus, a suis quæsivit, quis tanta contentione impetum faceret. Respondent: putamus, domine, adesse Eirikum dynastam Hakonis filium cum Jarnbardio, navium omnium maxima. Hic rex Olavus: sane quam nobiles viros in hoc exercitu nobis opposuerunt; ab his copiis acre nobis certamen exspectandum: hi enim Norvegi sunt, ut nos, sæpiusque cruentos gladios viderunt, et multis prœliis interfuerunt, atque haud dubie justas sibi habere videntur causas nos aggrediendi, ut habent; quam impigre adversus nos remigat! nunc ille, credo, patris sui cædem ulcisci cogitat.

Proreta Eiriki dynastæ erat Skulius Thorsteinis filius, alter Vigfus Vigaglumi, tertius Torvius Valbrandi, et Finnus Eyvindi ab Herlandis, Norvegus, sagittandi peritissimus; hic arcum Einaris Arcipotentis fabricaverat. Inde potest judicari, quibus viris, quoque apparatu Serpens longus instructus fuerit, quod Einar, qui locum in interscalmio angusto nactus fuerat, inde hoc die sagittas auro revinctas arcu emittebat, neque a destinatis aberrabat. Oritur acre prœlium. Dynasta, Serpente, si quo pacto possit, potiri cupiens, acrem impetum fecit; rex Olavus ac sui egregie se tuebantur fortitudine, quæ verbis describi non potest. Rex, in celsa puppi stans, utraque manu jacula emittebat, quodvis telum advolans interceptum remisit, multosque homines eo die interfecit. Idem fecerunt proretæ ejus Hyrningus ac Vikar, qui fortiter pugnabant, et se strenue defendebant, etsi fortuna prœlii se inclinaret; quanquam etiam complures ex militibus dynastæ cadebant. Einar complures homines sagittis ad necem percussit, magnum numerum vulneravit. Ex Serpentis propugnatoribus multi stipitibus (hastilibus), gæsis aut saxis vulnerabantur, pauci adhucdum ceciderant, omnes fessi et exanimati erant. Cum diu pugnatum esset, Eirikus dynasta, multos suorum cecidisse, plures vulneratos animadvertens, magna accepta clade, ad terram se recipit, mortuorum corpora et homines saucios ex navibus deportari jubet, recentium et integrorum æquum numerum substituit.

De rege Olavo Tryggvii filio.

69. Cum dynasta ad terram appulisset, regem Olavum hortati sunt sui, ut fugeret, quantum in eo periclitentur demonstrantes. Ille fugiendum esse negavit: non enim fugere justum regem oportet. Interim vectores sedecimtranstræ

supra memoratæ, appulsa nave ad celsam puppim navis regiæ, ab rege petierunt, ut sibi Serpentem conscendere liceret; sese libenter pro eo mortem, si ita ferret fortuna, oppetere velle. Abnuit rex: nihil enim ad summam facit, si huc adscendatis; sed fieri potest, ut multum mihi prosit, si eodem quo antea fuistis loco permaneatis, mihique insignem aliquam operam præstetis. Quibus illi auditis navem ad terram appulerunt. Jam Eirikus dynasta, convocato Danorum Svionumque exercitu, auxilium ab eis implorat, ut ulcisci patrem possit: perpetuo nobis (inquit) opprobrio erit, tam Danorum, quam Svionum regi, quotiescunque mentio regis Olavi Tryggvii filii facta fuerit, si eum superare non poterimus; tale nunquam flagitium vidi, cum ille unam navem habeat, nos copias innumerabiles. Post hæc milites denuo in prœlium ituri armatura se induere cœperunt, animos obfirmarunt, omnesque ei operam suam polliciti sunt. Ante vero quam concilium hocce finitum esset, Eirikus dynasta vovet, si egregium illum regem superasset, sacrum baptismum admissurum. Cumque Eirikus dynasta effigiem Thoris in prora navis suæ antea habuisset, nunc in ejus locum sanctam crucem substituit; scilicet Thorem in minutas partes diffregit, crucem in prora Jarnbardii collocavit. Quo facto animi quodam instinctu, dynasta Thorkelem Procerum, fratrem Sigvaldii dynastæ, virum sapientem, ad se vocari jussit. Huic locutus est: sæpius quidem prœliis interfui, inquit Eirikus dynasta, nunquam vero reperi quenquam fortiorem aut pugnandi peritiorem, quam Olavum militesque ejus; neque navem vidi ullam expugnatu æque difficilem, atque Serpentem longum. Quare age, Thorkel, inquit dynasta, si qua prædicaris prudentia es, aliqua consilia ad expugnandum Serpentem in me-

dium propone. Thorkel diu se subtraxit, nulla se posse consilia dare causans. Sed dynasta multisque aliis diu instantibus, tandem factum est, magna promissa auri argentique summa, ut se exorari pateretur. Itaque callidum et prudens consilium dedit: primo magnum castellum ex ingentibus trabibus ad modum turris militaris educi jussit, dein ingentes trabes in castellum tolli, hasque in Serpentem dejici: tumque spero, inquit, rem successuram. Atque dicunt, nisi hoc consilium excogitatum foret, expugnari Serpentem nunquam potuisse. Dein dynasta in prœlium it, acrem impetum facit, Jarnbardium lateri Serpentis proxime applicat. Quem adremigantem conspicatus Olavus rex: jam Thor ex prora Jarnbardii excessit, inquit, et in ejus locum successit sancta crux; neque dubium est, quin Jesus Christus, dominus, duos quam unum ad se recipere malit. Sic dicit Haldor non-christianus in carmine, quo Eirikum dynastam laudavit:

Serpens in summas
difficultates veniebat
(cruenti gladii collidebant,
clypei ibi dissecti sunt),
cum rector teli, loricis noxii,
vastum Barbonem applicaret
Serpentis lateri. Dynasta
prœlium commisit apud insulam[1].

Idem porro:

Acutorum ensium strepitus
circa Serpentem longum extitit;
juvenes diu pugnabant,
ubi aurea tela sonuerunt.
Dicunt, Svecos homines et
Danos prœliatores eum

[1]) Vide *Fornm.* 2, 318, Scr. hist. Isl. 2, 311.

secutos fuisse in prœlio,
in meridiana regione commisso[1].

Idem porro cecinit:

Rem in prœlio haud remisse gestam
esse puto (milites sibi non pepercere,
bellicosum regem impugnantes:
dynasta terra sinuosa potitus est),
quando Barbonem per mare
actum Serpenti longo,
bellicose princeps, applicuisti.
Lupus minime esuriebat[2].

Hoc prœlium, primum oppugnatione, sed tamen inprimis defensione, mirandum in modum acre extitit. Sed eo tandem deducta res est, ut naves ex omnibus partibus Serpenti adplicarentur; hujus autem propugnatores se tanta fortitudine tutati sunt, ut sibi ipsi non caverent, sed ex lateribus navis cum armis in mare desilirent, tanquam in arido manum consererent. Sic Halfrödus:

Hamatæ loricæ tinctores, egressi
e Serpente, pessum ibant saucii,
adversariis non cedentes
in pugna telis infesta.
Serpens, si vel eximio regatur
principe, talibus viris diu
carebit, quocunque tandem
labetur, ferens copias virorum[3].

Rex Olavus, cum ordines ad latera navis rarescere, compluresque in media nave cadere animadvertisset, suos magno opere ad pugnam hortatus, interrogavit, utrum gladii hebetes essent, an ipsi eos remissius vibrarent: video vosmet ipsos multa vulnera accipere, quosdam exanimos

[1]) *Fornm.* 2. 318, Scr. hist. Isl. 2, 309. [2]) *Fornm.* 2, 328, Scr. hist. Isl. 2, 323. [3]) *Fornm.* 2, 319, Scr. hist. Isl. 2, 313.

in foros cadere, dum illi, qui adversus vos pugnant, consistunt, etsi his ab loco inferiori gladii supra capita sint extollendi. Cui Kolbjorn aulæmagister: haud mirum est, domine, si gladii hebetes sint, cum multos ictus hodie sustinuerint, multique eorum adeo fracti videntur, ut inutiles redditi sint. Quo audito rex Olavus e celsa puppi in interscalmium anterius decurrit, et ex arca celsæ sedis (armamentario), quæ in anteriori interscalmio erat, multos gladios splendidos et acutos depromsit, suisque utendos dedit. Tum animum adverterunt sui, sangvinem ex manica loricæ in manum regis defluere, qua vulnus parte corporis accepisset, ignari. Post hæc rex in celsam puppim adscendit, unaque Kolbjorn, uterque clypeum inauratum, galeam capite gestabat, tunica bombycina super loricam indutus; uterque etiam faciem ita contexerat, ut alter ab altero haud facile dignosci posset; tam similia utrisque singula arma erant, ea utrisque staturæ magnitudo et militaris species. Omnibus navibus regis Olavi milite nudatis, et a Serpente longo resolutis, dicunt, Serpentem undique applicatis hostium navibus circumdatum, regemque celsa puppi stantem ab universo exercitu agnitum fuisse. Tanta vero telorum conjectorumque saxorum vis in celsam puppim ingesta est, ut omnia scuta et tunicæ eorum quasi clavatæ telis essent. Et sic dicit rex Sverrer, se nunquam exemplum audisse cujusquam regis, qui in tanta oppugnatione celsa puppi stans se tam conspicuum præbuerit, ut eum omnes in prœlio conspicere potuerint. At cuivis facile intellectu est, eum hoc gloriæ causa fecisse. Interim Eirikus dynasta ingentes illas trabes ex celsa illa turri, quæ ingentibus trabibus constructa erat, in Serpentem dejici jussit; quo facto Serpens valde inclinatus

est in latus. Inde acerrima pugna exorta, multique utrimque ceciderunt. Quamvis vero rerum ab Eiriko dynasta gestarum hoc in prœlio imprimis mentionem faciamus, tamen totus fere exercitus, uti diximus, in oppugnando erat occupatus. Egregii illi viri, quorum supra mentionem fecimus, Hyrningus, Thorgeir ac Vikar, cum suis proram defendentes fortissime pugnarunt; et tamen ad extremum insigni cum laude fortitudinis hostium armis ceciderunt; at locus ab eis relictus haud facile defendi potuit. Hoc ipso momento Einar Arcipotens duas sagittas in Eirikum dynastam misit. Tum dynasta: tertiam exspectare non libet; et Finnum ab Herlaudis, artis sagittandi peritissimum, cujus antea facta mentio, allocutus, Einarem Arcipotentem sagitta ferire jubet. At ille: ipsum quidem non feriam, inquit, sed arcum ejus, si potero, percutiam. Atque cum Einar arcum tenderet, tertiam sagittam missurus, Finnus sagittam lato spiculo in arcum Einaris emisit, qua nervo incussa, arcus diruptus est. Rex Olavus, audito fragore: quid crepuit, inquit. Excussa manu tua, rex, Norvegia, inquit Einar. Cui iratus rex Olavus: in Deo ea res, non in arcu tuo sita. Jam pugna vehementissime exarsit; cadunt ex Serpentis defensoribus multi viri fortitudine insignes, et plerique eorum, qui supra nominati sunt; jamque propugnatorum acies ad latera rarescere cœpit. Tum milites Eiriki dynastæ in Serpentem transcendere, et ultro citroque per navem grassari, more immanium bestiarum. Per mediam navem homines ad internecionem cæduntur; qui in prora et interscalmio anteriori erant, diutissime se sustinuerunt. Jam Eirikus dynasta cum suis ad celsam puppim penetrare cœpit, impetu ex omnibus partibus facto Sic Haldor:

Lætus animo princeps
suos bellicosos milites
hortatus est (cessere retro
viri per transtra ad Olavum),
cum pelagi alitem celocibus
cinxissent circa fortem regem
Hadlandiæ. Vendorum interfector
a prægressis armatis militibus defensus est[1].

Cum Eirikus dynasta ac sui in anterius interscalmium Serpentis irrupissent, hic fortiter resistebatur acriterque pugnatum est; nam prout milites regis Olavi ceciderunt, lateraque sensim defensoribus nudabantur, ita multitudo celsam puppim versus se recipiebat, magno ibi jam congesto cæsorum acervo. Qui vero in Serpente se sustinebant, valde defessi erant. Ut rex Olavus Eirikum dynastam magna cum manu appropinquare animadvertit, utraque manu tria gæsa brevibus manubriis in eum misit; sed hæc non pro more solito ferebantur, cum nullum eorum dynastam adsequeretur: unum supra caput, alterum extra latus dextrum, tertium prope sinistrum volavit, quæ omnia tela in cassum ceciderunt. Quod animadvertens rex Olavus, magnopere miratus: mirabili hic dynasta, inquit, fortuna utitur; jam decrevit Deus, ut regnum obtineat imperioque potiatur. Quæ cum dixisset, omnes, qui ibi aderant, tam adversarii ejus, qui cum dynasta erant, quam milites regii superstites, celsam puppim ipsumque regem cælesti lumine circumfundi viderunt. Hoc lumen milites Eiriki dynastæ ferro invadebant, quem Deus eodem lumine gloriosum reddebat, interfecturi. Sed sublato e conspectu lumine, cum regem nusquam viderent, eum ubique intra et circa navem si forte nataret, quæsiverunt. Eodem

[1]) Vide *Fornm.* 2, 329, Scr. hist Isl. 2, 326.

etiam momento temporis octo illi viri, qui adhuc superstites erant, e Serpente in mare desiluerunt; quo in numero erant Einar Arcipotens, Kolbjorn Oplandus, Thorstein Bovipes, Bjorn de Studla, Asbjorn Mostriacus, Thrandus Strabo, Ogmundus de Sando, qui omnes in naves retracti sunt. Quidam dicunt, regem Olavum e navi desiluisse et sic evasisse, atque in exteris locis conspectum esse; alii eum hoc prœlio cecidisse similius vero existimant. Sed quocunque loco vita discessit, veri simile est, Deum animam ejus ad se recepisse, qui in stabilienda religione christiana omnibusque rebus, quæ Deo honori ac gloriæ essent, tantam curam adhibuisset. Eirikus dynasta Serpente longo, ceterisque navibus regis Olavi, multorumque hominum armis, quibus hoc die fortiter usi fuerant, potitus est. Fuit hæc pugna omnium, quæ in septemtrione factæ sunt, nobilissima, primo forti defensione, qua serpens defensus est, deinde oppugnatione et victoria, cum ea navis vastata est, quam aquis innatantem expugnari posse nemo putaverat, in primis vero propter principem, dominum navis, regem Olavum, qui omnium Danica lingva loquentium præclarissimus extitit; atque homines in celebranda regis Olavi memoria eo processerunt, ut audire nollent aliorum de casu ejus opiniones, id quod Haldor in encomio breviori significat.

De rege Olavo.

70. Ferunt regem Olavum Tryggvii filium et Kolbjornem aulæmagistrum alterum ex altero navis latere in mare desiluisse. Sed reges et Eirikus dynasta exiguas cursorias extra naves majores constituerant, quæ eos, qui in mare desiluissent, ex aqua extraherent et ad principes

reducerent. Cumque ipse rex in mare desiluerat, ii, qui parvis illis cursoriis vehebantur, manibus eum comprehendere et ad dynastam reducere conati sunt. At rex Olavus elato supra se clypeo in mare se præcipitavit. Kolbjorn vero, qui clypeum sibi subjecisset, ita in mare delapsus est, ut a subjecto clypeo exceptus mergere se in aquas nequiret; itaque captus et in cursoriam aliquam retractus est ab hostibus, putantibus regem Olavum esse, et ad Eirikum dynastam deductus. Qui intelligens, Kolbjornem esse, non regem, ei vitæ gratiam fecit. Hoc autem ipso temporis puncto celox Vendica remis se abripuit; et sermo est multorum hominum, regem Olavum lorica se in aquis exuisse, natandoque ad celocem Vendicam pertendisse. Quæ relatio late divulgata est, quemadmodum intelligi potest ex carminibus eorum hominum, qui hanc rem argumentis confirmarunt. Sic Halfrödus:

Nescio, defunctumne fato
celebrare debeam heroa,
qui famem alitibus pugnæ
exstinxit, an vita fruentem[1].

Idem porro cecinit:

Pertulit mihi fama, terræ custodem
exutum esse regno et subditis
a maris parte meridiana; gravior
dolor ab hoc tempore mihi non accidet.
Quod etsi dolo effecerint
ignis manualis ministri,

[1]) Constructio: *ec væitat hitt, hvart eg scal leyfa húngrdeyfi dynsæðinga dauðan, eða þó hreyti dýrblics kvikvan*, cum id difficultatis habeat, quod secundum eam rationem *dynr* absol. pro pugna, *dyr* pro fluvio accipiendum est, pro *hreyti* legendum est *heita*, sec. *Fornm.* 3, 5, et hæc stropha ordinanda sec. Scr. hist. Isl. 3, 6.

animi solatio nobis foret,
si vivus rex superstes esset[1].

His versibus significat poeta, jam tum duplicem fuisse de exitu hujus prœlii relationem, cecidissetne rex, an evasisset. Accedunt alia multa in eandem rem argumenta. Et jam, si Deo placet, quod novi verissimum referam, quid testati sint ii, qui ipsi prœlio interfuerunt, se de rege Olavo extremo tempore oculis animadvertisse. Sic dicit Skulius Thorsteinis filius, cum in regiam navem conscendisset, cæsorum tam densos acervos ante pedes sibi jacuisse, ut vix pedem proferre licuerit; tum vero se regem in celsa puppi conspexisse. At cum avertisset oculos, corpora cæsorum ab dynastæ suisque pedibus amoturus, iterum respicienti regem non visum. Ita dicit Einar Arcipotens, se vidisse sangvinem ex galea, quam capite gestavit rex, sensim sensimque in genam regis destillantem. Cum autem vellet animum diligentius, quid faceret, advertere, tanto ictu conjecti lapidis caput percussus est, ut collapsus pæne animo linqueret. Paulo post exsiliens cum quid ageret rex animum adverteret, eum non videbat. Kolbjorn testatur, cum hoc die rex tela mitteret, sangvinem ex manica loricæ, qua indutus erat, manavisse; ubi vero ad cohortem dynastæ, quæ in navem exsiliebat, respexit, aliquanto timore perculsus eo accurrit, quo loco steterat rex; quem cum non videret, e navi in mare se præcipitavit. Delapsus in mare, clypeum sub se aquis innantem animadvertit, qui regis Olavi erat, omnium clypeorum pulcherrimus auroque crustatus. Intelligere sibi visus est, sub hoc clypeo ipsum natare regem Olavum; itaque clypeum illum missum

[1]) Vide *Fornm.* et Scr hist Isl. 3, 6.

fecit. Deinde hostes animadvertentes, cum cum galea, ei quam gestavit rex simili, inter naves natantem, regem Olavum esse rati, magna affecti lætitia nantem exceperunt; intelligentesque, hunc non esse regem Olavum, ei incolumitatem concesserunt. Interim cum hostes, uti supra memoravimus, regem diligenter, sed frustra, quærerent, quidam ex militibus dynastæ significarunt, aliquem rubra veste indutum ad celocem Vendicam adnatasse, quam cum conscendisset, navem extemplo aufugisse; omnes quoque Vendicæ celoces, quæ eo die ibidem steterant, confestim aufugerunt, et meridiem versus secundum terram contenderunt.

De Eiriko dynasta.

71. Post hoc nobile prœlium Eirikus dynasta, præclara victoria potitus, magnam laudem apud cunctos milites adeptus est. Anniversaria, quibus memoria cæsorum hoc prœlio hominum colitur, incidunt in diem tertium aut quartum idus Septembres. Regina Thyria, hunc casum ægerrime ferens, acerbe flebat; tantus enim dolor in corde ejus excitatus erat, ut neque edere, neque bibere posset. Quo audito Eirikus dynasta accedens his verbis eam compellavit: atrox facinus perpetravimus, inquit, qui bonum illum atque eximium regem regno ac potestate exuerimus; neque solum vestræ majestati ac dignitati detrimentum hoc dejecto factum est, sed etiam toti reipublicæ, in primis subditis ejus. Sed quoniam grave hoc damnum tibi reparare non possumus, neque hunc egregium regem ad te reducere, qui nunc avocatus a regno est, id officii tibi libenter præstabo, ut tuum dolorem consoler; neque tu ulla in re minorem honorem minusve auctoritatis habebis, neque tua dignitas nobis im-

perantibus ulla re inferior erit, quam antea, ea sola excepta, qua vivo adhuc rege Olavo fruita es. Itaque oramus, regina, ut cibum potumque sumere digneris, et ita corpori tuo consulas. Ad hæc regina: hæc ex magna humanitate et benevolentia, ut sæpe soles, loqueris; sed etsi eam præferam conditionem, ut potius vivam, quam unacum rege Olavo moriar, tamen cor meum mœstitiæ doloribus tam vehementer percussum est, et animi imbecillitate adeo intumuit, ut nullus me vitæ igniculus nutrire aut recreare amplius possit. Sic quoque factum est; nam regina Thyria breve postea tempus vixit, atque ex hac vita magno animi dolore longoque jejunio discessit. Dicitur autem aliquis eximius sacerdos ei hoc consilii dedisse, ut vitam uno pomo sustentaret, quo magis periculo et peccato vacaret; quod cum virtute abstinentiæ et obedientiæ fecisset, atque sic novem dies vixisset, eo quo dictum est modo exspiravit. Verum Eirikus dynasta, tali victoria potitus, magnum honorem et laudem adeptus est. Serpente longo potitus, ipse eum gubernandum suscepit, triplicique remigio ex suis instruxit. Sed hæc eximia navis ab eo semper tempore in alterum latus inclinata fuit, gubernaculoque non obsecuta, magna cum difficultate et lentitudine procedebat; atque tandem Eirikus dynasta, magno adhibito sumtu, labore et difficultate, hanc navem in Vikam orientalem molitus est. Qui cum navem sibi neque parere, neque ullum honorificum officium præstare velle, sed magnam exhibere molestiam ac laborem intelligeret, eam exscindi ac deinde comburi jussit. Universi Norvegi, audito, cecidisse regem Olavum, magna affecti tristitia, pœnitentiam agebant, quod tanto in periculo talem dominum ac prin-

cipem tam cupide deseruissent; quod damnum sero resartum iri intellexerunt.

De Vigio.

72. Nunc de cane Vigio narrandum. Is in domo villæ cujusdam regiæ servatus, et ab homine aliquo eximia cura custoditus quotidie ante sedem regiam cubuit. Custos canis, cum certam famam de obitu regis audivisset, domum, ubi canis jacebat, ingressus, magna cum tristitia restitit et locutus est: heus, Vigi, inquit, nunc domino caremus. Quo audito canis a regia sede exsiliit, unoque edito acuto ululatu exiit, neque prius constitit, quam in tumulum quendam pervenisset. Hic decubuit, neque ullum cibum potumve sumsit; atque ita plures transiere dies, ut cibo se abstineret; et quamvis ipse, quæ allata essent, edere nollet, tamen ceteros canes, aves et animalia, quominus allata auferrent, prohibuit. Lacrimæ vero ex oculis per rostrum decidebant, ex quo omnes intelligere poterant, eum mortem domini sui vehementer deflere, neque se usquam ex eo loco, ubi constiterat, movit, sed ibidem se continebat, usque eo donec exspiravit. Hoc modo eventu probatum est, quod colonus insulæ Mostriæ prædixerat, Norvegos quatuor res pretiosissimas jam amisisse.

De rege Olavo.

73. Jam commemorabimus rem, quæ quosdam in aliquam dubitationem adduxit, regem Olavum in ipso maris gurgite se lorica exuisse, natandoque altum perscrutatum esse, donec ad navem pervenisset, quam ex Vindlandia venisse supra est demonstratum; qua nave vehebantur Astrida et Dixiu, cujus supra facta mentio est, qui ibi eo die in ancoris steterant. Hi, prœlio facto, confestim velis sublatis discesserunt, de

qua re antea consilium inter se inierant, et in Vindlandiam contenderunt, una comitante rege Olavo, qui multa quidem, nulla vero gravia vulnera acceperat. Hunc Astrida, donec revaluisset, magna cura sanavit. Qui ut convaluerat, a multis cognitus est. Eidem multi potentes viri, qui in Vindlandia erant, operam suam polliciti sunt, si regnum recuperare vellet, dicentes se quantum satis esset copiarum tradituros. Ille vero abnuit, dicens, Dominum suum ideo sibi auxilium in prœlio præstare noluisse, quod officium suum ei displicuissset, neque sibi convenire, populo id oneris imponere, ut ingentes copias sæpius in aciem educeret. Hæc (ejus) verba Astrida retulisse dicitur. Deinde rex Olavus hominibus incognitus, sed Deo ejusque sanctis hominibus notus erat. Ferunt etiam, virum aliquem insignem a rege Olavo ad Erlingum Skjalgi filium missum esse, qui ei uxorique vera de rege Olavo narraverit, eumque vivere et in aliquo monasterio Deo fideliter servire dixerit; idem cultrum et annulum eis ostendit, ad hanc relationem confirmandam et testimonii loco; quas res Astrida, soror regis Olavi, fratri suo fuisse agnovit, ipsaque hanc rem testata est. Sunt autem multi, qui hanc relationem suspectam habeant, hasque res incredibiles putent, multique adhuc de his addubitant; verum tamen equidem certum esse existimo, eum prœlio superstitem fuisse, seque instinctu sancti Spiritus Deo devovisse, et in aliquo monasterio Græciæ aut Syriæ se continuisse, atque sic peccata in adolescentia patrata pœnitentia expiavisse. Jam unumquemque, qui hanc historiam legit, oro, ut Deum precetur, ut dignus habeatur, qui pro regno temporario, quo ab Eiriko dynasta Hakonis filio spoliatus fuit, hæreditatem regni cœlestis apud regem regum,

dominum nostrum Jesum Christum, adipiscatur. Hic explicit historia de rege Olavo Tryggvii filio, qui apostolus Norvegorum merito dici potest, quam Oddus, monachus Thingoranus, sacerdotali dignitate ornatus, in gloriam Dei omnipotentis, sed in memoriam posteritatis, etsi minori eloquentia elaboratam, conscripsit.

De rege Anglorum.

74. Rex Olavus regi Anglorum amicissimus erat, eumque magno in honore habuit. Rege Haraldo Sigurdi filio imperium Norvegorum administrante Jatvardus rex Angliæ erat, rex multis rebus excellentissimus. Hic memor amicitiæ, quæ regi Olavo Tryggvii filio cum Adalrado patre suo fuerat, laudes regis Olavi Tryggvii filii amplificare cœpit, ideoque quotannis festo paschali equitibus suis multas res a rege Olavo præclare gestas narrare consvevit. Et anno aliquo, ipso festi paschalis die, cum diligenter de pugna exposuisset, et quomodo rex Olavus ex prœlio evasisset, hoc etiam addidit, se nuper ex viris, qui Syria profecti res memorabiles attulissent, cognovisse, rem ibidem accidisse majoris momenti visam, famam de morte regis Olavi Tryggvii filii, qui ex hac vita in æternam felicitatem magna cum gloria concessit: atque certo sciatis, inquit rex, eum ceteris regibus multo esse gloriosiorem, ideoque festo maxime solenni vita regis excellentissimi, Olavi Tryggvii filii, narranda est, quod quanto illud festum ceteris præstat, tanto ille ceteris regibus antecellit; ceteros enim reges fortitudine, robore et omnium virium præstantia longe superavit; atque ut hoc festum ceteris longe nobilius est, ita nullum tempus adquiri aut inveniri dignius potest, quo laudes ejus prædicentur.

De Haraldo Gudinii filio.

75. Mortuo rege Jatvardo, Haraldus Gudinii filius universi populi voluntate ac consensu regnum adiit, quem quidam sanctum esse dicunt; is rex inauguratus et sacro chrismate unctus est. Idem adversus regem Haraldum Sigurdi filium pugnavit, eumque prostravit. Post paulo Viljalmus Bastardus, dynasta Rothomagensis, qui regnum in Normandia obtinebat, superveniens cum rege Haraldo Gudinii filio conflixit eumque prostravit, et regnum occupavit. Proxima vero post prœlium nocte oppidanus aliquis in locum pugnæ venit, cæsos spoliaturus; quo animum adverso vir quidam, qui inter cæsos jacebat, illum hujus mali et turpis facinoris increpuit. Tum oppidanus domum cucurrit, et uxori suæ hæc retulit; quæ magna celeritate usa vehiculum comparat, equum subjungit, maritum sequi se jubet in locum, ubi pugnatum fuerat. Quo cum venissent, illa interrogat, ecquis sit ex prostratis, qui sibi tunc respondere possit. Huic vir quidam: est in prostratis, qui tibi respondere potest. Ad hunc accedens ea, ope mariti, corpora cæsorum a pedibus removit. Ut hunc virum ea conspexit, illum vehiculo imposuerunt. De nomine et genere interrogatus, neutrum aperire voluit; et tamen illi intelligere sibi visi sunt, cum ex ornatu, tum ex vultu, cum haud vulgaris esse fortunæ. Hic vir erat Haraldus Gudinii filius; is lassitudine et fluxu sangvinis confectus ceciderat, multis vulneribus, sed nullis admodum gravibus, acceptis. Premebant et urgebant jacentem cumuli cæsorum tam dense ingesti, ut loco se movere non posset. Hunc deinde domum curru deportatum sanarunt. Proximo post pugnam die hostes ejus advenerunt, et corpus asportare voluerunt, quo non invento, magna sunt admiratione

capti. Et postquam sanatus erat, rerum suarum conditione considerata, exemplum secutus regis Olavi Tryggvii filii, id cepit consilii, ut omissa cura regni recuperandi, instinctu Spiritus sancti, omni studio regni cœlestis gaudia quæreret, ædemque aliquam lapideam (monasterium) sibi incolendam deligeret, ubi diu versatus est. Hujus funus rex Viljalmus Londinium deportandum, et juxta ceteros reges honorifice sepeliendum curavit.

De Jone episcopo.

76. Ferunt quoque, dominum Jonem episcopum, alio nomine Sigurdum appellatum, post casum regis Olavi Tryggvii filii in Svecia versatum esse. Hic cum multos homines certo affirmantes audiret, regem Olavum aut prœlio cecidisse, aut mari submersum periisse, hunc in modum locutus est: si regem Olavum mari submersum periisse existimatis, dicite, quæso, cur lorica, quam in prœlio gestavit, paucis abhinc annis ante fores ædis cujusdam Hierosolymis visa fuerit suspensa; multi quoque hastam ejus viderunt; et galea ejus Antiochiæ visa; quis, quæso, has res in terras adeo remotas asportavit? Illi responderunt: si certo scis, eum vivum e prœlio evasisse, hoc nobis aliqua probabili narratione, ut intelligere possimus, demonstra. Quæ cum dixissent, episcopus aliquamdiu tacuit, neque tamen ideo, quod non satis intelligentiæ haberet ad quæstionem ab eis propositam dissolvendam; tandem sic locutus est: gemmam inquit, in monasterio tunc latentem, hominumque imprudentium ac sceleratorum, qui ex præceptis domini nostri salvatoris Jesu Christi cum impurissimis animantibus comparantur, conspectum fugientem, ne ita accideret, ut violaretur et pedibus conculcaretur, nisi magna

aliqua necessitas postularet, ut omnibus palam ostenderetur. Quem vero Deo clam servire cognovit, hunc manifesto indicare aut commonstrare noluit. Hanc historiam abbas Asgrimus Vestlidii filius, sacerdos Bjarnius Bergthoris filius, Geller Thorgilsis filius, Herdisa Dadii filia, Thorgerda Thorsteinis filia, Ingunna Arnoris filia mihi narraverunt; hi me historiam regis Olavi Tryggvii filii, sicut jam relata est, docuerunt. Insuper librum Gizuri Halli filio monstravi, eumque ex ejus auctoritate emendavi, quas emendationes postea retinui.

De rege Olavo.

77. Halfrödus difficilis poeta commemoravit, regem Olavum Tryggvii filium has terras, in partibus meridianis et occcidentalibus sitas, armata manu obiisse:

Illud quoque audivi, quod fanorum
destructor multis locis altos cadaverum
acervos ira stimulatus accumulavit;
sæpe corvus venit ad effusum sangvinem[1]
Olim fecit princeps in pugna ferox
Jamtorum ac Vendorum sobolem
in prœlio cadere. Ei rei in prima
jam adolescentia adsvefactus est[2].

Audax in pugna dominus Hordorum
noxius fuit vitæ Gotlandensium;

---

[1]) Constructio: *svá frá ec hitt, at hörgbrjótr a) hlóð háva b) valköstu (af) heiptum c) í mörgum stað; hrafn d) kom opt, þars e) blóði.* Servavit hanc semistropham Fagrskinna.

a) hoGbrjótr, Fagrsk., perperam. *b) havan*, Fagrsk., minus recte. *c) hefta*, Fagrsk., unde legendum puto *heipta*, vide *e*; alii *hamna*, ɔ: recusare, ob nimiam satietatem. *d) hramn*, id., Fagrsk. *e) at*, Fagrsk., ɔ: *at heipta blóði*, ad sangvinem hostili manu effusum.

[2]) v. *Fornm.* 1, 125.

audivi fando auri largitorem
hastæ procellam in Skania fecisse[1].
Falangæ jumentorum incitator
betulas loricarum feriendo
decorticavit in Dania, ab regione
Heidabœi in meridiem versa[2].

Princeps, filius Tryggvii,
ad ultimum cadavera Saxonum
crebro concidit, prædam fœdo
ferocique lupo discerpendam.
Beatus rex amicis passim præbuit
atro gigantidum equitio
bibendum nigrum cruorem
multorum Frisiorum[3].

Rex enses eduros in Holmo
et Gardis, in oriente sitis,
(qui homines id celarent?)
sangvine rubefactos dedit[4].
Calumniatorum oppressor potens
removit involucra gladii:
militum evocator Flæmingorum
carnem distribuit corvis[5].

Rex juvenis, cedere nescius,
adversus Anglos contendebat;
hinc imbricitor telorum
stragem edidit Northumbrorum[6].
Rex incolas terræ Britannicæ
percussit, et cecidit Kymricas
gentes. Lestridum prœliarium
aviditas imminuta est[7].

Auri largitor! ludus ensium
in Mona gladio institutus est.

[1]) v. *Form.* 1, 125. [2]) v. *Fornm.* 1, 130. [3]) v. *Fornm.* 1, 133. [4]) v. *Fornm.* 1, 101. [5]) v. *Fornm.* 1, 134. [6]) *Fornm.* 1, 144, 2. [7]) ibid. 144, 3.

Luporum saturator, in pugna lætus,
multis locis Scotos profligavit[1].
Princeps sagittipotens fecit
insulanorum copias et Hibernos
occumbere. Gestor scutorum
pretiosorum gloriæ appetens fuit[2].

---

1) *Fornm.* 144, 2. 2) ibid. 144, 3.

EPITOME HISTORIARUM REGUM NORVEGICORUM.

..... ille tunc solus creatus est .... itaque appellatus est Haraldus Luva, eo quod tum non erat .... postea vero mutatum est cognomen ejus, isque appellatus Haraldus Pulchricomus, quod ceteros homines experrecto juventæ vigore et comæ insigni pulchritudine superabat. Sed alienum non est, quæstionem, quæ proponi a christianis hominibus solet, illustrare, quam notitiam festi jolensis ethnici habuerint, cum festum jolense a nobis celebratum originem debeat nativitati domini nostri. Nimirum et ethnici conventus agebant in honorem Odinis; Odin autem multis nominibus appellatur: vocatur Vidrer, vocatur et Har et Thridius ac Jolner, et ex Jolnere jolense festum est denominatum. Talem autem Halvdan vitæ exitum habuit: cum convivio in Hadalando interfuisset, inde rheda vectus, in Rykinvika in (lacu) Randa, quo loco aquarium boarium erat, submersus interiit, indeque Steinem in Ringarikia deportatus, ibique tumulatus est.

2. Haraldus, mortuo Halvdane, imperium a patre relictum adiit, cumque mature esset strenuitate et staturæ magnitudine spectabilis, sic fines imperii propagavit, ut bellum adversus proximos regulos gereret; quibus omnibus devictis primus regum Norvegiam solus suæ ditionis fecit, annum

agens vicesimum. Ultimum prœlium commisit cum rege, Skeidarbrando dicto, in Hafursvogo ante Jadarem; Brandus in Daniam aufugit, et prœlio in Vindlandia cecidit. Quod carmen, *Oddmjor* dictum, seriem regum describens, his verbis commemorat:

Skjoldi progenies regno expulit
Skeidarbrandum, clypeo munitum.
Idem deinceps animosus rex
toti imperavit Norvegiæ[1].

Antequam monarcha Norvegiæ fieret, per decennium ad subigendam terram armis certavit, populi mores correxit et pacem regno restituit. Viginti filios ex multis uxoribus procreavit, ex quibus duo tantum regium nomen adepti sunt, Eirikus Blodaxa et Hakon Bonus; quorum ille filiorum ejus natu maximus erat, Hakon, ab Adalsteine Angliæ rege adoptatus, natu minimus; tertius Olavus Digurbein (crassipes); quartus Bjorn mercator, quibusdam Buna (longipes); quintus Godormus; sextus Halvdan niger; septimus Dagus; octavus Ringus; nonus Godraudus Skiria; decimus Rognvaldus; undecimus Sigtryggus; duodecimus Frodius; decimus tertius Rorekus; decimus quartus Tryggvius; decimus quintus Gunrodus; decimus sextus Eystein; decimus septimus Sigurdus Risius; duodevicesimus Gudrodus Splendor; undevicesimus Halfdan Albipes, quibusdam Altipes cognominatus; vicesimus Rognvaldus Raykil, a quibusdam Ragnar appellatus, prognatus ex muliere Finnica, dicta Snjofrida Svasii Finnorum regis filia: qui, matris inge-

[1]) Quoniam de isto carmine, *Oddmjór* dicto, nihil constat, conjectaret aliquis, hos versus conflatos esse ex versibus, *Fms.* 6, 24: *skjöldungr stökk með skæðan þokka, skeiðarbrands fyrir þér or landi* et 6, 51, *náði siklingr síðan*, etc.

nium referens, dictus est incantator, id est fatidicus, et domicilium in Hadalando habuit, ubi incantationes exercebat, et vaticinator appellatus est.

3. Vespere festi jolensis, cum Haraldus cœnaret, Suasius ad fores accedens, regi nuntium misit, ut ad se egrederetur; ad quem nuntium cum rex ira vehementius commotus esset, idemque, qui nuntium intro pertulerat, indignationem regis renuntiasset, ille non eo minus internuntio, data pelle fibrina, persuasit, dicens, se eundem esse Finnum, cui tuguriolum Thoptyniæ (Thoptis), ubi se rex tunc continebat, ex altera clivi parte ponere permisisset. Rex egressus, hortatu quorumdam ex suis, quamvis aliis dissuadentibus, exorari se passus est, atque in tuguriolum ejus transiit. Hic cum Snjofrida, filia Suasii, forma venustissima, adsurgens regi poculum mulso plenum infudisset, ille manu ejus ac poculo simul apprehensis, quasi igneo calore per totum corpus se diffundente adeo afflatus est, ut statim eadem nocte cum ea consuescere vellet. Suasius sua voluntate hoc fore negavit, nisi eam rex desponsam legitime duceret uxorem; itaque eam despondit ac duxit, tantaque insania diligebat, ut intermissa cura reipublicæ omniumque rerum, quæ regiam majestatem decerent, dies fere noctesque quoad utrique vixerunt, mulieri adsideret, quin etiam per triennium, postquam erat mortua, mortuam lugeret, universo populo ejus vesaniam deplorante.

4. Ad hunc extinguendum errorem medendi causa accessit Thorleivus sapiens, qui eundem prudenti ratione correxit, mortuam sequenti oratione laudando: haud mirum videri debet, rex, si uxorem, venustate et claritate ge-

neris adeo conspicuam, memoria colas, eamque plumis mollissimis ac bombycinis impositam ipsius rogatu venereris; tuæ vero ipsiusque dignitati minus, quam decet, convenit, iisdem tegimentis vestitam nimis diu jacere, cum loco moveri corpus multo sit convenientius. Quod simul ut loco motum est, extemplo malum odorem et fœtorem omnisque generis graveolentiam exhalare cœpit; quare properato rogo combusta est, cum totum corpus antea lividum factum esset, vermesque ac viperæ, ranæ et bufones, omneque genus nocivorum serpentium inde se effudissent. Sic illa quidem in cineres dilapsa est, rex vero ad sanitatem rediit et desipientiam animo expulit, quo facto imperium rexit et firmavit, ipse ex subditis, subditi ex illo, regnum ex utrisque voluptatem percipiebat. Idem, cum intra decem annos tota Norvegia potitus fuisset, imperium Norvegiæ sexaginta annos singulari potestate tenuit. Mortuus est in Rogalando, et Haugis supra (fretum) Hasleyarsundum sepultus.

5. Mortuo Haraldo Eirikus Blodaxa regnum accepit; hujus autem frater Hakon in Anglia apud regem Adalstenem, cui vivo patre missus fuerat educandus, versabatur. Fuit Eirikus Blodaxa facie pulchra, magna statura, specieque in primis augusta; is in matrimonio habuit Gunnildam, filiam Ozuris Lavskæggi (promissæ barbæ). Ex his nati: Gamlius, Godormus, Haraldus Grafeldus, Erlingus, Sigurdus Sleva; præter hos nominantur: Godrodus Ljomius, Ragnfrodus, Halvdan, Eyvindus et Gormus. Norvegiæ quinque omnino hiemes præfuit, duas, vivo Haraldo, postquam rex salutatus est, et postea tres. Uxor ejus Gunnilda fuit omnium feminarum venustissima, specie parva, consiliis magna; ea malis

consiliis adeo indulgebat, ille ad crudelitatem et ad omne genus acerbitatis in populum tam pronus erat, ut horum imperium ferri non posset. Ille necis Olavi Crassipedis, Bjornis, pluriumque ex fratribus suis, auctor extitit. Ideo Blodaxa (sangvinea securis) appellatus est, quod violentus erat et crudelis, maxime quidem uxoris consiliis instigatus. Itaque biennio post mortem Haraldi pulchricomi Hakon, a viris prudentibus clam in regnum revocatus, duas naves ab occidente ducens advenit, unamque hiemem ita transegit, ut regium nomen non gereret. Hakon ceteros æquales pulchritudine superavit, statura corporis et peritia artium insignis fuit, tantaque virium magnitudine, ut nulli Norvegi ei pares invenirentur; ceteros capite supereminebat, coma bombycis instar flava fuit; omni genere exercitiorum equestrium et artium liberalium peritia æquales præstabat. Viginti fere annorum erat, cum in Norvegiam advenit; brevi autem incolis in partes ejus transeuntibus tantopere crevit, ut Eirikus resistendo impar esset, et cum uxore regno profugus primum in Daniam concederet. Quo facto Hakon solus imperavit rex Norvegiæ, quæ eo imperante adeo floruit, ut nunquam magis floruerit, præter quam quod nondum introducta religio christiana esset. Verum etsi ipse christianus erat, tamen, cum ethnicam uxorem duxisset, ejus causa, populoque, qui christianæ religioni obstitit, obsecutus, a nova religione multum deflectebat; diem tamen solis sanctum habuit et jejunium sextæ hebdomadis diei coluit Hakon duas ducens naves in Daniam trajecit, commissoque ibi prœlio decem naves, duas tantum habens, propugnatoribus nudatas devicit. Qua expeditione Selandia, Skania et Gothia occidentali sub potestatem redactis, in Norvegiam

revectus est. Eodem imperante complures incolarum, gratia qua valebat impulsi, ad christianam religionem conversi sunt: alii, etsi christianam religionem non amplectebantur, tamen cultui sacrificali nuntium remiserunt. Ille quidem aliquot templa in Norvegia instituit, virosque clerici ordinis his præfecit; sed incolæ templa incenderunt, sacerdotes interfecerunt, ut propositum suum ob eorum maleficia tenere non posset. Atque postea Thrandi eum Mœriæ versantem aggressi, deos colere more ceterorum Norvegiæ regum jusserunt: alioquin te regno expellemus (inquientes), nisi aliquid ex nostra voluntate facias. Qui impetum vulgi auctoritate procerum in se concitatum intelligens, ita tempori serviendum putavit, ut specie amicitiæ nonnihil eis obsequi non recusaret. Dicitur jecur equinum, panno obvolutum, manducasse, neque nudum dentibus tetigisse, alioque modo deos non coluisse. Ferunt autem, ab eo inde tempore fortunam omnibus in rebus magis sibi adversam expertum. Auctore Thorleivo sapiente, olim qui fuerat, conventus Gulensis leges posuit. Cum vero Norvegiam per quindecim annos tenuerat, gratia civium paceque beatus, filii Eiriki Blodaxæ in Norvegiam incursionem fecere, Gamlius Gunnildæ filius, qui ex ceteris fratribus illustrissimus et omnibus rebus fortissimus erat, Godormus et Haraldus Grafeldus, ceterique omnes fratres. Hi prœlium cum Hakone ad Ogvaldsnesum in Karmta fecerunt; quo prœlio Godormus, Halvdan, Evindus cecidere, reliqui fuga elapsi sunt. Post paulo iterum cum Hakone in Fræda conflixerunt. Etiam hoc prœlio Hakon victor discessit, fratres autem omnes regno aufugerunt, præter Gamlium, qui in continentem

transfugit et superiori itinere per Surnadalum in Thrandheimum descendit; sed Hakoniani adjuvante populo adversus eum moverunt, eumque in Gaulardalo, quo loco ex ejus nomine Gamlaleir dicitur, prostraverunt.

6. Secundum hæc novem annis elapsis, ex quo fratres Norvegiam bello invaserant, qui ex his superstites erant, in his Haraldus, ex ceteris post necem Gamlii illustrissimus, unacum matre Gunnilda iterum in regnum irruperunt, et prœlium cum Hakone commiserunt Fitis in Storda apud Bisknpsteinem. Hoc loco quaterni hostium singulos Hakonianorum circumsteterunt. In hoc exercitu cum eis versabatur vir quidam, nomine Evindus Skreya, insignis athleta, ceteros staturæ magnitudine antecellens, ferro tantum non inviolabilis. Is hoc die ita in pugna procedebat, nihil ut ei posset resistere, nemo enim repugnando par erat. Idem sic procedebat exclamans et ululans, obviosque prostravit, telum utrinque vibrans, et quæsivit, ubi esset Norvegorum rex: cur nunc delitescit? Ita fortiter procede, si eum conventum vis, inquit rex. Ille vero eo magis furere, latam quam manu tenebat securim utrinque vibrare, ut vel terram ferro adtingeret. Hic Thoralvus robustus, vir Islandus, qui tunc apud regem versabatur, undeviginti annorum, ipsum regem robore æquiparare creditus: vin', domine, inquit, eum oppugnatum eam? Nolo, inquit rex, ille me convenire vult, idcircoque me convenito. Abjecto capite cucullo, quo auratam, quam capite gestavit, galeam Skaldaspiller superinduxerat ad dissimulationem, quo minus ab aliis dignosceretur (erat enim proceritate et vultu præ ceteris conspicuus): adversus athletam ab signis procedebat, bombycino indusio indutus, galeam capite gestans, clypeum prætendens sibi, gladium Kvern-

bitum dictum manu tenens, omnium judicio summam alacritatis speciem præferens. Tum athleta magno gradu obviam progressus, ut erat galeatus loricatusque, securi ambabus manibus librata regem adpetiit, cumque hic aliquantum recessisset, ictu aberrante telum in terram incutiens aliquantum proclinavit; cujus medium corpus, qua lorica tectum erat, rex vibrato gladio dissecuit, ut utraque pars in diversa decideret. Postea vero quam ceciderat athleta, inclinante jam adversus fratres prœlii fortuna, Gormus et Erlingus magnaque hominum multitudo eodem prœlio ceciderunt, ceteri vero omnes fratres ad naves refugerunt, et quicunque potuerunt evadere, e regno concesserunt. Fugientes rex cum suis insecutus est. Hic sagitta, incertum quo missa, regi advolans subter manicam loricæ in musculum lacerti penetravit. Dicitur autem aliquis e lixis, arte magica Gunnildæ fascinatus, cum telo recessisse, atque in hæc erumpens, "Date spatium regis interfectori", telum in obcurrentem cohortem misisse, regemque, ut ante dictum est, vulnerasse. Quod vulnus mortiferum esse sentiens rex, quod sisti sangvis non posset, se Alrekstados deportari jussit; quo proficiscentes venerunt ad petram, quæ nunc Hakoniana appellatur: hic editus in lucem fuerat ab ancilla, dicta Thora Morstanga, sic cognominata, quod ex Morstia oriunda, ibidemque nata erat. Rex vero, ultimam necessitatem adesse animadvertens, quæ in Deum deliquisset, gravem pœnitentiam egit. Pollicentibus amicis, se funus ejus in Angliam deportaturos et in templo sepulturos: ego vero, inquit, tali honore indignus sum; multis rebus more ethnicorum vixi, itaque merui, ut more ethnicorum sepeliar, qua ex re spero fore, ut ipsum Deum mihi magis quam ex merito propitium

experiar. Mortuus est in petra Hakoniana, sepultus Sæheimi in Hordia boreali, amicis pariter ac inimicis desideratus. Tumulo nihil præter gladium ejus Kvernbitum et armaturam inlatum; funus loculo lapideo in tumulo conditum.

7. Eirikus Blodaxa (ut hujus fata persequamur), regno profugus, classe occidentem versus in Angliam trajecta, cum expeditionibus maritimis ac piraticæ operam dedisset, fidem, quam ei pollicitus erat rex Adalstein, Angliæ rex, imploravit, et ab eo dynastiam in Northumbria impetravit. Hic cum hortatu uxoris Gunnildæ tam crudelis ac sævus extitisset, ut vix ferendus videretur, rei piraticæ operam dare, multaque loca terrarum occidentalium populando obire cœpit, tandemque, cum prædabundus excubaret in Hispania, cecidit. Quo facto Gunnilda, in Daniam ad regem Haraldum, tunc temporis Daniæ imperantem, reversa, ibidem cum filiis suis manebat, donec ad maturam ferme ætatem pervenissent.

8. Ubi autem Hakon decesserat, Norvegi, auctoritate regis Hakonis impulsi, Haraldum Grafeldum regem Norvegiæ crearunt; itaque Haraldus Grafeldus, in regnum restitutus, cum fratribus, Sigurdo Sleva, Gudrodo Liomio et Ragnfrodo, imperio potitur. Qui ceteros fratres præstantia, pulchritudine, artium liberalium peritia facile superabat. Ideo hi versus compositi sunt:

Semper mihi obtutus in Grafeldo,
trans ignem versante, fixus est,

quod formæ venustate erat conspicuus. Haraldus quindecim annos rex erat, consiliis matris suæ paruit, ipseque, ut et ceteri fratres omnes, cives duro imperio coercebat; quibus imperantibus fames, omnium rerum inopia, omne genus injuriarum Norvegiam adfligebat. Qui cum omnes essent ad effrenatam licentiam et homines mul-

candos projecti, omnes fere occisi sunt, eo quod cives tyrannidem eorum et injustam dominationem non ferendam existimabant. Dicuntur Vorsienses regem Haraldum ac fratres in conventu aliquo adgressi e medio tollere voluisse; qui cum periculum effugissent, Sigurdum Slevam Alrekstadis, duce Vemundo Volobrioto, interfecerunt. Interfecit Sigurdum vir, nomine Thorkel Klypus, cujus uxorem vi rapuerat: is Sigurdum gladio transfixit, extemploque aulico ejus, cui nomen erat Erlingo Grandævo, pœnas dedit.

9. Haraldus Grafeldus ....[1]. Eo tempore Haraldus Danorum rex Haraldum Grafeldum ad se dolo malo invitavit. Qui cum tribus navibus sinum Limicum intrasset, hic ei se opposuit Haraldus Aurosus, Knuti filius, Haraldi Cærulidentis ex fratre nepos, cum classe novem navium, inductus consiliis patrui, nec non Hakonis dynastæ, qui id temporis dynastæ dignitate prædium a patre relictum in Norvegia tenebat, ex quo Haraldus cum fratribus patrem ejus Hokloæ in Thrandheimo insidiis circumventum oppresserat. Rex Haraldus Grafeldus, se dolo circumventum superatumque multitudine adversariorum animadvertens, Haraldum Aurosum adlocutus: vehementer gaudeo, inquit, qui adrisisse tibi videam victoriam brevi duraturam; adest enim Hakon dynasta, consangvineus meus, cum copiis, qui te, me prostrato, confestim interficiet meamque necem ulciscetur. Cecidit eo loco rex Haraldus Grafeldus, ad Halsum in sinu Limico cum omnibus copiis suis; Hakon vero dynasta Haraldum Aurosum extemplo interfecit, Norvegiamque, regi Danorum tributariam, sub suam potestatem redegit.

10. Post mortem Haraldi Hakon dynasta

[1]) *Lacuna, quatuor occupans lineas omnem lectionem refugientes.*

rerum potitus, totam ferme Norvegiam, atque dynastæ titulo, quo majores sui fuerant usi, solus tenuit. Ab Halogensibus et Mœriensibus oriundus, cum genus tam paternum quam maternum ad familias dynastarum referret, se regio nomine ornare noluit. Patrem habuit Sigurdum, dynastam Hurnensem, matrem Bergliotam, filiam Thoreris Taciti, dynastæ Mœriensis. In matrimonio habuit Olavam, Haraldi Pulchricomi filiam, matrem Bergliotæ. Nuper imperio potitus primo adversariam habuit Gunnildam, regum genetricem, quorum alteri alteros malis dolis circumvenire studuerunt; neutri enim horum copia defuit. Ceterum Hakon dynasta æquales pulchritudine superabat; statura fuit non magna, sed membris compactis specieque augusta; cum excellenti prudentia esset, Gunnildam solertia consiliorum superabat. Idem amicitiam regis Haraldi, id temporis Daniæ imperantis, colebat, quem precibus induxit, ut Gunnildam astutiis circumventam ex regno eliceret, eo pacto, ut literas suas et legatos, qui nuptias ejus ambirent, ad eam mitteret. Itaque ei literas misit, dicens optime convenire grandævam regi grandævo nubere. Quibus adhortationibus cum faciles aures præberet, profectio ejus magna cum pompa apparata est, verum ad ignominiam: nam cum in Daniam pervenisset, comprehensa et in palude aliqua submersa fuit. Talem vitæ exitum, ut multi testantur, habuit.

11. Hakon dynasta, ex quo tempore Haraldus Grafeldus ad Halsum in sinu Limico ceciderat, viginti annos imperium tenuit, quod ad extremum magna tyrannide, gravi multiplicique civium odio, exercebat; in primis id quod ei exitium paravit, quod omnes mulieres, quarum cupiditate raperetur, æquo sibi jure vindicabat,

nullo conditionis discrimine, nullo necessitudinis facto, cujus quæque uxor, soror, filiave esset. Aliquo tempore concubitum appetivit uxoris, nomine Gudrunæ Lundasolæ, quæ Lundis in Gaulardalo incolebat. Ad hanc rapiendam servos suos Medalhusis misit, qui eam ad se ad ignominiam adducerent. Interea vero, dum servi cibum capiebant, tantam ea collegerat hominum multitudinem, ut ipsius abducendæ nulla facultas esset, quin etiam nuntium mitteret Hakoni dynastæ, se in congressum ejus non venturum, nisi feminam, qua familiariter utebatur, Thoram Remolensem, ad se misisset. Quo ille cognito nuntio in Gaulardalum cum omnibus copiis suis contendit. Haldor autem Skerdingstediensis, secta sagitta in omnes vallis partes dimissa, globos per omnia itinera adfluentes contraxit. Quibus copiis visis dynasta, se proditum animum advertens, omnes copias suas dimisit; ipse cum servo Karko aquaria quædam prætervehens, demerso equo suo, amiculum et gladium in glacie reliquit, indeque se in antrum, hodiedum antrum dynastæ in Gaulardalo appellatum, contulit. Hic cum servus obdormivisset, et insomniis agitatus esset, somnoque experrectus dixisset, hominem nigrum trucique vultu antrum præteriisse, sibique metuenti, ne ingrederetur, Ullium interfectum significavisse: dynasta respondit, opinari se, filium suum tunc e medio sublatum esse; quod et evenit. Servus iterum somno oppressus, eisdemque agitatus insomniis, dein retulit, eundem hominem iterum descendisse, ac nuntiari dynastæ jussisse, omnia tunc freta esse occlusa. Qua re dynasta extremum vitæ diem adpropinquare interpretatus est; Remolemque se contulit ad mulierem, nomine Thoram, concubinam suam, quæ eum ac servum in hara sua occultavit. Mox adfluens

multitudo omnia loca scrutabatur; quæ, eum non inveniretur, totam villam, quantum patebat, flammis absumere paravit. Quo audito dynasta, cum cruciatus hostium exspectare nollet, servo jugulum præbuit præcidendum. Sic impurus homo in impura domo vitæ potentiæque finem imposuit. Caput in emporium deportatum. Multitudine præter Steinbjarga descendente, totus sinus navibus refertus erat, quod cunctus populus ad eum vita spoliandum vehementissime ruebat. Tum caput in Holmum translatum, et a singulis singulorum lapidum conjectu petitum. Servus autem Karkus caput in lucem protulerat, vitæ gratiam inde exspectans; verum tamen ille suspendio necatus est. Hakon verno tempore obiit. Eo ipso puncto temporis Olavus Tryggvii filius ex Anglia in Norvegiam venit; Eirikus vero Hakonis filius cum fratre Sveine, relicta patria, ad Olavum Svecum in Svioniam se contulit.

12. Verum Hakon dynasta non ideo solus Norvegiæ imperavit, quod his, qui proxime ante eum reges fuerant, succedere deberet, sed quod opibus ac potentia valeret, virque sapiens esset, etsi ingenio suo ad malefacta abuteretur; deinde quod tota familia Gunildidarum dilapsa ac pæne exstincta erat, et si qua pars ejus reliqua erat, omnium odio premebatur, meliora tum exspectantium; quos spes sua fefellit. Fuit tamen rex, ad quem per majorum stemmata genus referret, nomine Herser, rex Naumodalensis, ex cujus uxore Vigda fluvius Naumodalensis Vigda est denominatus. Quam eum amisisset Herser, mortem sibi consciscere decrevit, si exemplum exstaret, quempiam regem sic antea fecisse. Repertum quidem exemplum est, dynastam id fecisse, non regem. Quam ob rem conscenso tu-

mulo quodam, inde se ipse devolvebat, quo facto se ab regio nomine devolutum testatus adsumto nomine dynastæ, suspendio vitam finivit. Unde factum, ut posteri ejus regio nomine uti nunquam vellent. Cujus rei veritas probari potest ex genealogia Halogiana, quam Evindus, Skaldaspiller dictus, metris inclusit.

13. Hakoni dynastæ in imperio successit Olavus Tryggvii filius, qui cum genus ab Haraldo Pulchricomo ducens jus regni haberet, regis Norvegiæ nomine se condecoravit; nam filio Haraldi nomen erat Olavo, patri Tryggvii, qui imperantibus Gunnildæ filiis nomen potestatemque regiam in Raumarikia[1] adsumsit, ibidemque in Sotaneso (Sotii promontorio) de medio sublatus, eoque loco tumulatus est, quo loco moles saxea Tryggvii vulgo appellatur. De cujus morte diversæ sunt relationes; alii colonis imputant, quod imperium ejus nimis durum existimantes eum in comitiis interfecerint: alii perhibent, conantem redire in gratiam cum patrui filiis, ab his dolo malisque consiliis Gunnildæ regum-genetricis necatum fuisse; ad quod credendum plurimi proniores sunt.

14. Post hujus decessum fugiens Estritha, quam in Oplandis duxerat Tryggvius, suum Tryggviique filium trimum, Olavum, in Orcades abduxit, ut Gunnildæ ac filiorum, nec non Hakonis dynastæ, qui omnes eo tempore inter se de Norvegia certabant, insidias vitaret; tunc enim filii Gunnildæ nondum exstincti erant. Quæ in Orcades unacum triplici nautico præsidio delata, cum adventus ejus occultari non posset, multaque imminerent insidiarum pericula, puerum abducendum tradidit viro, quem nonnulli Thor-

---

[1]) *rectius* Raurikia.

olvum Lusarskeggum vocant; qui puerum clam in Norvegiam deduxit, magnoque cum periculo in Sveciam avexit. Hinc cum Holmgardum proficisci vellet (ibidem enim nonnulli ex propinquis ejus versabantur), Estones navem, qua vehebatur, adorti sunt: pars interemta, pars capta, nutritor ejus interfectus, ipse captus ad insulam, dictam Osiliam, et in servitutem venundatus.

15. Deus autem, qui hunc puerum ad res magnas elegerat, sequenti ratione ad eum liberandum se repræsentavit. Vir quidam, puero cognatus, legatus regis Holmgardensis, qui ad exigendum tributum missus erat, in Estoniam venit, cognatum suum redemit et Holmgardum deportavit. Hic aliquantum temporis commoratus est, ita ut pauci scirent, quo genere ortus esset. Ubi vero decem annos compleverat, accidit, ut die quodam in foro constitutus, securim, qua usus Thorolvus fuerat, in manu alicujus cognosceret; quem cum percontatus esset, quo pacto eam nactus fuisset, responsis alterius certior factus, hanc securim nutritoris sui fuisse, adesseque ejusdem percussorem, erepta e manu ejus securi, hunc, qui eam illuc secum portarat, interfecit, atque ita necem nutritoris sui ultus est. Cum vero eo loco securitas civium sacrosancta esset, gravique pœna cautum, ne quod homicidium fieret, id consilii cepit, ut in reginæ tutelam confugeret, qua intercedente, quod facinus ab adolescente duodecim annos nato patratum vegetæ strenuitatis, ultioque haud iniqua esse judicaretur, impunitatem a rege consecutus est; unde brevi factum, ut omnibus notior, honoratior et acceptior indies redderetur. Et procedente tempore, cum milites et naves ejus curæ commissæ essent, in varias regiones profectus populationem fecit, ejus comitatui se paulatim adjungentibus Nord-

mannis, Gothis et Danis, magnas res gessit sibique eo gloriam insignemque famam conciliavit.

16. Multis locis populationes fecit, in Vendia, Flæmingia, Anglia, Scotia, Hibernia, multisque aliis terris, adsidueque in arce Jomensi, quæ in Vendia est, hiemavit. Verum quantumcunque temporis his studiis vacavit, factum tandem est, ut ad locum aliquem Angliæ adpelleret, quo loco se continebat insignis aliquis vir, Deo carissimus, idemque vitam agens solitariam, eximia rerum peritia multiplicique scientia clarus. Quam tentare volens Olavus aliquem ex famulis regio indutum ornatu misit, qui sub regio nomine salutaria ab eo consilia peteret; qui hæc responsa retulit: tu rex non es, at consulo tibi, ut regi tuo fidelis sis. Quo audito responso, Olavus, cui non amplius dubium esset, quin verus esset propheta (vates), eo majori conveniendi ejus cupiditate incensus est. Probus ille vir, inter colloquendum et adhortandum sancta inspiratione et cœlesti providentia impulsus, regem his verbis allocutus est: eximius rex eris, inquit, egregiasque res geres, multas nationes ad fidem et baptismum revocabis, qua re et te ipsum et multos alios juvabis. De quibus responsis meis ne dubites, hæc tibi signo sunto: ad naves tuas reversus in insidias et hostium globos incides, res ad manus veniet, aliquot amittes ex tuis, ipse vulnus accipies, quo morti vicinus ad navem clypeo refereris, ex quo vulnere intra septem noctes convalesces, et paulo post baptismo lustraberis. Quæ omnia effata eventus comprobavit, atque ille hoc pacto fidem amplexus est, deinque Norvegiam accessit, adducens secum Sigurdum episcopum, qui inauguratus est, ut civibus nomen Dei annuntiaret, et aliquot præterea sacri ordinis, sacerdotem Thangbrandum et Thor-

modum, item diaconum aliquem. De christiana religione introducenda prima comitia habuit Mostriæ in Hordia, quod negotium facile procuravit, et adjutus divino auxilio, et quod cives tyrannidis Hakonis Mali pertæsi erant; unde factum, ut cives religionem amplecterentur, Olavus imperium susciperet. Septem et viginti annos compleverat, cum in Norvegiam venit; et quinque quibus regium nomen in Norvegia gerebat annis, quinque terras christianas reddidit, Norvegiam, Islandiam, Hjaltlandiam, Orcades, quintamque Færoas: templa primo in suis ipsius prædiis principalibus exstruxit, sacrificia et compotationes sacrificales abrogavit, substitutis in gratiam populi symposiis, quæ festis solemnibus, Jolensi et Paschali, festo Johannis (baptistæ) et Michaelis, autumni tempore, celebrarentur. Olavus erat corpore magno et procero, forma spectabilis, candido pilorum colore, rectis capillis, agilitate corporis et omnium artium peritia æquales longe antecelluit.

17. Post hæc brevi tempore uxorem duxit Olavus Thyriam, Sveinis Furcobarbæ Danorum regis sororem, quam dux aliquis Vendicus invitam desponderat; quæ sponsalia idcirco irrita fuere. Qui postquam juncti connubio erant, rex Svein dotem sororis pactam et condictam retinuit, quam contumeliam rex Olavus ignominia non carere judicabat. Quam ut ulcisceretur, in Daniam trajecturus copias coegit, easque in confiniis regnorum præstolatus est; cum vero adventus horum militum tardaretur, ipse non nisi undecim cum navibus in Vendiam trajecit, classem se secuturam opinatus. Qua spe dejectus, quod copiæ profecto rege statim reversæ erant, comitatum et auxilia in Vendia sibi comparare statuit apud veros amicos suos, quorum sinceri-

tatem et fidelem operam in piratica expertus fuerat. Sed ea res minus ex sententia cessit; nam rex Svein auxilium petierat ab Olavo, Svionum rege, et Eiriko Hakonis Mali filio, qui eum cum navibus duabus et octoginta ante Sjolandum aggressi sunt. Svein triginta, Olavus totidem, Eirikus viginti duas naves habuit. Primo Svein eum adortus cum triginta navibus, compluribus suorum amissis, cum ignominia recessit. Dein Olavus Svecus cum totidem atque Svein navibus aggressus, parem retulit ignominiam. Postremo aggressus Eirikus victoriam reportavit. De casu regis Olavi nihil compertum est; sed, remittente fervore prœlii, visus est etiam tum vivus in celsa puppi stare Serpentis longi, quæ navis duorum et triginta interscalmiorum erat. Cum vero Eirikus, eum quæsiturus, puppim conscendere vellet, lux oculis ejus fulminis instar offulsit, qua recedente ipse rex e conspectu ablatus erat. Sunt qui conjiciant, eum in scapha evasisse, posteaque visum in monasterio quodam in terra Hierosolymitana perhibeant; alii vero putant eum e navi in mare decidisse. Sed quicunque tandem casus vitam ejus finivit, vero simile est, animam ejus apud Deum versari.

18. Quoniam autem Svein, dejecto Olavo, se Norvegiam redegisse in potestatem existimabat, Eiriko et Sveine, Hakonis filiis, Norvegiam concessit; ex quibus Eirikus, mortuo Sveine Danorum rege, solus imperavit. Qui cum Norvegiæ duodecim omnino hiemes dynastæ titulo imperasset, Hakoni, filio suo, regnum tradidit; ipse vero occidentem versus in Angliam trajecit, castra secutus Knuti, affinis sui, Angliæ bellum inferentis, ibique, secta uva, sangvinis profluvio exspiravit.

19. Sed quemadmodum Olavus Tryggvii filius, qui nulli rei parceret, qua Dei gloria reique christianæ auctoritas promoveretur, insigne studium et operam in propaganda religione collocàrat; ita hi, pater et filius, omnem lapidem moverunt, ut christianam religionem subverterent; quod et effecissent, nisi Deus eo ipso tempore benignitatem suam repræsentasset adventu Olavi Grænlandici, qui cum id temporis, ut mox demonstrabitur, terrenis victoriis animum adjecisset, totam dein mentem ad christianam religionem adpulit, et constantia fidei æternam felicitatem et sanctitatem consecutus est. Verum, ut homines cognoscant, quod natalium ratione jus imperii habuerit, sequentibus animum advertant.

20. Haraldus, pater Olavi Sancti, fuit filius Gudrodi; Gudrodus erat filius Björnis, Björn erat filius Haraldi Pulchricomi, primi monarchæ Norvegiæ. De peregrinationibus et expeditionibus Olavi multa sermone celebrantur. Verum, quousque tandem est peregrinatus, ut primum ei Deus aditum ad imperium patefacere voluit, reversus est, atque ab occidente ex Anglia duabus cum navibus mercatoriis navigans Sælam attigit, indeque fretum Saudungense ingressus est. Deo autem procurante adventus conspectus est Hakonis, qui tunc temporis, mortuo patre Eirico, regno imperavit, juvenis quindecim annorum, pulchritudine excellens. Hic in fretum Saudungense, publicum id temporis transitum, Olavum Crassum ibidem adesse nescius, cursum direxit, unam tantum navem longam unamque celocem ducens. Quem adventantem rex animadvertens, ex utroque latere freti naves suas constituit, quæ cum, adversum remigantibus Hakonianis, inter se attractæ essent, vivus captus, ipse cum suis omnibus vitæ gratiam ab rege im-

petravit, regi Olavo Norvegia in perpetuum jurejurando addicta. Tunc Eirikus et Hakon filius, hujusque gnatus Svein, regno per quatuordecim hiemes cum dynastarum titulis præfuerunt. Hakoni Olavus Sanctus Orcades concessit, ut nonnulli dicunt, eumque sic adjuvit, ut eas retinere posset, ibique, quoad viveret, rex esset.

21. Hoc facto Olavus Sanctus regnum Norvegiæ accepit, imperiumque promovenda religione christiana bonisque moribus confirmavit. Magna tamen imperii difficultate usus est, cum multi tam ex indigenis quam extraneis negotium ei facerent, in primis ob christianam religionem, quam imperabat. Maximam partem primæ hiemis in Oplandis apud Sigurdum, vitricum suum, versabatur; insequenti autem vere Svein dynasta cum armata manu regnum ejus ingressus est, quocum prœlium ante Nesias prope Grenmarem dominica palmarum commisit Olavus, et victoria potitus est. Eo prœlio magna pars militum Sveinis cecidit, ipse fuga se subduxit. Einar Arcipotens, jacta in navem Sveinis ancora, invitum in Daniam navigare coegit. Inde Svein orientem versus Gardos profectus, nunquam rediit.

22. Dein Olavus nuptiis ambiit filiam Olavi Sveci Astridam, sororem Ingiridæ, quæ olim ei pacta fuerat, quam pater ruptis ob iram pactis sponsalibus, Jarizlavo, regi Orientali, collocavit. Ex illa Olavus Crassus liberos procreavit, quorum neque nomina neque fata novimus, præter Gunnildæ filiæ, quam duxit Otto, Saxoniæ dux. Olavus erat pulchritudine faciei et alacritate conspicuus, coma badia, barba rubra, statura compacta, mediocri, neque alta. Annum vicesimum agebat, cum in Norvegiam venit, et, judicio sapientium virorum Norvegicorum, omnes æquales prudentia et strenuitate superabat.

23. Hoc vero tempore Knutus Angliæ imperavit, quam auxilio et subsidio Olavi Sancti in potestatem redegerat; is vero Olavo Sancto hoc præmii retulit, quod principes Norvegiæ, uti postea compertum est, pecunia corrupit, ut eum regno proditione spoliarent. Quo in numero erat Erlingus Soliensis, Kalvus Eggensis, Thorer Canis, et complures alii. Ubi autem Olavus Sanctus orientem versus adversus regem Knutum tendebat, obvium habuit Erlingum, quem ad opem ferendam sibi occurrisse opinabatur. Ille vero regem armis invasit prœliumque commisit, in quo Olavus Sanctus victoria potitus est. Nam Erlingus in tantas angustias redactus est, ut nihil ad salutem reliqui esset, quam ut ad clementiam regis confugeret, qui eum armis a ceteris impetitum, protexit. Proreta vero regis, cui nomen Aslako Fitjaskallio, ad puppim navis degressus, securicula, quam in sinu clam habuit, nemine animum advertente, capiti ejus letale vulnus inflixit, sic notandum esse proditorem, inquiens. Cui rex: hac cæsa Norvegiam de manu mea excussisti. Hic ex captivis certior factus est, omnes incolas summæ auctoritatis in se conspirasse. Quam ob rem iter boream versus in sinum, interiora versus a Borgunda situm, Slaygsensem dictum, convertit, ubi navibus egressus, superata valle, dicta Valdalo, e regno concessit anno decimo quarto, postquam regnum intrarat; inde in regiones orientales, ducens secum filium, Magnum Bonum, contendit.

24. Knutus autem regno primum Hakonem, suum ex sorore nepotem, præfecit, terram, obsidibus acceptis amplissimorum virorum filiis, suæ ditionis fecit, populum tyrannidi et servituti subjecit. Sed Hakon insequenti vere in mari Anglico periit. Quo cognito, Knutus Sveinem, filium suum,

hujusque matrem Alfivam regno præfecit. Primo quidem tanta erat Danorum hominum auctoritas, ut unius horum testimonium satis esset ad refellendos decem testes Norvegos. Nemini, nisi permittente rege, regno excedere liceret; qui excessisset, hujus bona regio fisco cederent. Quicunque hominem occidisset, exilio et bonis multaretur. Si cui exilii damnato hæreditas venisset, ea hæreditas regi cederet. Festo jolensi singuli patresfamilias pro singulis focis modium polentæ et femur bovis trimuli regi penderent, quod donum amicorum appellatum est, et urnam butyri; singulæ matresfamilias pensum, nempe lini recti quantum includi posset digito maximo (pollice) et longissimo. Coloni quoque omnes ædes, quas ædificatas in prædiis suis vellet rex, exstruere tenerentur. Septeni cives unum virum rebus ad militiam necessariis instruerent, ita ut quisque, qui quintum ætatis annum explevisset, armaretur, et pro hac ratione naves milite instruerentur. Quicunque in altum piscandi gratia undecunque excurreret, regi terræ defendendæ tributum, hoc est quinque pisces, penderet. Quæcunque regno excederet navis, in hac unum interscalmium per transversam navim regis usibus inserviret. Quicunque in Islandiam trajicerent, sive indigenæ essent sive exteri, terræ adeundæ vectigal penderent. Quorum tributorum pensio duravit eo usque, donec rex Sigurdus Hierosolymipeta ac fratres ejus plurima hæcce onera remiserunt. Etsi autem terra hac calamitate et hoc malo afflicta esset, tamen nemo filiorum causa, qui obsides tenebantur, insurgere audebat.

25. Post hæc Olavus Sanctus per Sveciam profectus iterum in regnum contendit, et ex Jam-

tia in Thrandheimum descendens, in Veradalum devenit. Hic Kalvus Eggensis rebellionis adversus eum auctor extitit, omnibusque nervis tumultum excitare contendit, non magis contentionis studio quam malitia stimulatus; magnam multitudinem in partes suas traxit, in primis eam ob causam, ne religio christiana, quam omnibus viribus, uti antea jam imperaturum et confirmaturum sciebant, introduceretur; causam prætexens, ne amplorum virorum filii loco obsidum essent; prœliumque Stiklastadis cum rege Olavo commisit. Principes copiarum Thrandheimicarum, præter Kalvum, fuere: Thorer Canis, Erlendus Gerdensis, Aslakus Finnoensis. Olavi comitatui sese adjunxerat Haraldus, frater ejus, quindecim annos natus, adolescens excellenti forma magnaque statura: Rognvaldus Brusii, Bjorn Crassus. Eo prœlio Erlendus Gerdensis primus ex Thrandorum militibus cecidit. Neque diu arserat pugna, cum rex Olavus cecidit; is gladium manu tenuit, neque galea neque lorica tectus. Genu ab domestico Kalvi percussus procubuit, Dei auxilium implorans, gladiumque dejecit. Thorer Canis et Thorstein Knararsmidus regem Olavum interfecerunt. Atque sic Olavus sanctus ab eo prœlio ex hoc regno in regnum cœleste adscendit. Bjorn Crassus juxta caput regis cecidit. Thorstein vero Knararsmidus, prostrato rege, e vestigio interfectus est. Cecidit eo prœlio Aslakus Finnoensis, magnaque militum Thrandheimensium multitudo.

26. Tum vero, post cædem regis, summa calamitas populum invasit, in ea quidem regni parte, ubi Svein et Alfiva se continebant; quorum imperium civibus acerbissimum fuit, cum oppressa libertate, tum annonæ difficultate, cum plebes magis pecudum pabulo quam humano victu vive-

ret; illis enim imperantibus nunquam læta fuit annona, quemadmodum ex his versibus, quos Sigvatus composuit, cognosci potest:

Diu vir juvenis seculum
Alfivæ recordabitur, quando
domi vulgo comedebant pabulum
boum, tanquam hirci quisquilias.
Aliter se tum res habuit, prœliator,
cum Olavus terræ imperabat;
tunc enim quisque gestor galeæ
cumulo frumenti gloriabatur[1].

27. Ceterum Olavus Sanctus hac quidem in vita regium nomen in Norvegia per quindecim annos gessit, usque eo donec cecidit; tum triginta quinque annorum erat. Et, cum cecidit, elapsi erant a nativitate domini nostri mille anni et undetriginta. In prœlio autem, quo cecidit Olavus sanctus, Haraldus frater ejus vulneratus est; is, post casum fratris, e regno profugit in regiones orientales, indeque Constantinopolim; quidam dicunt, eum regium nomen in Norvegia sumsisse, alii infitiantur.

28. Cum vero Deus Sanctum Olavum miraculis illustrem reddere cœpit, viri amplissimi profectionem e regno susceperunt, Magnum, Sancti Olavi filium, reducturi, sentiebant enim cives, quantum peccavissent, pœnitentiaque acti, in filio ejus de his satisfacere statuerunt, quæ in ipsum deliquissent. Itaque in regiones Orientales ad regem Jarizlavum profecti, omnium amplissimorum virorum mandata et preces, ut in regnum rediret, proposuerunt. Principes hujus legationis fuerunt: Rugnvaldus dynasta, Einar Arcipotens, Svein Bryggiofotus, Kalvus Arnii

[1]) Vide Scr. hist. Isl. Vol. 5. pag. 210. 218. De voce *avgnbandaþr* adhuc incertus sum. In versu ultimo haud dubie vitio calami excidit vocula *þorn.*

filius. Sed preces eorum non auditæ, neque voto satisfactum est, priusquam ei regnum ac fidem jurejurando addixissent; nam regina Ingigerda restitit.

29. Secundum hæc ille in regnum revertitur, quatuor annis post obitum regis Olavi, patris sui. Cumque Svein et Alfiva probe nossent, quanto illum amore, quanto se odio cives prosequerentur, in Daniam aufugerunt. Rex vero Magnus imperium suscepit, et universi populi gratiam tandem est consecutus, etsi ab initio in multorum offensionem incurrebat. Nam propter juvenilem ætatem et consiliariorum libidinem imperium crudeliter auspicatus est. Pæne undecim annorum erat, cum in regnum reverteretur. Comitia Nidarosi habuit, criminaque omnibus Thrandis immoderatius intentavit; unde factum, ut omnes nasos in mastrucam demitterent, silentium servarent, nullaque responsa redderent. Tunc vir surgens, nomine Atlius, haud plura quam hæc verba locutus est: indurescens calceus ita mihi pedem urguet, ut loco me movere nequeam. Sigvatus autem eo loco statim hos versus pronuntiavit:

> Periculosum est, quod omnes
> cani senes, quantum audivi, se
> regi opponere statuerunt; cui rei
> aliquo consilio occurrendum est.
> Formidolosum est, quod comitiales
> capita conferunt et nasos
> in pallia demittunt. Altum
> silentium præclusit vocem civium[1].

Atque hæc comitia ita soluta sunt, ut rex omnes homines mane postridie adesse juberet; et compertum est ex verbis ejus, animum ejus a Deo mutatum esse; nam, severitate in clementiam

[1]) Vide Scr. Hist. Isl. Vol. 5 pag. 140-1.

transeunte, omnibus beneficia pollicitus, fidem dictis, quinetiam majorem, præstitit. Qua re ingentem favorem, nomenque Magni Boni, lucratus est.

30. Qui cum aliquot annos imperasset, leges bonosque mores constituisset, remque christianam firmasset, memor injuriarum, quæ in patrem admissæ fuerant, classe in Daniam trajecit, summa omnium voluntate, quippe vindictæ sumendæ cupidorum. Id temporis Svein in Dania, Knutusque pater ejus in Anglia decesserat; imperavit tum Daniæ frater Sveinis, nomine Horda-Knutus, qui classem contra Magnum ducens, cum eo in Brennois congressus est. Hic intercedentes viri sapientes, pacem proposuerunt, quam eo pacto constituerunt, ut, cum Knutus justum postulandæ Norvegiæ jus habere sibi videretur, quam pater suus sub potestatem redegisset, fraterque imperio tenuisset, Magnus vero ægre ferret injurias, fraudes, expulsionem ac cædem, patri suo opera Knuti illatam: hanc controversiam, datis utrinque obsidibus, eis conditionibus componerent, ut, qui eorum diutius viveret, is in utroque regno succederet, dum ambo viverent suo uterque regno imperaret. Knutus prior obiit, quo facto Magnus, quod filii amplissimorum virorum obsides tenebantur, sine controversia imperium Daniæ adiit.

31. Quibus rebus cognitis Svein, filius Ulvi et Astridæ, sororis Knuti Potentis, in Anglia degens, undecunque potuit copias contrahebat. Magno adversus contendente, classe congressi sunt ad promontorium, dictum Helganesum, prœliumque commiserunt. Svein in Vendiam fugit, indeque et undecunque posset, copias iterum contraxit, eumque exercitum in Daniam duxit, ita ut Magnus, brevi ante certior factus, exiguo tempore ad

comparandum dato, paucitatem copiarum timeret; neque tamen eo minus sese, quantum potuit, ad resistendum paravit.

32. Nocte vero, mane quo confligeret proxime antecedente, cum de rebus suis admodum sollicitus esset, pater in somnis apparens hortatus est, ne timeret, victoriamque ei est pollicitus; quod et eventus probavit. Sequenti mane congressi sunt in tesquis, dictis Hlyrskogensibus, ad amnem Skotborgensem sitis, ubi Magnus, ex præscripto Sancti Olavi, antea in somnis dato, aciem instruxit, eoque temporis momento prælium commisit, quod ei præcedenti nocte præmonstrarat, nimirum cum sol in plaga euronoti esset. Media acies ejus obversa erat cornu aciei Sveinianæ, quæ tota inclinata est. Nam Svein ex multis rebus, quas ad victoriam obtinendam invenerat, grave damnum accepit; boves enim, quorum tergis hastas revinxerat, oculis asseres præligaverat, in fronte aciei constituerat; hi autem primo se converterunt, et forte accidit, ut Svein a grege boum et cohorte Magniana intercluderetur, magnaque accepta clade, salutem fuga petere cogeretur; quem fugientem cum agmine Magnus uno comitatus diu est insecutus. Svein ac sui dixisse feruntur, si omnes pari se virtute præstitissent, atque pulcher ille juvenis tunica bombycina indutus, neminem fuisse salvum evasurum. Hic autem erat ipse rex, qui ad suos reversus, summa lætitia ab omnibus exceptus est, qui antea, ne cecidisset, timuissent, quod persequendo agmini, unius hominis auxilio adjutus, tamdiu immoratus esset. Svein terram sibi, ubi tuto vivere posset, circumspexit. Interea rex Magnus, rebus omnino pacatis, in Dania se continebat.

33. Interea procedente tempore Haraldus, frater sancti Olavi, Constantinopoli per regiones

Orientales profectus, pecuniis rebusque pretiosis dives, rediit, naveque vectus mercatoria ad Daniam appulit, eo loco, quo neque ipsum neque naves ejus rex Magnus poterat animadvertere; sic rem instituit, ut adveniret prope ad eum locum, ubi se rex continebat, consiliariumque Magni regis, nomine Ulvum aulæmagistrum, in congressum suum elicuit, cum quo de causa Haraldi egit, ut si legatus Haraldi, non ipse Haraldus, esset; petiit ab Ulvo, ut regem Magnum percontaretur, quo modo patruum suum, si in patriam redisset, excepturus esset; ostendit, dignum esse, qui liberaliter exciperetur: quo nomine affero, inquit, cognationem, quæ utrumque intercedit, nec non operam, quam Sancto Olavo, fratri suo, patrique Magni, navaverat; Haraldum prudentem esse et robustum, multasque ac magnas res in exteris regionibus præclare gessisse, ipsum jam pecunia et rebus pretiosis divitem esse, hisque omnibus cognatum suum multum adjuvare posse, rem vero in discrimine versari, si non honorifice exciperetur. Ulvus rem lætus accepit, similiter et rex Magnus, qui se ab omnibus honestis viris, quos secum haberet, in primis vero a patruo suo, firmum præsidium bonaque consilia exspectare dixit. Quibus auditis regis responsis Haraldus navem repetiit, moxque cognatum suum convenit, in quo Ulvus ingentem illum et exporrectum virum, qui se antea legatum Haraldi appellaverat, agnovit. Hic congressus inter cognatos exoptatissimus fuit, Haraldusque dimidiam partem Norvegiæ accepit et adiit, jure tum consangvinitatis, tum muneris a bono rege benigne dati; erat enim Haraldus filius Sigurdi Porcæ, Sigurdus vero filius Halvdanis, quem alii Hækelnevum, alii Albipedem vocarunt, Halvdan vero

filius erat Sigurdi Risii, qui filius fuit Haraldi Pulchricomi.

34. Post hæc Magnus Daniæ et dimidiæ Norvegiæ pacate et quiete, nullo dum vixit postulante, imperavit; utrique regno tredecim annos præfuit, annumeratis illis sex, quibus Daniæ imperavit. Morbum in Selandia nactus, ibidem mortuus est anno post quam Haraldus patruus ejus in patriam redierat; tum ferme quatuor et viginti annorum erat. Funus ejus septemtrionem versus in Thrandheimum deportatum, et in æde Christi, ubi pater ejus quiescit, conditum. Cujus mors utrique regno admodum luctuosa fuit, nullam enim prolem superstitem habuit præter unicam filiam, quam parvo natu moriens reliquit. Lecto affixus Thorerem, fratrem uterinum, ad Sveinem Ulvi filium misit, iis cum mandatis, ut non ipsius mortem, sed ipsum de possessione regni cessisse, nuntiaret. Verum Svein, eum obiisse mortem intelligens, grande munus comiter accepit et capessivit, omniaque, quæ in regno constituerat, etiam munera fratri Thoreri aliisque data, rata esse jussit.

35. Rex Haraldus imperium Norvegiæ jam solus suscepit, magnaque severitate, integra tamen pace, imperavit; neque fuit alius rex, quem cives magis timerent, ob insignem ejus prudentiam et strenuitatem. Brevi postquam in patriam redierat Haraldus, uxorem duxit, neptim ex fratre viri cujusdam, nomine Finni, qui in Ranrikia, regni parte orientali, habitavit, viri generis nobilitate et divitiis clari; atque ille affini suo, regi Haraldo, ingentia beneficia concessit, sed deinde ita evenit, ut ea retractare vellet, unde orta inter eos controversia, excessit e regno cum propinquis suis, et ad regem Daniæ Sveinem cum

septem navibus longis profectus, dynastæ titulum ab eo accepit; qui comitati cum fuerant, domum remisit, cum possessiones, uxores aut liberos ab his deseri nollet. Ipse vero ac Svein, collecta manu, in Norvegiam cum exercitu contenderunt, obviam proficiscente rege Haraldo. Congressi sunt in Dania ad Nizam Hallandiæ. Haraldus ad insulam, prope continentem sitam, stabat, quæ cum defectu aquæ laborare putaretur, Sveiniani cum aqua intercludere statuerunt. Sed rex Haraldus investigari jussit, ecquis vivus serpens in insula reperiretur; qui inventus, jubente rege, calore ignis fatigatus est, ut quam vehementissime sitiret; dein, alligato ad caudam filo, solutus, ad sitim exstingvendam, aquam quæsitum ivit. Sic aqua reperta est. Haraldus, ut se paratum esse existimavit, cum copiæ, quas exspectans eo loco se continebat, advenissent, classem in aciem produxit prœliumque commisit. Svein, multis suorum amissis, superatus, cum paucis effugit. Finnus vero vivus captus et vita donatus, cum Haraldo ad possessiones suas rediit.

36. Ubi Haraldus toti Norvegiæ, ex quo Magnus decesserat, undeviginti annos imperavit, vir quidam, nomine Tostius, dynasta, frater Haraldi Gudinii filii, tunc temporis Angliæ imperantis, ab Anglia advenit. Qui cum æquum Haraldo (fratri) jus imperii haberet, et tamen toto privatus esset, auxilium Haraldi imploravit, pollicitus, si victoriam reportassent, dimidium Angliæ concessurum. Itaque Haraldus unacum eo classem eodem duxit, totamque Northumbriam sub potestatem redegit. Rex Angliæ, qui eo tempore in Normannia se continebat, his cognitis rebus, confestim cum copiis reversus, adeo imparatis supervenit, ut plurima militum pars in

navibus esset, qui in terram escenderant, nulla arma, præter cædendo tegendoque apta, haberent. Itaque hi omnes in unam aciem coeuntes se compararunt. Rex, aciem instruens, equo vehebatur; quo collapso excussus, cum surrexisset; sic raro evenit, inquit, cum fortuna adspirabat. Atque dicta regis eventus comprobavit, eum a vero non aberrasse; nam eodem die in hoc ipso prœlio et Haraldus rex et Tostius dynasta, magna præterea multitudo, ceciderunt; prœlio superstites ad naves profugerunt. Horum princeps erat Olavus, filius Haraldi, forma spectabilis adolescens, ferme viginti annorum, qui propter tranquillitatem et ingenii mansvetudinem Colonus est appellatus. Hic ab Haraldo pacem et corpus patris petiit, et utrumque impetravit. Inde cum Paulo dynasta in Orcades concessit, vereque proxime insequenti in Norvegiam delatus, funus regis Haraldi Nidarosi in æde Mariæ sepelivit; nunc autem in Elgisetro situs est, visum enim est conveniens, ut ædem ab se exstrui jussam consequeretur, quam ædem archiepiscopus Eystein eodem deportatam curæ monachorum commisit, itaque possessiones, ab se eidem monasterio donatas, auxit.

37. Duodecim illis mensibus, quibus Haraldus cum filio in occidente versabantur, filius ejus nomine Magnus, vir formosissimus, imperium Norvegiæ administravit; jam hic et frater Olavus regnum inter se diviserunt. Sed brevi inde, post biennio , Magnus decessit, relicto filio, nomine Hakone, qui Thoreri Steigensi educandus traditus est. Ex quo tempore Olavus Norvegiæ solus imperavit annos viginti quatuor; neque post Haraldum Pulchricomum ullus fuit rex, sub quo Norvegia æque floruerit, atque sub ejus imperio. Ille multas res facilitate temperavit, quas Haraldus

insolenter inceptaverat et persecutus fuerat. Auri, argenti, rerum pretiosarum et cimeliorum liberalis erat, prædiorum tenax; cujus rei causa fuit tum prudentia ejus, tum quod idem imperio expedire intelligebat. Multa sunt ab eo præclare instituta, digna memoria. Ad sedem episcopalem, quæ Nidarosi est, ædem lapideam, ad servandum corpus Sancti Olavi, cognati sui, exstruxit et absolvit. Quanta fuerit ejus bonitas et amor in populum, intelligi potest ex dictis, quæ die quodam locutus est in magna illa æde symposiaca, cum esset animo læto ac hilari, nonnullis forte dicentibus: euge, gaudemus, o rex, quod tam hilaris es. Quibus ille; quidni nunc hilaris sim, inquit, cum et videam populum mihi subjectum lætitia et libertate frui, et ipse adsideam in eo sodalitio, quod sancto patruo meo dicatum est? Patre imperante hic populus magnæ servituti et terrori expositus fuit, quare plurimi aurum et cimelia, quæ ipsis erant, absconderunt; ego vero nunc in quolibet, quæ ejus sunt, splendere video; quorum libertas mihi voluptati est. Eodem imperante adeo certus erat rerum status, ut sibi populoque pacem cum exteris sine prœlio conciliaret, et quamvis tranquillus et mansvetus esset, tamen proximis vicinis terrori erat; id quod poeta testatur:

> Olavus verbis et ad bellum
> et ad pacem spectantibus
> regnum sic defendit, ut nullus
> rex sibi id vindicare auderet[1].

38. Cum vero septem et viginti annos Norvegiæ imperasset, primo annumerato, quo post mortem Haraldi in occidente erat, Magno fratre in Norvegia versante, incidit in morbum, in prædio, quod Haukbæus dicitur, in Ranrikia

[1]) vide Scr. hist. Isl. Vol. 6, pag. 408.

regni parte orientali sito convivium obiens, ibique mortuus est. Funus ejus septemtrionem versus Nidarosum deportatum, et in æde sacra, quam exstruendam curaverat, sepultum est.

39. Post hæc Magnus Nudipes, filius ejus, imperium adiit; is pæne viginti annorum erat, cum, patre mortuo, regium nomen sumsit unacum patrueli Hakone, quem, uti ante dictum, Thorer Steigensis educandum susceperat: qui amplius viginti quinque annorum erat. Hi ambo unam hiemem (reges) fuerunt, eamque Nidarosi transegerunt, Magnus in ædibus regiis, Hakon in ædibus Skulianis infra ædem Clementis se continebat, atque sic festum jolense celebravit. Tunc Hakon munera, festo jolensi dari solita, remisit, Thrandis omnibusque Oplandiæ incolis, qui eum receperant, immunitatem tributorum et portorii concessit, atque similiter multa alia juris beneficia civibus impertivit. Verum hanc ob causam animus Magni cœpit perturbari, qui sibi visus est minus regni, minus publicorum vectigalium habere, quam pater, patruus majoresve habuissent; neque minus suam, quam Hakonis, partem, hac in gratiam civium donatione, concessam esse judicavit, existimans, se hac re a patrueli suo, communi ipsius ac Thoreris auctoritate, contumelia et injuria affectum esse. Hi etiam admodum solliciti erant, quomodo ista Magno probarentur: nam totam per hiemem septem naves longas in apertura glaciei in emporio continebat. Vere autem, sub festum candelarum, noctu classem solvit, navibus tentoriis velatis et lucernas sub tentoriis habentibus, atque ad Hevringam appulit, ubi pernoctavit, ingentesque ignes in terra excitavit. Hakon cum militibus, qui in oppido erant, rem ad se dolo circumveniendos factam ratus, classico copias ex oppido

evocavit, universa oppidanorum multitudine adfluente et per noctem in exercitu colligendo occupata. Sequenti autem mane, ut diluxerat, Magnus, universitate populi in lingulis conspecta, e sinu egressus meridiem versus in conventum Gulensem contendit.

40. Hakon, orientem versus in Vikam profectionem suscepturus, conventum in emporio habuit, ubi equo insidens omnium civium amicitiam precibus expetivit, suamque pollicitus est, de proposito patruelis sui magnam sibi animo hærere suspicionem dicens. Cui cum omnes amicitiam et, si opùs esset, auxilium libenter polliciti essent, universus populus eum ad Steinbjarga concomitatus est. Ille per superiora ad montem profectus, die quodam tetraonem lagopoda, qui equitantem prævolando fugiebat, persecutus est. Tum in morbum incidit sibi letalem, atque in monte exspiravit. Cujus rei fama cum post dimidium mensem in emporium perlata esset, obviamque procedendum esset funeri, universi oppidani, et plurimi lacrimantes, obviam procedebant; omnes enim eum intimo amore diligebant. Funus ejus in æde Christi conditum est.

41. Post obitum Hakonis Thorer, cum animum inducere non posset, ut se ad voluntatem Magni, ejus in imperio successoris, accommodaret, nimia insolentia stimulatus, ad rebellionem excitavit virum, dictum Sveinem, filium Haraldi Fletteris. Hi, contractis ex Oplandis auxiliis in Romsdalum et Sunnmœriam descenderunt; ubi comparatis navibus septemtrionem versus in Thrandheimum contenderunt. Qua Thoreris Steigensis rebellione et hostili invasione cognita, Sigurdus Ulstrengus compluresque alii amici regis, dimissa belli sagitta, quas potuerunt copias adversus Thorerem coegerunt, eumque exerci

tum Viggam duxerunt. Huc Svein ac Thorer copias suas duxerunt, commissoque cum Sigurdianis prœlio escensionem fecerunt, superioresque facti adversarios magna clade affecerunt. Sigurdus ad regem Magnum in emporium proficiscentem confugit, Thorerianis interea per sinum circumvagantibus. Qui cum solvere e sinu parati essent, navesque ad Hevringam constituissent, rege Magno ab exterioribus sinum ingrediente, classem in Vagnvikastrandam transmiserunt, navibusque relictis in vallem Thexdalum dictam, in Seljuhverfo sitam, descenderunt, Thorere feretro per montem transportato. Dein collectis navibus in Halogiam profecti sunt, insequente rege Magno, ita ut utræque copiæ in sinu, qui Harmus dicitur, inter se conspicarentur. Illi dein ad Hesiotuna appulerunt. Hic Thoreciani, se continentem attigisse rati, cum insula esset, complures unacum Thorere Steigense capti sunt, ipse vero postea suspensus in parva insula, dicta Vambarholmo. Thorer, conspecta cruce: perniciosa sunt mala consilia inquit; et antequam suspenderetur, laqueusque collo indueretur, hos versus pronuntiavit:

Fuimus quatuor socii, quorum
unum gubernaculo admovimus.

Egil filius Askelis ab Orlando, vir strenuissimus, etiam interfectus suspensusque cum Thorere fuit, quod uxorem Ingibjargam, filiam Ogmundi, sororem Skoptii, fuga deserere noluit. Rex Magnus, cum Egilem cruce pendentem conspicaretur: parum tibi, inquit, ampli cognati prosunt. Svein in altum profugiens Daniam petiit, ubi se continebat, donec in gratiam rediret cum rege Eysteine Magni filio, qui eum in gratiam receptum sibi a mensa ministrum creavit, et carissimum familiarissimumque habuit. Posthæc

rex Magnus imperio solus, atque sine ulla controversia, præfuit, terram ab incursionibus tutam reddidit, prædones maritimos et latrones exstirpavit; fuit vir bellicosus, strenuus, laboriosus, avo Haraldo, quam patri, ad omnia ingenio similior. Hi vero omnes magna statura et formæ venustate conspicui erant.

42. Magnus multas expeditiones fecit. Primo Gothiam Sveciæ provinciam sibi vindicavit eo prætextu, quod dicebat, Dalum, Veas et Vardynias, si juris ratio haberetur, ad Norvegiam pertinere, quod majores sui hæc territoria olim possedissent. Itaque rex magnis cum copiis ad fines regnorum consedit, et sub tentoriis se continebat, incursionem facturus in Gothiam. Quo cognito rex Ingius, raptim collecta manu ad eum contendit. De cujus itinere cum rex Magnus certum nuntium accepisset, principes hortati sunt, ut se reciperet; quorum improbato consilio, adversus regem Ingium contendit, et necopinato noctu oppressum magna clade affecit, salutemque fuga petere coegit. Deinde re ad transactionem rejecta, rex Magnus Margaretam, regis Ingii filiam, uxorem duxit, agrosque, quos postulaverat, dotales accepit.

43. In hac expeditione cum rege Magno versabantur, Ogmundus Skoptii, Sigurdus Sigurdi, Sigurdus Ulstrengus, compluresque alii. Post hæc rex Magnus classem in Orcades duxit, his principibus comitantibus: Dago, fratre Gregorii, Vidkunno Joannis, Ulvo Ranii, fratre Sigurdi, patris Nicolai, aliisque compluribus magnatibus. Dein adsumto in Orcadibus dynasta Erlendo, hujusque filio Magno, duodeviginti annos nato, qui nunc sanctus colitur, expeditionem fecit in litora Scotiæ et Britanniæ. In hac expeditione dynastam,

dictum Hugium Crassum, interfecit. Hic, oculum sagitta ictus, interiit, qui vero sagittam miserat, conjecto ad regem arcu, ut quidam dicunt, feliciter jaculantem gratatus, regi honorem missæ sagittæ tribuit. Quibus gestis ex hac expeditione cum navibus auro, argento pretiosisque rebus onustis rediit.

44. Paucis post annis occidentem versus in Hiberniam classe trajecit, magno stipatus numero militum, terram subacturus, cujus statim partem aliquam sub potestatem redegit. Hinc audacior et incautior factus est, eo quod rem primo ex sententia gessit, ut avus ejus Haraldus, cum in Anglia occubuit. Ita quoque hic iisdem circumventus dolis periit; nam Hiberni clam invictum exercitum adversus regem Magnum contraxerunt vespera festum Bartholomæi antecedente. Itaque e navibus in terram ad mactanda pecora egressi, animum non prius adverterunt, quam hostes eos a navibus interclusissent. Rex ac sui ab armis minus erant parati, nam rex escenderat sago indutus bombycino, galeam capite gerens, gladio cinctus, hastam manu tenens, tibialibus equestribus, ut sæpius solitus, pedes velatus. In qua pugna rex Magnus magnaque suorum pars cecidit; cecidit loco, dicto Ulaztirio, cecidit et una Eyvindus Finni, compluresque alii summi principes. Vidkunnus prope a rege constitutus, tria vulnera accepit. Qui a rege Magno, certam imminere mortem intelligente, salutem fuga quærere jussus, cum reliquis prœlio superstitibus ad naves se recepit, atque deinde in patriam reversus est, magnos postea honores pro opera strenue navata a filiis ejus consecutus. Eo tempore Myrjartakus Condialvi filius supremus Hiberniæ rex erat, cujus filiam, nomine Biadmyniam, Sigurdus Magni filius aliquantum

temporis in matrimonio habuit. Magnus Nudipes decem omnino annos imperavit.

45. Magno in imperio successerunt tres filii ejus, Eystein, Sigurdus et Olavus, bonitate, alacritate, tranquillitate, mansvetudine et pacis studio insignes; de quibus multa bona et præclara referri possunt. Olavo tamen brevi civibus frui contigit, non enim vixit diutius quam duodecim annos post obitum patris sui; mortuus est in emporio, septemdecim natus annos, et in æde Christi sepultus est; cujus mortem omnes cives luxerunt. Initio autem, cum tres illi fratres, Eystein, Sigurdus et Olavus, regno imperarent, Sigurdus, fratrum suorum amplissimorumque virorum consensu, relicta patria Hierosolymam proficisci cupivit. Ut vero sibi gratiam Dei populique universi amicitiam conciliarent, omnes fratres, uti supra demonstratum est, servitutes, tributa graviora injustaque onera, ab avaris regibus et dynastis populo imposita, abrogarunt.

46. Sic fratres servitutem in libertatem converterunt. Dein Sigurdus, quatuor annis post obitum Magni, patris sui, patria relicta Hierosolymam profectus est cum navibus sexaginta, compluribus atque excellentibus viris comitatus, iisque solum, qui proficisci cupiebant. Primam hiemem in Anglia transegit, proxima Hierosolymos adiit, ubi magno affectus honore pretiosa cimelia dono accepit.

47. Rex partem sanctæ crucis petiit, et impetravit, neque tamen prius quam duodecim viri ipseque decimus tertius jurarent, ipsum religionem christianam omnibus viribus promoturum, sedem archiepiscopalem in regno, si fieri posset, collocaturum, crucem quo loco Sanctus Olavus quiesceret conservaturum, decimas imperaturum

ipsumque soluturum. Quorum partem præstitit; decimas enim introduxit, alterum migravit, unde, nisi Deus miraculis periculum avertisset, summa calamitas existere potuisset: nimirum ædem sacram ad regni confinia exstruxit, eoque loco crucem, pæne in manibus ethnicorum, uti postea eventus docuit, collocavit, inde quidem regno præsidium exspectans, sed falso. Nam ethnici advenerunt, ædem incenderunt, crucem et sacerdotem ceperunt et abduxerunt. Quo facto ethnici, tanto calore tacti, ut pæne ardere sibi viderentur, rem pro portento (malo omine) habentes pertimuerunt. Sed significante sacerdote, ardorem illum numine divino vique sanctæ crucis effici, demissa scapha crucem pariter et sacerdotem in terram exposuerunt. Cumque sacerdos minus tutum existimaret, eam iterum eidem exponi periculo, crucem clam septemtrionem versus deportavit ad sedem (archiepiscopalem) ad Sanctum Olavum, cui jurejurando dicata erat; quo loco nunc ab eo inde tempore adservatur.

48. Verum multa quoque alia eodem itinere egregie gessit: aliquot ethnica oppida vi cepit, quorum unum si expugnare posset, votum vovit, die Saturni in Norvegia carnibus abstentum iri. Constantinopolim adiit, ibique magno honore ab imperatore exceptus ingentia munera accepit. Ibidem in memoriam suæ eo loco commorationis naves suas reliquit, demtis uni earum ingentibus et pretiosis capitibus et in æde Petri repositis. Tandem in Norvegiam, tribus annis elapsis post abitum, per Ungariam, Saxoniam et Daniam reversus est, universo populo reditum ejus gratulante. Tunc, cum ex hac peregrinatione in regnum redierat, viginti annorum fuit, magnamque erat nominis celebritatem consecutus. Eystein fratre (Sigurdo) anno major erat, Olavo

tum annorum duodecim. Multa sancta loca etiamnum ornata sunt pretiosis illis cimeliis, quæ tum apportavit. Si......[1].

49. ...... stipendiumque Smalandiæ imposuerunt, quindecim boum centurias, incolæque christianam religionem amplexi sunt. Quo facto rex Sigurdus, multis ingentibus cimeliis et pecuniis, quas ea expeditione lucratus erat, ditatus, domum rediit; quæ expeditio Calmariensis appellata est. Ea expeditio facta est æstate magnam illam solis eclipsin antecedente. Eo imperante respublica et facilitate annonæ et multarum aliarum rerum læto proventu floruit, uno tantum incidente incommodo, quod ingenio suo vix posset moderari, quando procedente ætate malo illo correptus esset. Verum tamen omnium regum excellentissimus et celeberrimus, in primis ob peregrinationem ab eo susceptam, existimabatur. Erat quoque augustissima specie et ceteros homines statura antecellens, ut pater ejus majoresque. Ille cives amavit et a civibus amatus est, amoremque suum his versibus significavit:

Colonis, cultis territoriis
et pace stabili maxime delector.

Atque confisus amore civium, quo se valere arbitrabatur, Magno filio suo totius Norvegiæ imperium, se vivo, jurejurando addicendum curavit; hic ex concubina natus ceteros omnes mortales, qui unquam extiterunt, pulchritudine superavit.

50. Post hæc ab occidente ex Hibernia advenit vir, nomine Haraldus Gillekristus, qui se filium Magni et fratrem Sigurdi professus, argumenta prolaturum ostendit. Qua conditione ab rege magis proprio arbitrio, quam prudentium virorum auctoritate accepta, Haraldus novem can-

[1]) Deest unum folium.

dentes vomeres calcavit, et integer declaratus est. Dein magno habitus honore cum fratre versabatur, erat enim vir fortis et strenuus, procera statura summæque ad speciem agilitatis. Valebant juramenta, quæ de Magno præstita fuerant; Haraldus quoque jusjurandum dixit, antequam ad tentamen probationis admitteretur, se Magno vivo regnum non postulaturum; qua jurisjurandi formula rex jusjurandum populi imperiumque filii confirmare, periculum avertere, clademque prohibere voluit. Hoc tentamen, Sæheimi editum, justo majori rigore actum esse putabatur, eo quod ferrum gestavit ad probandum paternum genus, non ad regni jus vindicandum, quod abjuraverat. Sed brevi post rex Osloæ obiit. Haraldus et Magnus Tunsbergi versabantur, nuntiusque extemplo ad Magnum missus est, qui Osloam celerrime profectus cimelia occupavit. Funus regis Sigurdi in æde Halvardi sepultum est, cum omnino septem et viginti annos Norvegiæ regnaverat.

51. Jam Magnus imperium, sibi patris constitutione et jurejurando populi justo titulo adsertum, solus capessere cupivit. Sed Haraldus, ea re minus contentus, dimidiam regni partem sibi vindicavit, dicti ab se jurisjurandi et fratris constitutionis immemor. Quare dissidiis inter eos primis jam septem noctibus exortis, aulici, principes et plebes in duas factiones distracti sunt, unde Haraldus satis magnum numerum militum nactus . . . .[1].

52. . . . . . nutritores eorum; rex Ingius et rex Sigurdus iisdem uterque aulicis utebatur, rex Eystein suos solus habuit. Mortuis autem his omnibus principibus, qui rempublicam unacum iis secundum leges civiles consiliis suis gnaviter

[1]) Desunt circiter quatuor folia.

administraverant, Amundio, Thjostolvo Olii filio et Ottare Birtingo, qui Ingiridam matrem Ingii regis duxerat, Ogmundo Sviptere, Ogmundo Dengere (Drengo), fratre Erlingi Skakkii, filio Kyrpinga-Ormi (qui Erlingo, dum utrique vivebant, et auctoritate superior et natu major fuit): fratres, Sigurdus et Ingius brevi postea aulicam inter se societatem diremerunt. Rex Sigurdus erat magna statura, strenui viri speciem præferens, insigni virium magnitudine, ingenio varius, disertus, morosus, difficilis, fortis et hilaris. Rex Eystein etiam erat robustus, libere loquens, ad fraudem acutus, astutus, tenax, pecuniæ cupidus, colore (comæ) nigro, capillis horridis; rex Ingius erat colore candido, facie pulchra, debilis, tergo luxato, altero pede langvido, ut admodum claudicaret, affabilis et erga suos facilis. Rex Sigurdus, ubi adoleverat, magna fuit in omnibus rebus animi ferocia et ingenio turbulento; eodem ingenio Eystein erat, qui quidem ferociæ aliquem modum habuit, sed omnium horum pecuniæ cupidissimus habebatur. Rex Ingius apud populum gratiosus erat. Haud multo post mortem consiliariorum regum sequentia acciderunt. Fuit vir quidam, nomine Geirstein; huic duo erant filii, Hjarrandius et Hisingus; filia ejus erat concubina regis Sigurdi, illique (pater et filii) magni apud eum æstimati. Erat Geirstein homo factiosus et injustus, regis præsidio fidens. Prope ab eo habitavit illustris vidua, nomine Gyda, soror Ragnildæ, quam Dagus Eilivi filius Vikensis in matrimonio habuit; ea heroica indole prædita erat. Hanc Geirstein sæpius convenit, ejusque amorem cupide venatus est. Quod cum a voluntate ejus abhorreret, ille contra exasperari cœpit, significans, rem in ipsius incommodum versuram. Primum ejus con-

silium et inceptum fuit, ut ejus pecora in suos agros compelli juberet, eamque ob causam crimen ei intenderet; insuper sua pecora in agros illius magna contentione agi, eique variis modis graves adferri calamitates jubet. Cujus grave in se odium animadvertens illa, sibique damnum dari intelligens, amicos allocuta significat, se admodum destitui auxilio illustrium amicorum et patronorum, quæ tam multis modis injuria afficiatur. Tum respondit vir quidam nomine Gyrdus, una cum ea educatus, honesto loco natus et magna fortitudinis specie: vera loqueris, domina, inquit, gravi injuria ab hoc homine affecta es, et intelligo, te orationem ad me dirigere, ut occurrere aggrediar. Atque accidit die aliquo, cum ea circumiret villam suam, ut magnum pecorum numerum agros suos depascentem animadverteret, multaque ex his magnam vastationem facere. Tum ira commota hastam corripit, excurrit, atque se eo, ubi pecora erant, convertit. Hic Gyrdus ei occurrit, ereptaque hasta, pecori se obvium fert, idque ex agris abigit trans pontem amnis prædia interluentis. Hic Geirstein occurrens eum illico invadit, dicens, eos nimium quam servos evexisse, si tales sibi pares essent existimandi; atque eum telo petit. Gyrdus, excepto ictu, vicissim cæsam sinistro ejus lateri infligit, eumque letali vulnere adficit. Quo facto Gydam convenit, quæque gesta erant refert. Ea jam tum duos equos paraverat, alterum cum pecunia, alterum ipsi ad equitandum ......

HIC INCIPIT SERIES REGUM NORVEGICORUM, SECUNDUM SÆMUNDUM POLYHISTOREM.

Est munus poetarum,
qui officio suo recte
satisfacere volunt,
alios oblectare:
in primis, si
pauciores sunt
tales homines,
quam antea fuerunt[1].

2. Primum est remigandum
procul a balæna,
et tamen veniendum
propius, antequam desistas.
Cujus proverbii
præcepta sequi
hoc in carmine
cogitavi[2].

3. Inde ego primum
ordiar sermonem,

---

[1]) Constructio: *þat verðr skyllt þeim greppum, ef yrkja at skilum, at þeir gleði fyrða: allra helzt, ef þeir virðar eru færi, en verit höfðu.*

[2]) Constructio: *fyrst skal róa fjarri reyði, ok koma þó niðr nær, áðr lúki. þar haf a) ek hugt b) at mynda c) eptir þeim orðum (í) þessum hróðri.*

a) *hef*, id., *B*, *C*. *b*) i. e. *hugat*; *huggt*, *B*, *C*. *c*) sic et *B*, *C*; *nýjo*, *D*, i. e. denuo (observavi).

meo si carmini volent
homines auscultare:
Animo excellenti
Halvdani Nigro
filius fuit
fortitudine præstans[1].
4. Sumsit contentiosus
regium nomen
mox Haraldus
Pulchricomus:
postquam Halvdan
in cortice aulæ
salmonum
submersus erat[2].
5. Atque ille
(tumulo) inlatus est
in bello infestata
Ringarikia.
Filius vero Halvdanis
excellenti indole præditus
puerili ætate
patrimonium capessivit[3].

---

[1]) Constructio: *ek vil fyrst taka þar til máls, ef virar a) hlíða b) minni mærð: c) hugprúðr Hálfdan svarti átti frækn-an erfivörð.*

a) dubium *virar, vitar,* an *vilar; vitrir, C;* sed *virar* est = *verar.* *b*) i. e. *hlýða.* *c*) deest forte *er* v. *at.*

[2]) Constructio: *Kappsamr Haraldr inn hárfagri tók brátt við konungs nafni: þá er Hálfdan hafði [druknat i næfri hængs hallar a).*

a) a [*inn svarti í hængs hallar hnigit ræfr,* Niger in tectum a. salm. siderat, *B*, forte ad evitandum versum dissyllabum septimum. *Hængs höll*, aqua, lacus, ejus *næfr*, glacies.

[3]) Constructio: *ok hann er i-lagiðr a) á herská Hringariki; en framlyndr b) burr Hálfdanar tók barnungr c) við föðurarfi.*

a) vide *Fms.* 10. p. 212. lin. 11. *b*) *fromlyndr, B.* *c*) *bar-ungr, B,* prave.

6. Non hoc solum
satis habuit possidere,
quod ei majores
reliquissent;
Sogniensium princeps
adeo imperiosus
et molestus erat
divitiarum datoribus[1].

7. Ut totam terram
Albim inter
et Finnmarkiam
rex sibi subjiceret.
Illi primo
soli contigit,
toti Norvegiæ
imperare[2].

8. Fuere principi,
qui munera distribuit,
multi liberi, qui ad
maturam ætatem pervenerunt.
Idcirco genus
cujusque regis
tandem ad Haraldum
Pulchricomum redit[3].

---

[1]) Constructio: *Hann vildi eigi eiga þat eitt, er langfeðr hans leifðu hánum. Ræsir Sygna var svá ríkr ok ágjarn við auðgefendr a)*:

a) auðga frændr, cognatis opulentis, *C.*

[2]) Constructio: *at fylkir átti allt land á milli Elfar ok Finnmerkr a). Hann náði fyrst at ráða einn c) fyrir öllum b) Noregi.*

a) sic et *B; Frammerkr, D. b) fyrstr auðlinga*, primo regum, *C. c) ainn*, id., *B.*

[3]) Constructio: *Gramr, sá er veitti gjafir, átti mart barna, [þeir er a) biðu þroska. Því kemr kyn hvers skeyldungs síð b) til Haralds ens skararfagra.*

a) þeirs, id , *B. b) síðan, B, C, D.*

9. Alacer rex
Thundi uxori
imperavit annos
tres et septuaginta,
antequam Odlingi
unica filia
principem vita
spoliatum iret[1].
10. Tunc magnificus
tumulus exstructus est
Haraldo mortuo
in Rogalandia.
Hujus principis
Halvdane nati
nomen semper diuturna
memoria coletur[2].
11. Mox Eirikus
Blodaxa nomen
regium sumsit, uti
coloni voluerunt.
Pugnæ peritus
præfuit terræ
Eirikus annos
quatuor et unum[3].

---

[1]) Constructio: *Snarr siklingr rèð sjötigi ok þrjá vetr þundar beðju a), áðr en einka dóttir öðlings b) kom at ræna lofðung lifi.*

a) i. e. terræ. *b*) *Ásadólgs*, Asarum hostis, ɔ: Lokii, *B*, sensui accommodate. Nescio qua ratione Lokius dici possit *Öðlingr*; forte legendum: *áðr en Lopts l. at r. öðling kom e. d.; Loptr* enim nomen Lokii, cujus filia *Hel*, mortis dea.

[2]) Constructio: *þá var a) reisuligr haugr vorpinn eptir Harald á Rogalandi. Nafn þess hildings Hálfdanssunar mun æ lengi uppi.*

a) *vas*, id., *B*.

[3]) Constructio: *Eirekr Blóðöx tók brátt við jöfurs nafni,*

12. Antequam unicus
Adalsteinis alumnus,
amicitiis valens,
ab occidente veniret,
atque Hakon
a fratre suo
dimidium regnum
totum postularet[1].
13. Eirikus vero
vindictæ cupidus
ejusque filii se
fuga subduxerunt.
Qui imperiosus
præfectorum oppressor
in regnum nunquam
postea reversus est[2].
14. Certandi avidus
Hakon imperium
aliquantum temporis
solus administravit.
Rex ille, honoris
appetens, terræ
annos sex et viginti
continuos præfuit[3].

---

sem búendr vildu; vigfimr Eirekr var alls einn ok fjóra a) *vetr at landi:*

a) ɔ: tres, quibus cum patri, unum, quo solus, unum, quo cum Hakone regnavit.

[1]) Constructio: *áðr en vinsæll einka* a) *fóstri Aðalsteins kæmi vestan, ok* b) *Hákon beiddi bróður sinn allrar* c) *hálfrar erfðar.*

a) *enska*, Angli, *B.* b) *omitt. B.* c) *Hárs und vaðom*, tegminibus Haris (lorica) tectus, *B.*

[2]) Constructio: *En heiptargjarn Eirekr ok hans synir flýði undan; harðráðr hersa mygir kom aldri síðan í land aptr.*

[3]) Constructio: *Kappsamr Hákon rèð nokkura hríð einn fyri konungdómi; tírar* a)*-gjarn var tuttugu* ok *sex vetr samt at landi.*

a) *trúar*, fidei, religionis, *B. C.*

15. Commisit hic rex
prœlium Fitis
cum Eiriki
hæredibus;
ubi bellator,
fugientibus instans,
brachium sagitta
percussus est[1].
16. Quod leve vulnus
alacri principi
cito, ut opinor,
necem attulit.
Eo quo rex
obiit loco semper
petra ex Hakone
denominatur[2].
17. Sed tumulo fortes
intulerunt viri
regem illum
Sæheimi,
quo facto ab
Haraldi filio
vita spoliato
digressi sunt[3].

---

[1]) Constructio: *Gramr háði gunni á Fitjum við erfivörðu Eireks; hilmir varð skotinn í hönd, þá er fólkmeiðr knáði* a) *flótta.*

a) *knúði*, id., *C.*

[2]) Constructio: *þat litið sár hygg ek brátt leiddi snaran lofðung til bana; þar* a), *er vísir dó,* (*er*) *hella ávallt kend til Hákonar.*

a) *var*, inserit *B, C.*

[3]) Constructio: *En Hauðar* a) *lögðu þann sikling í haug á Sæheimi; frœknir menn hurfu svá frá fjörvi rœntum Haralds arfa.*

a) *hauldar, B, C*, id.

18. Id ego audivi,
Haraldum, annonæ
infelicem, terram
et regnum capessivisse.
Grafeldus
Gunnildæ filius
novem annos
Norvegiæ imperavit[1].
19. Antequam Gormides
et Gullharaldus
cognominem suum
exanimarunt.
Princeps Halsi
ad meridiem
in Limafjordo
vita spoliatus est[2].
20. Imperiosus
Hakon dynasta
post Haraldi casum
Haris uxorem capessivit.
Is princeps Thundi conjugi
annos viginti
et tredecim
imperavit[3].

---

[1]) Constructio: *Ek hef heyrt, at úársæll Haraldr tœki þá jörð ok ríki. Gráfeldr Gunnhildarsun rèð níu a) vetr fyri Noregi.*

a) nimirum Sæmundus sex ultimos annos Haraldi (qui quindecim imperavit) Hakoni dynastæ annumerasse videtur; vide supra Vol. 1. pag. 106.

[2]) Constructio: *áðr en Gormssun ok Gullharaldr gerði nafna sinn at nái; siklingr var rœntr lífi suðr at Hálsi í Limafirði.*

[3]) Constructio: *Harðráðr Hákon jarl tók við Hárs vífi a) eptir Harald fallinn; sá tiggi rèð þundar beðju a) þrettán ok tuttugu vetr b).*

a) i.e. terram, regnum Norvegiæ. *b*) vide supra Vol. 1. p. 247.

21. Fatum infelix
in Gaulardalo
Eiriki pater
expertus est,
cum servus
Karkus caput
Hakonis cultro
præcideret[1].
22. Virorum gens,
rempublicam administrans,
optimo consilio
non aberravit,
quando ad boream
in Norvegia
virum christianum
regem crearunt[2];
23. Atque Olavus
Tryggvii hæres
copiis abundans
terras et cives accepit;
civium amicus,
qui paucis annis
quinque terras
christianas reddidit[3].

---

[1]) Constructio: *Æfilok Eiríks föður a) i Gaulardal urðu ei góð, þá er Karkr þræll meitti hattar stall af Hákoni* (með) *knifi.*

a) i e. Hakonis.

[2]) Constructio: *Rekka kind, sú er stýrði lögum, misti lítt hins bezta ráðs a), þá er tóku kristinn mann til konungs norðr í Noregi b).*

a) conjeci pro *ráð*. *b*) i.e. in boreali Norvegiæ parte, in Thrandheimo.

[3]) Constructio: *ok liðdrjúgr Ólafr, arfi Tryggva, tók lönd ok þegna; lofða vinr,* [*hinn er kristnaði fimm a*) *lönd á fám vetrum.*

a) *hefir fylkir kristnat þau*, rex christianas reddidit eas, *C.*

24. Olavus
omnino tantum
quinque hiemes
terræ præfuerat,
cum Eirikus
immensis copiis
eum principem
ad pugnam excivit[1].
25. Ea gladiorum procella
vehemens ac diuturna
fuit, antequam Serpens
penitus vastatus esset.
Homines eo loco, quo
Olavus cecidit,
sinum Svaldræ
postea vocarunt[2].
26. Fama nobilitatus
Eirikus dynasta
duodecim annos
terræ imperaverat,
cum princeps,
qui amicos ditavit,
per mare occidentale
e terra excessit[3].
27. Tum uva Eiriko
secta est prius

---

[1]) Constructio: *Ólafr var at eins fimm faðmins a) galla b) alls at landi, áðr Eiríkr beiddi þann ræsi rómu með ofrliði.*

a) *frænings*, id., *B.* b) *faðmins galli*, noxa serpentis, hiems.

[2]) Constructio: *Sú hrotta hríð var hörð ok lengi, áðr Ormr ryddist allr. Öld hefir kallat þar síðan Svaldrar vog, er Ólafr fèll.*

[3]) Constructio: *Tíri göfgaðr Eirekr jarl rèð tólf vetr fyrir Yggs mani a), áðr en lofðungr, sá er gæddi vini, fór or landi vestr um haf.*

a) Yggi amasia. i. e. tellus

quam iter Romam
princeps ingrederetur;
et sangvinis fluxus
prudenti dynastæ
necem attulit apud Anglos
in occidente[1].
28. Svein et Hakon
terras et mobilia
suo peculio
adseruerunt;
et duos annos,
computatione virorum,
Eiriki patrimonium
dynastæ tenuerunt[2].
29. Antequam rex
exigua cum manu
ab occidente
adveniret,
et Olavus dynastam
obvium haberet
in medio freto
Saudungensi[3].
30. Tum dynasta
regi coactus est
ea jurare, quæ
Olavus postulavit,
ut populi princeps,
relictis bonis avitis,

---

1) Constructio: *þá var skorinn úfr Eircks, áðr en ræsir hæfi Rómför; ok blóðrás leiddi vitran jarl til bana vestr með Englum.*

2) Constructio: *Sveinn ok Hákon taldi lönd ok lausafè sína eign; ok jarlar höfðu Eiriks arf tvá vetr, at tali fyrða* a):

a) *fíra,* id., *B.*

3) Constructio: *áðr konungmaðr kœmi í land með lítinn her vestan, ok Ólafr mætti jarli í miðju Sauðungs sundi.*

in exilio esset,
quoad viveret[1].
31. Olavus cum Sveine
dynasta ante Nesias
ad orientem acre
prœlium commisit.
Filius Hakonis, qui
paucitate militum laboravit,
victoria dejectus, e terra
profugere coactus est[2].
32. Olavus Crassus
gratia florens
territoria ad extremos
usque fines nactus est.
Celeber gnatus
Haraldi Grænlandici
quindecim annos
lapidosæ terræ imperavit[3].
33. Certandi cupidus
Knutus ille potens
splendidum aurum
multis colonis largitus est;
opibus haud pepercit
in viros, præfecturis
ornatos, conferendis,
ut regem proderent[4].

---

1) Constructio: *Hákon varð þá at sverja hilmi eiða þess, er Ólafr beiddi, at fólkbaldr a) skyldi flýja sin óðul til aldrslita.*

a) *fólksbaldr*, id., *D.*

2) Constructio: *Ólafr bauð Sveini jarli snarpa sókn austr fyri Nesjum. Liðfár sonr Hákonar varð at flýja lönd, sviptr sigri.*

3) Constructio: *Lofsæll Ólafr hinn digri fèkk einn lönd allt með ringum a). Hróðmögr Haralds hins grænska rèð fimtán vetr grýttri foldu.*

a) sic conjeci; *rinum F.* (forte in vetustiore codice scriptum *riŋū*, cum *ng* nasali abbreviato); *Rimum, D*; *eignum, C.*

4) Constructio: *Kappsamr Knútr hinn riki bar bjartan seim*

34. Kalvus ac Thorer,
amplis orti natalibus,
seditionem excitarunt
adversus principem.
Princeps Thrandorum
eo loco prostratus est,
qui Stiklastadi
nominatur[1].

35. Tum de sancto rege
eventu comprobatum est,
principem esse
Christo acceptum.
Stat in media
Christi æde
sanctum scrinium
supra Haraldi filium[2].

36. Deinde Svein,
filius Alfivæ,
sex hiemes
terræ imperavit:
ante quam Knuti
filius, amicorum
expers, e regno
fugere cogeretur[3].

---

und marga bændr: sparði litt auð við lenda menn, til þess at þeir velti a) jöfr b).

a) *vælti*, id., *B; vellti, D.* b) *jöfri, C*, qui *τὸ velti* a *velta*, in pervertendi notione, duxisse videtur.

[1]) Constructio: *Kálfr ok Þórir, vel kynjaðir, reisti a) her á móti hilmi. Fylkir þrænda var felldr, þar sem heita Stiklastaðir.*

a) *reisto*, in plur., *B, C;* sed altera ratio, etiam in prosa, frequens.

[2]) Constructio: *þá bar raun um a) helgan konung, at ræsir var kærr Kristi: heilagt skrín stendr yfir arfa Haralds i miðri Krists kirkju.*

a) *við, D.*

[3]) Constructio: *þá réð Sveinn Alfífu sonr fyri landi sex*

37. Unicus Olavi
regis filius præclarus
ab oriente
Gardis venit.
Magnus totam suam
paternam terram
et magnum imperium
consecutus est[1].
38. Magnus Bonus,
civibus utilis,
decem haud dubie
annos rex fuit;
ante quam morbo
dominus Sognensium,
rebus gestis clarus,
vitam amitteret[2].
39. Hic rex, cujus mors
omnibus luctuosa extitit,
eo est deportatus
ubi pater ejus quiescit.
Idem vir, regio ortus
sangvine, sepultus est
in æde Christi, quæ est in parte
septemtrionali Norvegiæ[3].
40. Jam recensui
decem imperatores,

---

snáka stríð a): áðr en vinalauss sonr Knúts varð at flýja af konungdómi.

a) ad verbum: molestia v. ærumna serpentum, i. e. hiems.

[1]) Constructio: *ágætr einkasun Ólafs konungs kom austan or Görðum. Magnús fèkk alla sína óðalsjörð ok mikit ríki.*

[2]) Constructio: *Magnús góði, þarfr mönnum, var tállaust konungr sex vetr: áðr Sygna drottinn, afreksmaðr, misti andar í sótt.*

[3]) Constructio: *Fylkir, harmdauðr hverjum manni, var færðr þar er faðir a) hans hvílir. Sá konungmaðr var grafinn at Krists kirkju norðr í Noregi.*

a) *feðr*, id, *B.*

quorum quisque
ab Haraldo descendit.
Horum imperii annos
ita demonstravi,
uti Sæmundus ille
polyhistor exposuerat[1].

41. Sed quod tractare
instituí, argumenti
multo major
pars residua est.
Nunc igitur
post hæc recensebitur
regii stemmatis
quod adhuc restat[2].

42. Relatum mihi est,
Haraldi quendam filium
Sigurdum Risium
olim appellatum esse.
Cujus Risii filius
Halvdan erat,
Sigurdus vero Porca
filius Halvdanis[3].

43. Mox Sigurdus et Asta
filium procrearunt,
qui nomen Haraldi
sortitus est.
Is perprudens rex
latæ terræ

---

[1]) Constructio: *Nú hefi ek talt þá tiu landreka, er hverr var frá Haraldi. Ek inta svá þeirra æfi, sem Sæmundr hinn fróði sagði.*

[2]) Constructio: *þó er eptir miklu meiri lutr þess máls, er ek hygg mæla. Skal nú því greiða þaðan af (þat) jöfra kyns, er enn lifir.*

[3]) Constructio: *Mér er sagt þat, at sonr Haralds forðum hèti Sigurðr rísi. Hálfdan var arfi Hrisa, en Sigurðr sýr son Hálfdanar.*

viginti annos
solus imperavit[1].
  44. Ante quam rex
nimia ausus
expeditionem
in Angliam fecit.
Angliæ incolæ
fratrem Olavi ad occidentem
in armorum tonitru
prostraverunt[2].
  45. Pacis studiosus
et annonæ felix
Olavus tranquillus regnum
hæreditarium accepit.
Qui rex terræ
lapidosæ continuos
septem et viginti
annos imperavit[3].
  46. Vehemens morbus
nimis cito adfuit,
Magni patrem
vita spoliaturus.
Etiam is princeps
in æde Christi,
quæ in emporio est,
sepultus fuit[4].

---

[1]) Constructio: *þá gat Sigurðr ok Ásta þann son, er átti heiti Haralds. Sá allvitr konungr rèð einn viðri foldu tuttugu vetr.*

[2]) Constructio: *áðr hilmir gerði með ofstopa herför til Englands. Enskir menn feldu Ólafs bróður í vápn þrumu vestr*

[3]) Constructio: *Friðsamr ok ársæll a) Ólafr kyrri tók til föðurleifðar. Sá gramr ræðr grýttri foldu samfast tuttugu ok sjö vetr.*

a) ástsæll, gratiosus, *B.*

[4]) Constructio: *Mikil sótt kom ofbrátt at ræna Magnúss föður öndu. Sá öðlingr var enn grafinn at Krists kirkju í kaupangi.*

47. Olavo vero Tranquillo
gnatus fuit
strenuitate et
liberalitate insignis.
Magnus, secundum
computationem virorum,
decem annos
terræ imperavit[1].
48. Audivi, Magno
Nudipedi multos
liberos fuisse
dignitate claros.
Hujus principis,
ad res præclaras promti,
quinque filii
reges fuerunt[2].
49. Disertus, juvenis
rex Magnus
in Hiberniam
bellatum ivit;
in quo telorum
volatu eximius
Eysteinis pater
dejectus est[3].
50. Tum dicuntur
tres monarchæ

---

1) Constructio: *En Ólafr enn kyrri átti fræknan ok fjárgóðan son: Magnús rèð tíu vetr fyri Yggjar mani, at tali fyrða a).*

a) *fira*, id., *B.*

2) Constructio: *Ek frá, at Magnús berfættr ætti a) mörg börn, þau er höfðu metorð. Fimm konungar voru synir þess fremdarfljóts þengils.*

a) *átti, D.*

3) Constructio: *Málsnjallr, ungr Magnús konungr fór til Írlands at herja; ágætr Eysteins faðir varð felldr í þeirri fleina flaug.*

una terræ
imperavisse.
Id inaudivi,
his præstantiores
fratres in terris
vix exstitisse[1].
51. Bonus ille, juvenis,
omnibus amatus
Olavus primus
vitam amisit.
Quo Magni
filio brevi
tempore frui
civibus contigit[2].
52. Plurima publicæ
utilitati inservientia
rex Eystein
in regno effecit;
donec cordis dolor
strenuo regi
admodum subito
mortem attulit[3].
53. Hi ambo fratres
terra conditi sunt
in ripa Nidæ,
boreali regni parte.

---

[1]) Constructio: *þat er sagt, at þrír þjóðkonungar réði þá saman fyri landi; þat hef ek heyrt, at varla hafi fremri bræðr komit á fold.*

[2]) Constructio: *Ungr lofsæll Ólafr hinn góði varð fyrstr at missa líf; skatnar máttu skamma stund njóta þess sunar Magnúss.*

[3]) Constructio: *Eysteinn konungr gerði flest þat innan a) lands er gegndi frama; unz hjartverkr leiddi fræknan hilmi brigða b) brátt til bana.*

a) innaz, D. b) heigða, D.

Quo loco sublime stat
Olavi scrinium
super altari
in æde principali[1].
54. Sigurdus autem
horum trium
fratrum longe
diutissime vixit.
Eum dico, qui
celeberrimum iter
Hierosolymam
e regno suscepit[2].
55. Eximius Sigurdus
undecim annos
atque sedecim
regno præfuerat,
cum exitialis
morbus letalis
dominum Mœrensium
vita spoliavit[3].
56. Hujus principis
funus Osloæ
ad orientem
loculo inditum est.
Recens terra viret
super regis ossibus
in Halvardi
sublimi æde[4].

---

[1]) Constructio: *Báðir þeir bræðr eru lagðir í grund norðr á Niðarbakka, þar Ólafs skrín stendr hátt yfir altari í höfuðkirkju.*

[2]) Constructio: *En Sigurðr lifði sýnu lengst þeirra þriggja brœðra: hinn er fór frægsta för ur landi út til Jórsala.*

[3]) Constructio: *Ágætr Sigurðr rèð fyrir a) ríki sextán ok ellifu vetr, áðr mannskæð banasótt bryg ði lífi Mæra drottins.*

a) *omitt. B, C,* eodem manente sensu.

[4]) Constructio: *Lík þess lofðungs er lagit a) í kistu austr*

57. Sed et filius,
moræ impatiens,
et filia Sigurdo
supervixerunt.
Quæ filia
Dalensium regis
aliquanto post
commemorabitur[1].
58. Nunc ita est, ut
ad extremum finem
incipiat vergere recensus
de exitibus principum.
Filio Sigurdi
vindictæ cupido
Magno nomen erat,
fratri autem Haraldo[2].
59. Hi propinqui cognati
valde turbulento
imperio in
Norvegia usi sunt.
Omnia pejus cessere,
quam oportuerat;
quod multorum civium
incommodo accidit[3].

í Oslo bæ. Ný b) jörð grær yfir c) beinum jöfurs at hárri Hallvarðs kirkju.

a) lagt, id., *D.* *b)* forte rectius *ny=nú*, ɔ: *ny grær jörð*, nunc terra viret *&c.* *c) omitt. D.*

1) Constructio: *En bæði lifði eptir Sigurð biltrauðr a) sonr ok dóttir. Dóttir þess Dæla hilmis mun enn nefnd þokkum b) síðar.*

a) biltrauðs, C. *b) þöckum, D; þo cum, B.*

2) Constructio: *Nú er svá, at heldr tekr halla, at telja æfilok jöfra. Heiptargjarn mögr Sigurðar hèt Magnús, en bróðir Haraldr.*

3) Constructio: *þeir nánir a) frændr höfðu mjök rógsamt*

60. Donec Magnus
utrumque perdidit
sine honore
victoriam et sanitatem.
Cuique notum est,
Haraldum Gillium
sex continuos annos
regem imperavisse[1].
61. Antequam homines
inhoneste
regem de medio
sustulerunt.
Hic regum frater
in æde Christi,
quæ Bergis est,
sepultus fuit[2].
62. Audivi, filios
Sogniensium principis
post mortem regis
regnum tuendum suscepisse.
Eystein fuit
frater Ingii
ad pugnam promtus,
alter vero Sigurdus[3].

---

riki i Noregi. Allt fór verr, en vera skyldi; margr galt þess á meðal þeirra.

a) náir, D.

¹) Constructio: *Unz Mngnús misti beggja sæmdarlaust a), sigrs b) ok heilsu. Þat veit hverr, at Haraldr gilli var konungr sex vetr samfast.*

a) sigurslaust, C. b) sæmðar, C.

²) Constructio: *áðr en fyrðar tóku lofðung tirarlaust af lífdögum. Sá bróðir jöfra er jarðnðr at Krists kirkju i Björgin.*

³) Constructio: *Ek frá, at synir Sygna grams tæki landvörn eptir liðinn ræsi. Sóknar snarr Eysteinn var bróðir Inga, en Sigurðr annar.*

63. Eorum celebre
imperium
haud diu pace
fruebatur.
Hi enim fratres,
fœderibus violatis,
alter in alterius
cædem ruebat[1].
64. Haud periculo caruit res,
cum Sigurdum,
strenuum virum,
vita spoliarant.
Is Bergis
apud patrem suum
compositus
humo tegitur[2].
65. Eystein ab regione
sinus in orientem versa
vita spoliatus est
ab Ingii militibus.
Qui rex, anima cassus,
in orientali regione
conditus humo
nunc Fossi quiescit[3].
66. Imperium Ingii
continuo duravit
annos octodecim
insuperque septem,
donec Hakon

---

1) Constructio: *þeirra frægt ríki náði þeygi standa lengr í friði: þvíat þeir bræðr, er brutu særi, bárust banaspjót eptir.*

2) Constructio: *Varat saklaust, þá er höfðu ræntan fjörvi Sigurð, frækinn mann; sá er búinn, at liggja í fold hjá feðr sínum í Björgin.*

3) Constructio; *Eysteinn var ræntr lífi austan fjarðar af liði Inga. Nú er sá andar sparr gramr ausinn grundu austr at Forsi.*

adductis copiis
Ingium in Vika
ad orientem prostravit[1].
67. Qui prœlio audax
princeps Osloæ
humo contectus est
in æde principali.
Hakoni vero
brevi tempore
regno et civibus
imperare contigit[2].
68. Nam Erlingo
Skakkio fuit
filius bonæ spei
et amplis natalibus.
Kristinæ gnato
post obitum Ingii
regium nomen
cives dederunt[3].
69. Atque Magnus
honoris cupidus
ad boream in Mœria
Hakonem prostravit.
Qui rex, amicis florens,
consecrata humo
contectus est
in Romsdalo[4].

---

1) Constructio: *Inga ríki stóð einart átján vetr ok aðra sjö: unz Hákon felldi Inga austr í Vík með herliði.*

2) Constructio: *Sá gunndjarfr gramr er huldr hauðri at höfuðkirkju í Oslo; en Hákon hlaut litla stund at ráða landi ok þegnum.*

3) Constructio: *Því at Erlingr enn skakki átti vænan ok velborinn son. Lands fólk a) gáfu Kristínar bur konungs nafn eptir liðinn Inga.*

a) menn, id., *C.*

4) Constructio: *Ok fremdar gjarn Magnús felldi Hákon*

70. Audax prœlio
Kristinæ filius
septemdecim annos
[continuos?] imperavit:
donec eximius Sverrer
fortem illum regem
in Sognio
prostravit[1].

71. Funus Magni
pugna audacis
Bergis nunc est
conditum sepulchro
in æde sacra,
ubi splendide ornatum
stat scrinium Sunnevæ,
auro distinctum[2].

72. Jam constat,
bellicosum Sverrerem
solum toti
imperare regno,
quod tenuit
possessione
progenies Haraldi
Halvdanis filii[3].

---

norðr á Mæri. Sá vinsæll ræsir var huldr vigðri a) moldu í Raumsdali b).

a) *vígðu, D.* b) *Rómsdali, D.*

[1]) Constructio: *Sókndjarfr sun Kristínar var konungr sjötján vetr [í samt*): unz ágætr Sverrir felldi frækinn gram a) austr i Sogni.*

a) sic *D*; *gramr, F.* *) h.l. legendum puto *ok sex*, ɔ: Magnus imperavit 23 annos ab anno 1161, quo rex creatus est.

[2]) Constructio: *Nú er lík gunndjarfs Magnúss lagit í gröf í musteri á Björgin, þar er skrautgjört skrín Sunnifu stendr gulli búit.*

[3]) Constructio; *Nú er þat sýnt, at ógnar aurr Sverrir ræðr einn fyri öllu því ríki, er kyn Haralds Hálfdanssunar hefir átt.*

73. Adhuc tamen
aliquanto plura
de liberis referam
Nudipedis,
ejus regis,
qui neque ignem
neque ferrum
timuerat unquam[1].

74. Uni regis filiæ
Thoræ nomen erat,
quæ illustri
viro nupserat.
Ea regum soror,
quæ Jonem peperit,
præ ceteris omnibus
filio beata fuit[2].

75. Regia filia,
liberali animo
generosoque prædita,
in terram venit
Glacialem
fausto tempore
præsertim incolis
Islandiæ[3].

76. Nam patrem
comitatus est

---

[1]) Constructio: *þó skal [ek enn a) segja þokkum b) fleira frá börnum Berfætts, þess öðlings, er aldrigi hafði óttazt eld nè járn.*

a) *noekvat*, nonnihil, *B.* b) *þrifnum*, gnavis (ɔ: viris), *B.*

[2]) Constructio: *Ein dóttir döglings hèt þóra; sú var gipt göfgum manni. Sú systir jöfra, er fæddi Jón, var helzt allra sonsæl.*

[3]) Constructio: *ráðvönd, göfuglynd ræsis dóttir kom til nykra-borgar næfrlands a) góðrar tíðar, allra helzt Íslendingum.*

a) circumscriptio Islandiæ: *nykr*, hippopotamus, *nykra borg*, arx hippopotamorum, fluvius, ejus *næfr*, cortex fluvii, glacies.

regum sororis
unicus filius:
virorum amicus
generoso animo,
qui omnium hominum
laudes promeritus est[1].

77. Etiam certum est,
Jonem, animo
sincero præditum,
omnium maxime
æstimari,
quando insignes
viri litibus
inter se certent[2].

78. Itaque nullus,
quantumvis potens,
cum cognato regis
contendere vult.
Auri distributorem
gratia florentem
fortuna, uti est
verosimile, adjuvat[3].

79. Hujus pater
a plurimis hominibus
liberalis ac doli expers
existimatus est.

---

1) Constructio: *þviat honum at-fylgdi hugrakkr einkasonr jöfra systur, hjartaprúðr, ita a) vinr, sá er hefir orðlof allra b) fira.*

a) i. e. *ýta.* *b*) ex correctione; *alla, F.*

2) Constructio: *þat er ok víst, at metorð einarðlynds Jóns verða mest mistar runna a), þar er merkismenn eigust við, (at skipta málum).*

a) *runa C.*

3) Constructio: *Nú vill engi afreksmaðr deila kappi við konungs frænda; vinsæll vella deilir verðr giptu drjúgr, sem glíkt er.*

Loptus neminem
sibi inimicum
natum novit
sub nubium lacunari[1].
80. Sæmundus vero
Sigfusis filius
sua semper præstantiæ
conscius erat:
Lopti genitor,
quem homines judicarunt
excellentissimum
in omnibus rebus[2].
81. Ea regum progenies
omni familiæ
Oddicolarum
ornamento fuit:
Magni regis
ex sorore nepos
qui multa ob merita
quotidie collaudatur[3].
82. Supra recensui
fere triginta
nobiles viros
honore gaudentes,

---

[1]) Constructio: *Flestum mõnnum þótti faðir hans aur ok úsvikall a); Loptr vissi sín b) engan úvin fæddan undir lofi c) skýja.*

a) úsvikull, id., *B, C*; *úsinkall* non parcus, *D.* *b)* pro *sèr* (nisi legendum sit *sinn*). c) id. q. *lopti*, tabulato.

[2]) Constructio: *En Sæmundr Sigfúss sonr vissi jafnan sína snilli: faðir Lopts, sá er firum þótti hõfuðsmaðr um a) alla hluti.*

a) við, D.

[3]) Constructio: *þat jõfra kyns hefir prýdda alla ætt Oddaverja: margnýtr dótturson Magnúss konungs, sá er fremst dõgum optar.*

qui omnes reges
sine controversia
Jonem adtingunt
cognatione[1].
83. Jam Christum oro,
ut regis amico
fortuna beato
omnia contingant,
quæ sibi optaverit,
ab ipso Deo,
omnemque per ætatem
voluptate fruatur[2]!

[1]) Constructio: *ek nefnda áðr nær þrjátigi tigna menn, gædda tíri, en allir þeir jöfrar eru þrætulaust Jóns ættar.*

[2]) Constructio: *Nú bið ek Krist, at giptu drjúgr konungs spjalli hafi af sjálfum guði allt þat, er hann æskir sèr, ok njóti unaðs allan aldr!*

CHRONOLOGIA.

A Sverrere, N. R., ad decimum annum imperii regis Magni Hakonis f., Legum emendatoris (1151—1273).

1151. Nascitur Sverrer, postea R. N.

1156. Sverrer quinquennis a Norvegia in Færoas concedit, ubi ab episcopo Roio[1] literis imbuitur et sacerdos inauguratur.

1175. Sverrer, 24 annos natus, de paterno genere a matre edocetur.

1176. Sverrer in Norvegiam redit, quum jam Eystein Meyla rex creatus fuisset, itaque post 8. Septembr. (8, 15). In Selia aliquamdiu moratus, Tunsbergum, inde Kongelam, mox Ljodhusa ad Birgerem Brosam venit die 22. Decembr., ibique festum jolense agit.

1177. Post festum jolense Hamarem in Vermalando transit ad sororem Ceciliam; audit Eysteinem (prœlio Reensi) cecidisse[2] (8, 18). Prima dominica ante jejunium longum Birkibeinorum factionis coryphæus fit (8, 24). Proximo die Jovis Hamare proficiscitur (8, 27), et in Vikam descendit; prima dominica longi jejunii rex salutatur (8, 28). In Vermalandum redit, ibid. Mox in Thrandheimum profecturus, cum ad silvam Eidensem venisset, lustratis copiis, in Vermalandum redit, ubi festum paschale agit (8, 29—30).

[1]) Roium episcopum Færoensem inauguratum esse anno 1162, testatur Sturl. hist. lib. 3. p. 114. [2]) Hujus casum hist. Sturl. 3, 116 refert ad annum 1176.

Post hebdomadem festi paschalis, ad mare Balthicum conversus, saltu 12 mill. superato in pagum Ækensem venit; inde saltu 12 mill. trajecto, in pagum Molungum; inde saltu 15 mill., in Jarnberiam; hinc saltu 18 mill., in Herdalos; inde saltu 38 mill., in Jamtiam (8, 30—32).

Nocte diem Veneris præcedente ante festum Pentecostes Nidarosum (8, 35) venit; in lacum Selasjo, montem Vatsfellum, et Soknadalum cedit (8, 36—7). Trajecto amne Göla, fugatis oppidanorum copiis captoque vexillo Sti. Olavi, oppidum intrat. Comitiis Eyrensibus rex creatur. Gesta ejus in Gudbrandsdalis (8, 42), Hadalando (43), Heidmarkia (45).

Descendit in Sognum, Bergas petiturus; angusto calle superato in Leradalum venit. Inde in Vorsiam profecturus, pridie festum omnium Sanctorum (8, 52) suos tempestate perculsos confirmat. Valdresiam convivando obit. Inde in Gudbrandsdalos revertitur, Steigæ 14 dies moratus, Thorgrimum Heidmarkensem opprimit; in Dalos orientales venit 20. Decembr. (8, 58), ibique festum Jolense agit.

1178. Post festum jolense (8, 60) Sverrer, ab Erlingo impetitus, in Vermiam concedit, domum Simonis in Vika diripit, eumque rapinas ulturum ad Gothalbim fugat (8, 62). Kongelæ et Ljodhusis paucas noctes moratus in Vermiam redit; inde per Jarnberiam (64), Helsingiam (65), Jamtiam (66) in Nömudalum descendit (69). Oppidum Nidarosum adoritur, pulsus in Oplanda cedit (73). In Vika pugnat cum rege Magno Erlingi f. et Ormo ad Hirtæ pontem (79), et victoria potitus, per Römarikiam primo Ljodhusa, dein Kongelam venit. Autumno Heklungos, regis Magni milites, in Thrandheimo opprimit (82).

1179. Vere in Mœriam proficiscens incidit in classem Magni regis, et miraculo Olavi Sti. elabitur. Inde

Nidarosum se confert; adventu hostium relictis navibus, amnes Nidam et Gölam trajicit. Mox reversus in oppidum, cum rege Magno et Erlingo pugnat; cadit Erlingus (19. Junii, sec. Necrolog. Isl.). Rex Magnus Bergas fugit. Sverrer Nidarosi hiemem agit.

1180. Vere rex Magnus classe Nidarosum venit. Die Martis ante festum Ascensionis proximo pugna inter regem Magnum et Sverrerem in campis Ilæis (8, 114); fugiunt Heklungi. Rex Magnus in Daniam ad regem Valdemarem cedit, ibique per æstatem sequentemque hiemem se continet (8, 122). Sverrer pridie festi Sti. Petri (et Pauli), ɔ: 28 Junii, Bergas se recipit, ibique hiemem agit (122, 128).

1181. Secunda hebdomade longi jejunii, die lunæ, tumultus colonorum Bergis (8, 123). Procedente longi jejunii tempore Ormus regis frater in Daniam ad regem Magnum proficiscitur (128). Paulo post festum paschale Sverrer Bergis in Vikam profectus, incidit in regem Magnum a Dania advenientem in freto Saltoensi (128), unde elapsus hebdomade proxima ante festum pentecostes Bergas redit (132), ibique aliquantum temporis moratur. Proximo die Solis post festum pentecostes (132) prœlium navale ad Nordnesum inter regem Magnum et Sverrerem; rege Magno pede vulnerato, Heklungi fugiunt; Ormus regis frater ægre elabitur (142). Rex Magnus Stavangriam se recipit, hortatuque Eiriki episcopi Bergas navigat, cujus adventu cognito Sverrer Nidarosum se confert. Eodem vere (148) Eirikus Sigurdi filius, frater Sverreris, gestato candenti ferro a Sverrere agnoscitur. Rex Magnus, festo Olavi posteriore (3. Augusti) Nidarosum venit (151), frustraque tentata pace Bergas redit (158), ibique hiemat (159). Sverrer in Vikam ad lacessendos Heklungos profi-

ciscitur; rex Magnus Nidarosum paulo ante festum Martini (11. Novembr.) venit, Birkibeinos profligat (160), classem Sverreris partim capit, partim incendit, Bergas hiematum redit (166). Sverrer Osloæ hiemat (168).

1182. Rex Magnus post festum jolense Bergis (169), Sverrer post festum Candelarum Osloa (168) in Thrandheimum proficiscuntur; ille, Birkibeinis in oppido oppressis, hujus adventu Bergas refugit (179). Sverrer oppidum Nidarosi vere communit (177). Proxima æstate (178) rex Magnus Sverrerem ad Nidarosum aggreditur, sed repulsus proximam hiemem Bergis agit, Sverrer Nidarosi hiemat (180).

1183. Hieme Sverrer arcem Steinbjargis educit, quo initio longi jejunii concedit, ibique plurimum veris residet; eadem hieme Mariosudam inchoandam curat 180—1). Thorgils, præfectus Sverreris, a Vidkunno interfectus. Cædes Vidkunni (184). Proxima æstate (185) Sverrer regem Magnum Bergis opprimit et fugat, classem ejus et regni insignia capit. Eadem æstate (193) Eystein Archiepiscopus ab Anglia redit, tribus annis in Anglia peractis, quocum Sverrer in gratiam redit. Rex Magnus in Daniam ad regem Valdemarem fugit (194), ibique hiemem agit (203). Sverrer autumno (194) in Thrandheimum concedit ibique hiemat. Autumno (195) Mariosudam deducit. Vespere festi jolensis (194) Sognenses interficiunt præfectos Sverreris.

1184. Vere post festum paschale (198) Sverrer e Thrandheimo solvit; paucis Bergas præmissis, Sognenses rapinis et incendiis vexat. Rex Magnus, a Dania profectus, vere, die dominica post festum paschale proxima (201) Kongelam venit, ubi 3 hebdomadibus peractis Tunsbergum adit; hic dimidium mensem moratus (206), auxilia et favorem incolarum conci-

liat; unam hebdomadem Unnardysæ in Listio moratur (ibid.). Birkibeinos Bergis expellit, Sverrerem in Norafjordo deprehendit: Pugna Sognensis festo Sti. Viti (15. Junii), 228; cadit rex Magnus; rex Sverrer, victoria potitus, totius Norvegiæ rex fit, 7 annis post sumtum regium nomen, 5 post obitum Erlingi (244).

1185. Rex Sverrer Margaretam, Eiriki Svionum regis filiam, ducit (244). Autumno in Vika factio Kuflungorum oritur (245). Kuflungi Tunsbergi et Bergis grassantur, arcemque Bergarum per hiemem obtinent (246).

1186. Kuflungi in Vikam recedunt (247). Vere post festum paschale (248) rex Sverrer Nidaroso Bergas venit, turbasque ibidem nimia temulentia ortas severa oratione castigat; autumno in Thrandheimum revertitur ibique hiemat (253). Eodem autumno Kuflungi e Vika profecti (253), Birkibeinos Nidarosi invadunt, naves Sverreris capiunt, Bergas revertuntur (255).

1187. Proximo vere (255) Jon Kuflungus in Thrandheimum navigat, nullaque re gesta Bergas revertitur. Idem ejusdem anni æstate (256) Sverrerem oppressurus, multis amissis repellitur. Kuflungos insecutus Sverrer Tunsbergum se recipere cogit.

1188. Eystein Archiepiscopus postridie festum Pauli (26. Januarii) obit (258). Proximo vere (259) rex Sverrer Bergas venit, multumque æstatis ibi agit. Electus Eirikus Archiepiscopus eadem æstate Romam proficiscitur. Rex Sverrer Kuflungos Tunsbergo ejicit, qui in partes boreales profecti, paulo ante festum Michaelis (260) Nidarosum veniunt, arcem ligneam expugnant, Jonem Kuflungum regem salutant, arcem Sionem deditione accipiunt, oppidanis pecunias vi extorquent, navem Islandicam, Stangarfolium, diri-

piunt, et Bergas revertuntur. Paulo ante festum Jolense (263) Jon, rex Kuflungorum, oppressus a Birkibeinis Bergis interficitur.

1189. Proxima post cædem Jonis Kuflungi æstate (266—7) cadit Sigurdus Brenner (Hedin Thorgrimi f., Islandus). Eadem æstate (267) Eirikus Archiepiscopus inauguratus Roma advenit; dissidia inter eum et regem Sverrerem orta. Obit Havardus dynastæ filius (268). Nicolaus Arnii filius fit episcopus Osloensis (269). Initia Varbelgorum (273).

1190. Factio Varbelgorum a Tunsbergianis oppressa (273—4). Obiit Eirikus Sigurdi f., dynasta (275).

1191. Thorleivus Breidskeggus, homo factiosus, occiditur (276). [Eirikus Archiepiscopus, relicta cathedra, in Daniam ad Archiepisc. Absalonem concedit (280).

1192. Octo annis post mortem regis Magni Erlingi f. (281) Olavus dynastæ affinis Sigurdum Magni Erlingidæ filium in Hjaltlandiam abducit, factionemque Eyarskeggorum (Insulanorum) instaurat, ab Orcadensibus adjutus.

1193. Factio Insulanorum in Norvegiam trajicit. Sigurdus Magnæus Tunsbergi rex creatur. Osloam concedunt, Vikam subigunt. Difficultate rei pecuniariæ pressi in Daniam usque ad Travam fluvium navigant, prædaque aucti in Norvegiam autumno veniunt. Sverrer, missis a Thrandheimo copiis, eos adoritur; cedunt Birkibeini. Insulani vergente autumno Bergas se conferunt, ibique hiemant. Obiit Thorlakus Sanctus (297).

1194. Rex Sverrer vere, tempore longi jejunii, Bergas proficiscitur, eoque venit pridie dominicæ Palmarum (285, 287). Obiit Paulus, episcopus Bergensis (287). Pugna Floruvogensis: cadunt Sigurdus Magnæus et Olavus. Rex Sverrer, reliquias factionis extincturus, paulo post festum paschale (294) Kongelam venit;

legatum papæ frustra ad se coronandum hortatus ejicit regno. Bergas reversus Martinum episcopum Bergensem inaugurandum curat (296). Rex Sverrer Bergis festo Petri et Pauli (29. Junii) inauguratus et coronatus (297). Rex Osloæ hiemat, (ibid.). Paulus Jonis Loptidæ filius, episcopus Skalholt. electus, Nidarosi hiemat, (ibid.).

1195. Paulus Jonæus, episcopus electus, vere regem Sverrerem Osloæ convenit, inde in Daniam proficiscitur, ubi ab Archiep. Absalone inauguratur; insequenti æstate Bergas venit. Conventus episcopalis, jubente rege, Bergis habitus: legati Romam missi: pacificatio inter regem Sverrerem et Haraldum dynastam Orcadensem. Alexius (4tus), Græcorum imperator, auxilia a regibus Norvegiæ, Daniæ et Sveciæ petit (301). Obiit Knutus, Sveciæ rex, succedente Sörkvere Karlis filio (302). Proxima hieme legati a Papa unacum Cardinali Romano revertentes subito morbo obierunt, (ibid.).

1196. Oritur factio Baglorum (304). Quos cum rex Sverrer frustra in Semsfjordo observasset, Nidarosum ad hiemandum concessit (310). Bagli, creato in comitiis Borgensibus Ingio Magni Erlingidæ filio, Vikam et Oplanda in potestatem redigunt; Ivar Skjalgius, episcopus Hamarensis, inauguratus, (ibid.).

1197. Rex Sverrer post festum jolense (311) copias evocat; Bergas venit festo Halvardi (15. Maii), ubi ad festum Margaretæ (20. Julii) moratus (311), Osloam contendit (314), festo Jacobi, ɔ: 25 Julii, (314) prœlium cum Baglis committit, in quo victor navibus Baglorum et ingenti præda potitur, ibidemque dimidium mensem moratur (322). Bagli Nidarosum se recipiunt, arcem Steinbjargensem deditione acceptam incendunt (324), multos Birkibeinorum interficiunt; quo facto in Oplanda revertuntur. Rex Sverrer colonos, con-

ventu Fyrilevæ habito, accusat, Albi, multat; Osloam reversus, Baglos observat. Tunsbergum delatus, Hidium fratrem contra Baglos mittit; quo a Baglis oppresso, hostes ad fluvium Beviam assecutus, naves eorum capit; Bergas reversus, ibidem hiemat (331).

1198. Cædes et rapinæ Baglorum in Thrandheimo; Nidarosum capiunt die 29. Januarii (? 333); Ingio regium nomen datum. Sverrer Bergis proficiscitur: 7 diebus ante festum Halvardi (334), = die 8. Maii, prœlium cum Baglis ad rupes Thorianas committit. Sigurdus, Erlingi Skakkii filius, castellum Bergense frustra oppugnat. Prœlium in campis Jonæis prope Bergas: Vigilia Laurentii (359), ɔ: 9. Augusti, incensum a Baglis oppidum Bergarum. Velitatio inter Baglos et Birkibeinos Bergis prope ædem Olavi in festo Mariæ (363), = die 15. Aug.; Sverrer Bergis in Thrandheimum redit. Karl, regis Sorkveris filius, gener Sverreris regis, a Baglis interficitur. Hoc autumno cadit Richardus Angliæ rex[1], succedente Jone sine terra. Rex Sverrer Nidarosi hiemat (370).

1199. Post festum jolense (370) rex Sverrer naves imperat. Vere, tempore Pentecostes (373), Bagli et Birkibeini ad Nidarosum confligunt; episcopus Nicolaus ægre elabitur. Die Veneris post festum Botolvi proximo (381), ɔ: die 22. Junii, prœlium navale in pelago Strindensi (386): rex Baglos fundit fugatque, et in Daniam fugientes usque ad Lessoam persequitur; in Vikam redux æstatem ibi agit, autumno Osloam hiematum concedit (391). Initio festi Jolensis Bagli a Dania reversi Osloam veniunt (392)

1200. Nocte undecimam festi jolensis feriam antecedente (394), ɔ: die 3. Januarii, Philippus dynasta a Baglis Akri interficitur. Insurrectio colonorum adversus Sverrerem, tempore Longi jejunii (396); quibus

[1]) Richardus, Henrici 2. filius, Angliæ rex, obiit die 6. Aprilis 1199.

prope Osloam debellatis, rex pridie festi Paschatos Bergas venit (416), ibidemque, post aliquot cum Baglis velitationes et direptis colonis, hiemat (425).

1201. Vere (426) contractis copiis rex Sverrer arcem Tunsbergensem a Baglis occupatam per viginti hebdomadas obsidet (443).

1202. Vergente festo jolensi (440) arx Tunsbergensis in deditionem accepta. Quo facto rex Sverrer Bergas venit tempore jejunii (443), jam tum in morbum implicitus, quo obiit octavo id. Mart. (446, 448), duodeviginti annis post obitum regis Magni Erlingidæ, cum imperaverat annos viginti quinque (448). Obiit Knutus, R. D., succedente fratre Valdemare. Obiit dynasta Byrger Brosa; Jon, regis Sörkveris filius, dynasta creatus et rex designatus, tum anniculus (ibid.).

Proxima æstate Hakon Sverreris filius rex creatur (9, 1). Ingius, Baglorum rex, a suis in lacu Mjorso interficitur (9, 2). Bagli partim in Sveciam, partim in Daniam dilabuntur. Rex Hakon magnam partem æstatis in Vika agit (9, 2); autumno in Thrandheimum redit (9, 217). Gudmundus Arii filius, electus episcopus Holanus, in Norvegiam venit (9, 3). Rex Nidarosi hiemat (9, 217).

1203. Vere, post festum paschatos (9, 218), rex Hakon Bergas, inde in Vikam, et ad Albim usque proficiscitur; revertens Osloæ moratur; autumno Bergas hiematum concedit (218). Factio Bagliana Erlingo Steinveggo imperium frustra offert. Festo jolensi rex Hakon acuto morbo corripitur (9, 4).

1204. Obit rex Hakon Sverreris f., die 1. Januarii (4). Die 3. Jan. (77) Guttormus, Sigurdi Lavardi f., rex creatur. Consilio Nicolai episcopi et auctoritate Valdemaris, Daniæ regis, Erlingus Steinveggus rex, Philippus Simonis filius dynasta a Baglis designantur

ante festum Botolvi (17. Junii), et post festum Joh. Baptistæ creantur comitiis Borgensibus. Hac æstate obit rex Guttormus in Thrandheimo (7).

Comitiis Eyrensibus rex creatur Ingius Bardi filius, Hakon Galinus dynastæ titulo ornatur. Autumnus, Ballistæ (*maungu*) dictus (10). Birkibeini in Thrandheimo, Bagli in Vika se continent (11). Natus Hakon Hakonis filius, postea N. R., in provincia Borgensi (9, 229).

1205. In comitiis Hogensibus et Borgensibus Ingius rex, Hakon dynasta creantur (13). In comitiis Oranis Erlingus rex, Philippus dynasta creantur (15). Bagli Osloæ hiemant, rex Ingius Nidarosi, Hakon dynasta Bergis (16).

1206. Hakon Hakonis filius, postea N. R., a Birkibeinis ad regem Ingium Nidarosum deportatur (233). Bagli, 22 celocibus ædificatis, post festum paschatos, Birkibeinos Nidarosi opprimunt; rex Ingius ægre elabitur. Bagli, Thrandheimo et Bergis ab Hakone dynasta expulsi, Tunsbergi, rex Ingius et dynasta Nidarosi hiemant (33). Obiit Haraldus Maddadi f., dynasta Orcadensis, succedentibus filiis Jone et Davide (193).

1207. Paulo post festum jolense obit Erlingus Steinveggus, rex Baglorum (34). Philippus dynasta a Baglis rex creatur (36). Obiit Philippus Vegginiensis (ibid). Bagli arcem Bergensem capiunt et diruunt (42); Philippus comitiis Oranis rex creatur. Annonæ caritas in Thrandheimo (48). Rex Ingius et Hakon dynasta Nidarosi, Bagli Tunsbergi hiemant (49, 51).

1208. Bagli et Birkibeini pacem in Hvitingsoa faciunt (52). Philippus Kristinam, regis Sverreris filiam, despondit (53). Ingius Bergis hiemat. Rex Sörkver et rex Eirikus Lenis confligunt (56).

1209. Bjarnius, episcopus Orcadensis, legatus in Norvegiam venit (193). Nuptiæ Philippi, Baglorum regis, et Kristinæ Sverreris filiæ. Pars Baglorum et Birkibeinorum piraticæ faciendæ causa in Hebudes proficiscuntur (54). Petrus Steyper et Reidar Hierosolyma navigant (192).

1210. Jon et David, dynastæ Orcadenses, cum Bjarnio episcopo in Norvegiam profecti, cum rege Ingio reconciliantur.

1213. Skulius Bardi f., frater regis Ingii, Paulum aulæmagistrum e medio tollit (207).

1214. Hieme, statim post festum jolense, obit Hakon Galinus dynasta (207). Proxima æstate obit Thorer Archiepiscopus, succedente Guttormo (209). Ingius rex, morbo tentatus, revalescit (246); cum Thrandis ad Vagsbruam confligit (æstas Vagsbruensis, 248).

1217. 23. Aprilis obit rex Ingius Bardi filius. Skulius dynastæ titulo ornatur. Hakon Hakonis filius (Senior dictus) rex creatur, tum tredecim annos natus (250). Conventus Gulensis, festo Selianorum, ɔ: 8. Julii (259). Skulio dynastæ tertia pars regni Norvegici concessa. Obit Philippus, Baglorum rex (267). Factio Slittungorum orta. Sæmundus Jonis filius, Oddensis, Norvegos Eyris in Islandia diripit (276).

1218. Bagli cum Slittungis confligunt ad Gunnarsbæum (272). Slitungi Osloam diripiunt (274). Inga, mater regis Hakonis, ferrum candens gestat ad probandum genus paternum filii (283). Bagli se in potestatem regis Hakonis dedunt (286). Rex ac dynasta Slittungos ex Osloa et Lacu Insulari ejiciunt. Cædes Ormi Jonæi, fratris Sæmundi Oddensis (292). Snorrius Sturlæus in Norvegiam venit, (ibid.).

1219. Vere rex Hakon et Skulius Tunsbergo Bergas se conferunt, ibique æstatem transigunt. Sub festum Mariæ Nidarosum proficiscuntur, ubi Margareta, Skulii

dynastæ filia, regi Hakoni solenniter despondetur. Insequentem hiemem Nidarosi agunt; hac hieme oritur factio Ribbungorum.

1220. Vere rex et dynasta Bergas se recipiunt, ibique magnam partem æstatis consumunt. Expeditio bellica, quam facere in Islandiam cogitaverat Skulius dynasta, deprecante Snorrio Sturlæo omittitur. Rex Hakon Snorrium Sturlæum præfecti titulo ornat. Snorrius in Islandiam redit. Rex et dynasta Bergis hiemant (297).

1221. Vere Loptus Skardensis Björnem Thorvaldi filium Breidabolstadi interficit. Snorrius Sturlæus filium Jonem Murtam in Norvegiam mittit (295—6). Slittungi se cum Ribbungis conjungunt. Rex et dynasta Ribbungos in Vika persequuntur; cæsisque Osloæ 80, Bergas redeunt. Procedente autumno in Vikam proficiscuntur; rege Tunsbergi remanente, dynasta Gunnarem Asæ filium cum 90 Ribbungis noctu oppressum necat. Rex Bergis hiemat, dynasta in Vika remanet, Ribbungosque persequi et vexare perseverat.

1222. Vere, tempore jejunii, rex Hakon Nidarosum navigat; procedente vere Bergas revectus, ibi æstatem agit. Skulius Tunsbergi se continet: clades Ribbungorum in Mjorso, Benius ad lacum Insularem oppressus et necatus. Circa festum Mariæ (2. Julii) rex classem in Thrandheimum adversus Ribbungos ducit, hostibus diffugientibus Bergas revertitur, ibique hiemat. Gudmundus episcopus Holanus in Norvegiam venit. Hujus anni vere prœlium in Grimseya; præcedenti hieme Tumius Holis interfectus (317). Expeditio in Bjarmiam (319). Skulius dynasta tres hiemes in Vika moratur, ɔ: magnam partem hiemis 1220—1, totas hiemes 1221—2, 1222—3.

1223. Sigurdus Ribbungus Skulio dynastæ se dedit, re-

gium nomen deponit, factionem in potestatem dynastæ tradit. Pax per totam Norvegiam. Comes Henrecus Valdemarem, regem Daniæ, vivum capit. Skulius dynasta Havniam proficiscitur. Conventus Bergensis, festo Olavi (29. Julii, 324): regi Hakoni regnum a prætoribus et Archiepiscopo adjudicatur. Pactum inter regem et dynastam de divisione regni, Skulius partem borealem obtinet. Rex in Vikam profectus, prima Dominica Adventus Tunsbergum venit, ibique hiemat.

1224. Rex Hakon sub festum paschale Osloam se confert, ibique magnam veris partem moratur. Obiit Archiepiscopus Guttormus, cujus successor, auctoritate regis, Petrus de Husastadis proponitur (338). Rex Osloa Tunsbergum redit; festo Trinitatis (340) suos inter se dimicantes non sine periculo dirimit. Rex Bergas se confert. Festo Olavi (29. Julii, 341) Sigurdus Ribbungus Nidaroso aufugit in Vermiam, factionem instauraturus. Gudmundus episcopus Holanus Nidarosi se continet (342). Ribbungi incursiones in Norvegiam facere incipiunt. Rex Bergis Tunsbergum (345), inde Kongelam proficiscitur; cum rege Svionum de expellendis Ribbungis frustra agit. Tunsbergum 18. Decemb. redit, ibique festum jolense celebrat (347).

1225. Rex Hakon die 9. Januarii (348) Tunsbergo proficiscitur, incursionem in Vermiam facit, Ribbungos vexat et persequitur (348—71), Tunsbergumque revectus, post hebdomadem paschalem (371) Bergas venit, nuptiasque cum Margareta Skulii filia festo Trinitatis celebrat (372). Rex et dynasta Bergis diu per æstatem morantur. Skulius Nidarosum redit, rex ad persequendos Ribbungos conversus, festo Crucis (14. Sept.) Tunsbergum se confert (374—5). Petrus Archiepiscopus in Norvegiam venit. Rex et

dynasta Ribbungos infestant. Obit Nicolaus episcopus Osloensis. Rex Tunsbergi festum Jolense agit (386).

1226. Regis periculosa Bergas navigatio (387). Obit Sigurdus Ribbungus (391). Knutus, filius Hakonis Galini, coryphæus Ribbungorum fit. Rex in Vikam ad persequendos Ribbungos proficiscitur, Osloæ hiemat (396—8). Obiit Petrus archiepiscopus festo Dionysii (9. Octob.); Thorer in locum ejus eligitur (412).

1227. Rex Hakon Ribbungos vexat et omnibus navibus exuit. Knutus sese in potestatem Hakonis dedit. Factio Ribbungorum dissolvitur (408). Natus Olavus, regis Hakonis filius (412). Knutus Ingibjargam, Skulii dynastæ filiam, ducit, (ibid.). Obit Honorius (2.) Papa, succedente Gregorio. Rex Hakon Bergis hiemat, (ibid.).

1228. Vere, tempore jejunii, rex Tunsbergum, indeque Osloam proficiscitur (413). Thorer Archiepiscopus Roma advenit. Skulius dynasta Havniam ad regem Valdemarem trajecit, a quo Hallandiam fiduciariam accipit (415). Skulius Nidarosi, rex Hakon Bergis hiemat.

1229. Conventus omnium Norvegiæ episcoporum a Thorere Archiepisc. in proxime insequentem æstatem indictus (416). Rex autumno Osloam se confert. Andreas Skjaldarband in peregrinatione Hierosolymitana perit. Rex Hakon Osloæ hiemat (418).

1230. Vergente hieme rex conventu, Osloæ habito, Ospakum Hebudensem regio nomine ornat. Festi paschalis prima feria obit Thorer Archiepiscopus, in cujus locum Sigurdus Sinius eligitur, qui insequenti æstate Romam iter ingreditur (418). Expeditio Norvegorum in Hebudes (419—22). Rex Bergis hiemat (423).

1231. Sigurdus Archiepiscopus Roma redit (423). Cædes Jonis, dynastæ Orcadensis (424). Rex Bergis hiemat (426).

1232. Natus Hakon junior, filius regis Hakonis, in festo Martini (11. Novemb., 428). Rex Bergis hiemat. Discordiæ inter regem Hakonem et Skulium dynastam existunt. Hac hieme Sigurdus Archiepiscopus omnibus Norvegiæ episcopis conventum Bergas indicit (428).

1233. Conventus pacificatorius inter regem et dynastam, Bergis habitus, præsentibus omnibus præfectis regni, Sigurdo archiepiscopo et omnibus episcopis suffraganeis (430). Autumno Skulius Nidarosum redit. Sturla Sigvati filius hujus anni autumno ab Islandia in Norvegiam venit et iter Romam ingreditur (435); in cujus absentia turbas in Islandia excitat Orækia Snorrii filius. Rex Hakon Bergis hiemat (433).

1234. Post festum jolense nata Kristina, regis Hakonis filia (433). Tempore jejunii Rex in Oplanda proficiscitur; dissidia inter eum et Paulum, episcopum Hamarensem, de insula Sancta. Rex ver Tunsbergi agit. Paulus episcopus iter Romam suscipit. Rex æstate Bergas se confert. Sturla Sigvati filius autumno Roma in Norvegiam redit et apud regem hiemat (435). Inga, mater regis Hakonis, ante jejunium Adventus, moritur (434). Rex Osloæ hiemat (434. not. 13, 435. not. 12).

1235. Sturla Sigvati filius in Islandiam redit (435). Hujus anni autumno Rex Hakon Osloa in Thrandheimum navigat, controversias cum Skulio dynasta compositurus; dynasta se subducente, pax per internuntios conservatur. Rex Bergis hiemat.

1236. Post festum jolense Skulius ad Albim proficiscitur, diu Kongelæ moratur (443), Varbelgorum factionem comparat. Vere in Vika se continet, comitia Bor-

gensia festo Margaretæ (20. Julii) agit (446), regem Bergis convenit. Sturla Sigvati filius et pater Sigvatus Snorrium Sturlæum Reykjaholto expellunt (436), Orækjam in Norvegiam cedere cogunt (436, 448). Rex et dynasta Bergis hiemant (448).

1237. Rex et dynasta vere Nidarosum proficiscuntur. Paulus episcopus Hamarensis cum rege in gratiam redit. Eodem vere comitiis Oranis rex Skulium Ducis titulo ornat (449). Rex et Dux una Bergas æstate proficiscuntur, turbasque Germanorum mercatorum sopiunt (452). Bergis procedente æstate in Vikam se conferunt, et Osloæ festum jolense una agunt et hiemant (453).

Prœlium Bœense in Islandia (28. Apr.) p. 436.[1] Thorleivus Gardensis, Snorrius Sturlæus, Thordus Kakalius et Olavus Albus-poeta ab Islandia in Norvegiam trajiciunt, et Nidarosi hiemant (436, 453). Sturla Sigvati f. arma in Gissurem Thorvaldi et Kolbeinem Juvenem vertit (436).

1238. Dux Skulius, tempore jejunii Osloa profectus, Nidarosum ante festum paschatos venit, ibique primam partem æstatis commoratur (453). Rex Tunsbergum concedit; hic natus Magnus, postea N. R. Inde Bergas proficiscitur. Dux Nidaroso profectus regem Bergis convenit, et festo Martini (11. Novemb.) in Thrandheimum redit. Snorrius Sturlæus apud Ducem versatur (454—5). Hujus anni autumno Sigvatus et Sturla filius in prœlio Örlygstadensi cadunt (456). Rex Hakon Bergis hiemat (455).

1239. Vere rex Hakon in Vikam concedit et Tunsbergi diu moratur. Snorrius Sturlæus, Orækia, Thorleivus injussu regis in Islandiam revertuntur (456). Dux,

[1]) hoc prœlium ad annum 1236 perperam retuli in *Fornm. Sögur* Vol. 12.

jussu regis, æstate Bergas venit, adventuque regis non exspectato Nidarosum revehitur, et festo Leonardi (6. Novemb.) comitiis Oranis regium nomen solenniter adsumit, et bellum adversus regem Hakonem commovet. Varbelgi regios ubique trucidant. Rex Bergis hiemat (481)

1240. die 15. Januarii (482) cometa apparet Bergis. Rex Hakon, post festum Candelarum (2. Febr.) classem adversus Varbelgos ducit et Nidarosum venit. Prœlium in Laka inter Varbelgos et Birkibeinos, fugit Knutus dynasta. Hakoni Juniori nomen regium datum comitiis Oranis (496). Rex Hakon in Vikam proficiscitur. Prœlium Osloense. Dux Skulius Nidarosum fugit, et 24 Maii in monasterio Elgisetro a Birkibeinis interficitur (534). Rex Hakon post prœlium Osloense Bergas redit, ibique æstatem transigit (526), et hiemat (10, 1).

1241. Vere, tempore jejunii, obiit Valdemar Valdemaris filius, D. R. (10, 2), cum annos novem et triginta rex fuisset; succedit rex Eirikus Valdemaris filius. Vere rex Hakon Kongelam proficiscitur et Birgerem, affinem Eiriki Svionum regis, convenit; æstatem Bergis agit. Autumno hujus anni obit Papa Gregorius (9us), succedente Innocentio (quarto); Snorrius Sturlæus a Gizure Thorvaldi filio Reykholti interficitur. Rex Hakon Nidarosi hiemat (10, 3).

1242. Hieme Gregorius Andreæ Ceciliam, regis Hakonis filiam, ducit (10, 3). Rex Bergas se confert, ibique æstatem agit. Hac æstate Gizur Thorvaldi f. ad regem Hakonem ab Islandia venit (10, 5). Autumno Orækja Snorrii f., a Gizure et Kolbeine patria excedere coactus, Bergas venit, ibique hiemat (10, 3). Thordus Kakalius in Islandiam navigat, et contentiones cum Kolbeine Juvene per biennium agitat (10, 5). Rex Bergis hiemat.

1243. Rex vergente æstate in Vikam profectus, cum tempestate adversa impediretur, reversus Bergas hiemat (10, 4).

1244. Rex vere in Thrandheimum proficiscitur, ibique aliquamdiu se continet. Autumno in Vikam se confert, et ibi hiemat (10, 6).

1245. Conventus episcopalis de coronatione regis Hakonis, qui legatum ad Papam mittit (10, 6). Rex Bergis hiemat (10, 7).

1246. Vere prœlium inter Thordum Kakalium et Brandum Kolbeinis in Skagafjordo. Gizur et Thordus Kakalius æstate in Norvegiam trajiciunt. Autumno rex Nidarosum se confert, ibique hiemat (10, 8).

1247. Vere rex Hakon Bergas proficiscitur. Eodem vere Viljalmus Cardinalis in Angliam venit, et festo Botolvi (17. Junii) Sirium, insulam Norvegiæ, attingit, inde Bergas accedit.. Inauguratio et coronatio regis Hakonis Bergis festo Olavi (29. Julii, 14). Bellum inter Danos et Lubecenses (22). Inauguratus Henricus Karis filius, episcopus Holanus (23), qui unacum Thordo Kakalio in Islandiam mittitur, ibique biennium agit, ɔ: hiemes 1247—8, 1248—9 (24). Rex Hakon Osloæ hiemat.

1248. Vere rex Hakon Bergas se confert (28). Bergæ erumpente forte incendio vastantur (29). Rex filiam Ceciliam Haraldo, regi Hebudensi, collocat (30). Cecilia et rex Haraldus, trajicientes in Hebudes, mari pereunt. Rex Hakon Kongelam proficiscitur, missisque legatis ad Birgerem dynastam in Vikam redit et Tunsbergi (Osloæ) hiemat (33).

1249. Rex Hakon vere Osloa (36) Kongelam (37), inde Ljodhusa (39) classe profectus, Birgerem dynastam convenit, pacem inter regna constituit; rex Hakon Juvenis Rikizam, filiam Birgeris dynastæ, sibi despondet. Rex Hakon Kongelam, indeque Bergas

redit (41). Obiit Alexander, Scotiæ rex (8. Julii), succedente filio Alexandro (35—6). Hujus anni æstate Rex Hakon Thordum Kakalium ab Islandia evocat. Autumno Henricus episcopus ab Islandia advenit. Rex Hakon Bergis hiemat (41).

1250. Obiit Eirikus Eiriki filius, Svionum rex, succedente Valdemare, Birgeris dynastæ filio (41). Eirikus, Danorum rex, a fratre Abele, festo Laurentii (10. Aug.), peremtus (42). Rex Hakon æstate Nidarosum proficiscitur. Autumno Sigurdus episcopus et Thordus Kakalius in Norvegiam trajiciunt (42). Rex Hakon Nidarosi hiemat (43). Obiit Fridrecus, imper. Germ., ante festum jolense (49).

1251. Pax inter Gardarikiam et Norvegiam facta (43). Tatari Gardarikiam infestant (44). Rex Hakon vere Bergas se confert, ibique æstatem agit (44). Henricus episcopus Holanus, Gizur et Thorgils Skardius, in Islandiam ab rege missi, in Norvegiam rejecti fracta nave Nidarosi hiemant (45). Philippus et Haraldus, Sæmundi filii, in Islandiam trajicientes, pelago absorbentur (45). Sigurdus episcopus, Thordus Kakalius et Jon Sturlæus in Norvegia remanent, (ibid.). Bellum oritur inter Folkungos et Birgerem dynastam (44). Rex Hakon autumno in Vikam et in Albim usque proficiscitur, reversus Osloæ hiemat (45—6). Nuptiæ Hakonis regis Juvenis et Rikizæ Birgeris filiæ. Folkungi a Birgere dynasta ad pontem Heitnadi (Hervadi) oppressi et necati (47).

1252. Obiit Sigurdus Archiepiscopus II. non. Mart.; Sörlius eligitur. Rex Hakon vere, tempore jejunii, in Albim profectus, consilia confert cum Birgere dynasta de expeditione in Daniam facienda; Tunsbergum revertitur, æstatem Bergis agit. Hac æstate Henrekus episcopus, Gizur et Thorgils in Islandiam trajiciunt (51). Thordus Kakalius, præfecturæ Go-

lardalensi præfectus, Kolbeinem Granam in Islandiam mittit, (ibid.). Bellum Abelis, D.R., cum Frisiis et interitus (51), succedit Christophorus (52). Rex Hakon Bergis hiemat.

1253. Rex Hakon vere imperata elasse et copiis in Vikam, inde in Albim profectus, se cum Birgere dynasta conjungit (53). Festo Joh. Baptistæ pax inter Danos et Norvegos convenit (56); Rex Hakon Tunsbergum redit sub festum Petri (29. Jun.); in Thrandheimum profectus Nidarosi hiemat (58). Hac hieme Eyolvus Thorsteinis, Ranius Kodranis et Kolbein Grana tres filios Gizuris, patre ægre evadente, incendio Flugumyrensi necant (59).

1254. Hieme Gizur Kolbeinem Granam et septem ex adversariis necat (59). Oddus Thorarinis Ranium in Grimseya interficit, (ibid.). Sorlius Archiepiscopus festo Philippi et Jacobi (1. Maii) obit; eligitur Einar Smjorbakus (58). Obit Sigurdus, filius regis Hakonis (59). Æstate rex Hakon et rex Christophorus in Albi conveniunt; rescinditur pax (58). Rex Hakon æstatem in Vika agit; Sigurdum episcopum in Islandiam mittit. Gizur Thorvaldi, jussu regis, in Norvegiam navigat. Rex Hakon Tunsbergi hiemat (60).

1255. Hieme (13. Jan.) cædes Oddi Thorarinis filii Geldingaholti (60). Vere rex Hakon Bergas concedit. Æstate archiep. Einar in Norvegiam venit; rex Ivarem Englii in Islandiam mittit, Gizuri ac Thordo præfecturas in Norvegia tradit (60). Prœlium Thveraoranum in Islandia, cadit Eyolvus Ovsius (61). Legati ab rege Hakone in Castiliam cum muneribus missi. Rex Hakon Bergis hiemat (63).

1256. Ex Islandis Skagafjordenses et Eyafjordenses se tributum regi Hakoni præstaturos pollicentur; redit ab Islandia Ivar Englii f. Rex Hakon legatos in Daniam de pace frustra mittit, classe Daniam inva-

dit (63—4), festo Bartholomæi (24. Aug.) populationem facit (66), Bergas redit, ibique hiemat (70). Rex Hakon Juvenis Danis stipendium imponit, et Tunsbergi festum jolense agit (71). Legati ab Hispania redeunt (69).

1257. Rex Hakon Juvenis obit 30. Apr. (73). Rex Hakon, imperata classe, Tunsbergum navigat, filiam Kristinam cum amplo comitatu in Hispaniam mittit (75); Absalone expeditionem frustra dissvadente, Ekroas navigat (78), ubi festo Joh. Baptistæ (24. Jun.) Magnus, filius ejus, rex creatus est (80). Rex Magnus in Vikam reversus, Tunsbergi æstatem agit, rex Hakon Havniam cum classe navigat (81). Pax inter regem Hakonem et Christophorum D. R. (83). Rex Hakon et Magnus Nidarosi hiemant (84).

1258. Cædes Thorgilsis Skardii in Islandia (22. Jan., 94). Rex Hakon et rex Magnus terrestri itinere Tunsbergum proficiscuntur, inde in Albim ad Birgerem dynastam conveniendum navigant (90); auxilium regi Christophoro adversus Jarmarem et Alvidas, Daniam bello infestantes, decernunt (91). Vere oppidum Tunsbergi incendio flagrat (91). Rex Hakon, Bergas reversus, magnam ibi partem æstatis agit (91); Gizurem Thorvaldi, dynastæ titulo ornatum, in Islandiam mittit. Legati ab Hispania redeunt autumno (91). Rex Hakon Bergis hiemat (94).

1259. Obiit Christophorus D. R. (95). Pax cum Alvidis. Rex Hakon classe Havniam navigat, cujus adventu Jarmar aufugit (95—6). Rex Hakon Bergis hiemat (96).

1260. Rex Hakon primo vere Ivarem Anljoti et Paulum Linseymam in Islandiam mittit; Islandiæ meridianæ incolæ tributum in comitiis universalibus recusant (97). Rex Hakon et rex Magnus Tunsbergum, inde

in Albim profecti, Birgerem dynastam conveniunt (97). Henricus episcopus Tunsbergi moritur (98). Reges, Hakon et Magnus, festo Olavi (29. Jul.) Nidarosum veniunt. Contentio inter Einarem Archiep. et regem Hakonem. Æstate legati mittuntur in Daniam de petenda regi Magno Ingilborga, regis Eiriki Sancti filia (100). Rex Hakon Bergis, rex Magnus Stavangriæ hiemant (100).

1261. Rex Hakon et rex Magnus in Sognum navigant, inde terrestri itinere per Oplanda in Vikam descendunt, mox in Albim profecti in Vikam revertuntur (101) et Tunsbergi manent, dum Ingilborga ab Dania in Norvegiam reducitur 3. Augusti (104). Dominica post festum Mariæ posterius (8. Sept.) rex Magnus et regina Ingilborga Bergis matrimonio juncti (106) et festo Crucis (14. Sept.) inaugurati (108); obiit Knutus dynasta Hakonis f. (111). Grœnlandiæ incolæ regi Norvegico obsequium pollicentur (111). Halvardus Gulskous in Islandiam mittitur (112). Rex Magnus et rex Hakon festum jolense Bergis agunt (114).

1262. Comitiis universalibus Islandi regi Hakoni homagium præstant (113). Primo vere reges, Magnus et Hakon, in Vikam navigant (114), legatos in Daniam mittunt (115), Bergas revertuntur, ibique æstatem agunt. Rex Hakon legatos Tunetem cum muneribus mittit. Redit ab Islandia Halvardus Gulskous; adveniunt Sigvatus Bodvaris, Sturla Rafnis, abbas Brandus Jonæus (116). Natus Bergis Olavus, Magni ex Ingilborga filius, (ibid.). Skoti Hebudes populantur et vexant (117). Reges, Hakon et Magnus, Nidarosi hiemant, (ibid.).

1263. Copiæ per hiemem evocantur. Brandus Jonæus episcopus Holensis eligitur et 4. non. Mart. inaugu-

ratur (118). Rex Hakon expeditionem in Skotiam suscipit, conventu Bergis habito totius regni curam regi Magno tradit (119). Tribus noctibus post festum Selianorum (die 11. Julii), cum annos 46 Norvegiæ rex fuisset, classem solvit (122). Maxima solis obscuratio (125). Rex Hakon insulam Ilam et Botam subigit, castellum Satiriæ expugnat, late populatur. Post festum omnium Sanctorum Kyrkjovogum æger accedit (146), obit 15. Decemb. (148). Obiit Archiepisc. Einar Smjorbakụs, eligitur Birger, abbas Fotrensis (155). Rex Magnus Bergis hiemat.

1264. Funus regis Hakonis Bergas deportatum et 22. Martii sepultum (151). Transactio de pace inter Norvegiam et Scotiam. Rex Magnus Bergis æstatem agit (156). Halvardus Gulskous ab Islandia[1] redit (ibid.). Rex Magnus autumno Nidarosum proficiscitur, ibique hiemat (158). Skoti Hebudes iterum subigunt (159).

1265. Rex Magnus vere Bergas se confert (158). Bellum in Anglia; cadit Simon Misfort (Montfort), ibid. Historiæ regis Hakonis Senioris finis imponitur (scribi cœptæ 1263, cfr. 10, 49).

1272. Post festum jolense rex Magnus gravi morbo laborat (159). Gregorius Papa inauguratur. Obiit Henricus (tertius), Angliæ rex. Æstate rex Magnus Bergis profectus, Kongelam venit sub festum Mariæ posterius (8. Sept.); ibi moratus ultra festum Matthei (21. Sept.); Tunsbergum redit (159). Sarpsborgam proficiscitur, ut regem Valdemarem Birgeris filium in gratiam cum fratribus ejus reduceret (160);

[1]) Halvardum Gulskoum in Islandiam trajecisse eodem anno, quo Sturla Thordi filius in Norvegiam trajecit, i. e. anno 1263, aperte docet Sturlæorum historiæ partis 10. cap. 14.

cui conventui Arnius episcopus Skalholtensis interfuit (161). Rex Magnus Sarpsborga Tunsbergum redit, ubi sequentem hiemem 1272—3, imperii sui decimam, agit (161).

1273. Hujus anni hieme bellum in Dania inter regem Eirikum et Germanos (161). Rex Magnus vere Tunsbergo proficiscitur, Bergis æstatem agit (162), ubi, concilio habito duabus noctibus post festum Petri (29. Jun.), filio Eiriko nomen regium, alteri Hakoni Ducis titulum dat (163).

Her hefr Arnmœðlinga tal.

MAÐR het Finnviðr fundinn, hann var fundinn í ara reiðri, ok vafðr í silkireifum, ok vitu menn eigi ætt hans. Frá hanum er komin ætt sú, er kallað er Arnunga ætt. Sonr hans var Þórarinn bullibak, faðir Arnviðar, faðr Arnmóðs jarls; frá hanum er komin sú ætt, er Arnmœðlingar heita. Sunr hans het Árni; synir Árna voru þeir Kálfr á Eggju, Þorbergr, Þorbjörn, Finnr jarl ok Árni. Þorbergr Árnasunr átti Astríði ena árbornu (óborno?), dóttor Erlings á Sóla ok Astríðar Tryggvadóttor, systr Ólafs Tryggvasonar. Árni Árnasunr átti Geirðrúði, systr Ástríðar hinnar óborno. Þessi varo börn Þorbergs Árnasunar: Eysteinn orri, Ögmundr, Þóra ok Jórun. Haraldr konungr Sigurðarsunr átti Þóro; þeirra synir varo Magnús konungr, faðir Hákonar konungs Steigarþóris-fóstra, ok Ólafr konungr, er kalladr var bóandi, hann var faðir Magnús berfœtz, hann var faðir Sigurðar konungs Jórsalafara ok Eysteins konungs ok Ólafs konungs, Haralds konungs ok Sigurðar slembidjákns ok Magnús rauða [ok Þóru. Sunr[1] Sigurðar konungs var Magnús konungr, er kalladr var Borghildar sunr; móðir hans var Borghildr,

[1]) Quæ a signo sunt, conjeci; msc. habet: *þóru börn ok.*

dóttir Ólafs af Dali. Magnús fekk Kristínar, dóttor Knúts Lávarðar; þau áttu ekki barn. Dóttir Sigurðar konungs ok Málfríðar Haraldsdóttor var Kristín, er átti Erlingr jarl; þeirra börn varo þau Magnús konungr ok Ragnhildr, er átti Hallkell Jóanssunr. Dóttir Eysteins konungs Magnússonar var María, er átti Guðbrandr Skafhöggssunr; þeirra sunr var Ólafr, er kallaðr var ógæfa. Börn Haralds konungs gilla varo þau Ingi konungr ok Sigurðr konungr, Eysteinn konungr ok Magnús konungr, Brigitt, er átti Magnús, bróðir Inga konungs sammœddr, en síðan átti hana Birgir jarl brosa; þeirra börn varo Philippus jarl ok Knútr jarl ok Ingigerðr, er átti Sverkir konungr; þeirra sunr var Jóan konungr. Börn Sigurðar konungs varo þau Hákon konungr ok Sverrir konungr, Sigurðr Markús-fóstri ok Cecilía, er fyrr átti Fólkviðr lögmaðr. Börn Sverris konungs varo Hákon konungr, faðir Hákonar konungs, ok Sigurðr lávarðr, faðir Guðorms konungs, ok Kristín, er átti Philippus konungr, ok Cecilia, er fyrr átti Einarr, en síðan Gregoris[1] kikr. Sunr Fólkviðar ok Cecilíu, dóttor Sigurðar konungs, var Hákon jarl, hann átti frú Kristíni[2], ok var þeirra sunr Knútr jarl; síðar átti Cecilíu Bárðr Guðormssunr á Reini, þeirra sunr var Ingi konungr, faðir Guðorms. Þóro, dóttor Magnús berfótz, átti Loptr prestr; þeirra sunr var Jóan, faðir Páls biskups ok Sæmundar ok Orms. Dóttir

[1]) sic. [2]) sic.

Sigurðar slembidjákns var Ingigerðr, er átti Hákon kló; þeirra synir varo Hávarðr halti, Sigurðr, Haraldr, Eiríkr. Agmundr Þorbergssunr Árnasunar var faðir Skopta í Giska; þessi varo börn Skopta: Ögmundr, Þórðr, Finnr, Páll, Ragnildr, Þóra, er átti Osolfr Skúlasunr: þeirra sunr var Guðormr[1] á Reini, faðir Bárðar, faðr þeirra Inga konungs ok Skúla hertoga, Guðorms[2] ok Sigurðar. Börn [Skúla hertoga[3] var Margret[4] drottning, er Hákon[5] konungr á, Íngiríð, Rangríð. Sunr Páls Skoptasunar var Nikolás[6] kúfungr, faðir Páls[7] fliðu ok Ragnildar. Dóttir[8] Osolfs ok Þóro Skoftadóttor var Sigríð, móðir Ívars Hallkelssunar, faðr Gregoris[9]. Ragnildi Skoptadóttur átti Dagr Eilífssunr; þeirra börn varo Gregoris[10], Gyrið, Baugeið, Sigríð, er átti Haldór Brynjúlfssunr á Vettalandum: Gunnar het sonr Gregoris[10]. Jóronni Þorbergsdóttur átti Úlfr stallari; þeirra börn varo Jóan sterki ok Birgða: sunr Jóans var Erlendr hímaldi, faðir Eysteins erkibiskups ok Þorbergs, faðr Erlends; Birgðu sunr var Sauðolfr, faðir Petrs byrðasveins, faðr þeirra Úlfs flís ok Sigríðar, móður Petrs erkibiskups. Dóttir Finns jarls Árnasunar var Ingibjörg jarlamóðir, er átti Þorfinnr jarl Sigurðarsunr; þeirra synir varo þeir Páll jarl ok Erlendr jarl, faðir þeirra Magnús jarls hins helga ok Erlings ok Gunn-

---

1) msc. habet tantum lit. *G.* 2) msc. *G.* 3) conjeci; *systir hans* msc. 4) msc. *M.* 5) msc. *H.* 6) msc. *N.* 7) msc. *P.* 8) msc. *dottor.* 9) sic. 10) sic.

ildar, móðor Rögnvalds jarls, faðr Ingigerðar, er átti Eiríkr Stakblællr[1]; þeirra synir varo Haraldr jarl, er fell í Vík, ok Magnús mangi, er fell í Sogni. Páll jarl Þorfinnssunr átti dóttor Hákonar jarls Ívarssunar; þeirra sunr var Hákon jarl, hans börn varo þeir Páll jarl ok Haraldr jarl, faðir Erlends jarls, er fell í Daminsey, Ingibjörg ok Margret[2]; Ingibjörgu átti Ólafr Suðreyja konungr, en Margretto[3] átti Maddaðr jarl, þeirra sunr var Haraldr jarl, faðir Jóans jarls ok Davíðs jarls. Sunr Árna Árnasunar var Jón í Bjarkey[4], faðir Sigurðar hunds ok Viðkunns, faðr Erlings, faðr þeirra Viðkunnar ok Ragnu, er átti Bjarni[5] Marðarsun.

---

[1]) sic. [2]) msc. *Margretar.* [3]) sic. [4]) msc. *Bjarkrey.* [5]) msc. *B.*

INDEX
NOMINUM PROPRIORUM
IN
OCTAVO, NONO ET DECIMO VOLUMINE OCCURRENTIUM.

FAMILIA ARNMODIDARUM.

(sec. manuscr. chartaceum).

- Finnvidus inventus.
  - Thorarin Bullibak.
    - Arnvidus.
      - Arnmodus dynasta.
        - Arnius.
          - 1) Jorunna, conj. Ulvus aulæmagister.
            - Joan robustus.
              - Erlendus Himaldius.
                - Eystein archiepiscopus.
                - Thorbergus.
                  - Erlendus.
            - Birgda.
              - Saudolvus.
                - Petrus Byrdosvein.
                  - Ulvus. Flyus.
                  - Sigrida.
                    - Petrus archiepiscopus.
          - 2) Kalvus Eggensis.
          - 3) Thorbjörn.
          - 4) Finnus dynasta.
            - Ingibjarga, dynastarum genetrix, conj. dynasta Thorfinnus Sigurdi f.
              - Paulus dynasta, conj. filia Hakonis dyn. Ivaris filii.
                - Hakon dynasta.
                  - Haraldus dynasta.
                    - Ingibjarga, conj. Olavus rex Hebudum.
                    - Margreta, conj. Maddadus dynasta.
                      - Haraldus dynasta.
                        - Joan dynasta.
                        - Davidus dyn.
                    - Erlendus dynasta.
                  - Paulus dynasta.
              - Erlendus dynasta
                - Erlingus.
                - Magnus Sanctus, dynasta.
                - Gunnhilda.
                  - Rögnvaldus dynasta.
                    - Ingigerda, conj. Eirikus Stakbreller*).
                      - Haraldus dynasta, qui in Vika cecidit.
                      - Magnus Mangius, cecidit in Sognio (1184. *Fms.* 8, 228).
          - 5) Arnius, conj. Geirthruda, soror Astridæ Obornæ.
            - Jon Bjarkeyensis.
              - Sigurdus *Canis.*
              - Vidkunnus.
                - Erlingus.
                  - Vidkunnus.
                  - Ragna, conj. B. Mördi f.
          - 6) Thorbergus. *Vide tab. sequ.*

*) in msc. *Stakblellr.*

FAMILIA ARNMODIDARUM.

(sec. manuscr. chartaceum.)

- Finnvidus inventus.
  - Thorarin Bullibak.
    - Arnvidus.
      - Arnmodus dynasta.
        - Arnius.
          - 6) Thorbergus, conj. Astrida *árborna* (*óborna?*), filia Erlingi Soliensis et Astridæ Tryggvii filiæ, sororis Olavi Tryggvii filii N. R.
            - Øgmundus.
              - Skoptius Giskiensis.
                - 1) Thora, conj. Osolvus Skulii.
                  - Sigrida.
                    - Ivar Halkelis filius.
                      - Gregorius.
                  - Gudormus Reinensis.
                    - Bardus.
                      - 1) Ingius, N. R; 2) Gudormus; 3) Sigurdus; 4) Skulius Dux.
                        - Ingirida.
                        - Rangrida.
                        - Margreta, quam rex Hakon in matrimonio *habet*.
                - 2) Øgmundus. 3) Fioous. 4) Thordus.
                - 5) Paulus.
                  - N. Kuvungus.
                    - 1) Paulus Flida; 2) Ragnilda.
                - 6) Ragnilda, conj. Dagus Eilivi f.
                  - 1) Sigrida, conj. Haldor Brynjolvi filius: 2) Baugeida; 3) Gyrida; 4) Gregorius:
                    - Gunnar.
            - Eystein Orrius.
            - Jorunna.
            - Thora, conj. Haraldus Sigurdi f., R. N.
              - Magnus, N. R.
                - Hakon, N. R., alumnus Thoreris Steigensis.
              - Olavus *Colonus*, N. R.
                - Magnus *Nudipes*, N. R.
                  - 1) Olavus, N. R. 2) Magnus *Rufus*.
                  - 3) Sigurdus Hierosolymipeta, N. R.
                    - a) ex Borghilda Olavi Dalensis filia: Magnus rex, dictus Borghildæ filius, conj. Kristina, Knuti Lavardi filia;
                    - b) ex Malfrida Haraldi f.: Kristina, conj. Erlingus dynasta.
                      - Magnus rex.
                      - Ragohilda, conj. Halkel Johannis filius.
                  - 4) Eysteio, N. R.
                    - Maria, conj. Gudbrandus Skavhöggi f.
                      - Olavus *Ogæva* (infelix).
                  - 5) Sigurdus Slember.
                    - Ingigerda, conj. Hakon Kloa.
                      - 1) Havardus *Claudus*; 2) Sigurdus; 3) Haraldus; 4) Eirikus.
                  - 6) Haraldus Gillius.
                    - Ingius, N. R.
                    - Eysteio, N. R.
                    - Sigurdus, N. R.
                      - Hakon, rex.
                      - Sverrer, rex.
                        - Sigurdus Lavardus.
                          - Guthormus, N. R.
                        - Hakon, N. R.
                          - Hakon, N. R.
                        - Kristina, conj. Philippus rex.
                        - Cecilia, conjuges: 1) Einar, 2) Gregorius Kikus.
                      - Sigurdus, Marei alumnus.
                      - Cecilia.
                        - 1) ex Folkvido prætore: Hakon, dynasta, conj. dom. Kristina.
                          - Knutus dynasta.
                        - 2) ex Bardo Gudormi f. Reinensi: Ingius, N. R.
                          - Gudormus.
                    - Magous, N. R.
                  - 7) Thora, conj. Loptus sacerdos.
                    - Joan (Jon).
                      - Paulus episcopus.
                      - Sæmundus.
                      - Ormus.

ÆTT STYRMIS HINS FRÓÐA HERMUNDARSONAR.*‚*

Breiðfirðínga kyn.
sec. Schedas Arii, Landn., Laxdælam.

Óleifr hvíti. — þorsteinn rauði. — Óleifr feilan. — þórðr gellir. — Eyjólfr hinn grái. — þorkell, † 1026.

Björn buna. — Ketill flatnefr. — Björn austræni. — Óttar. — Helgi. — Osvífr († 1020). — Guðrún.

Dalakollr. — Höskuldr. — þorleikr. — Bolli († 1007).

þorkell ═══ Guðrún ═══ Bolli († 1007).

Gellir, uxor: Valgerðr þorgilsdóttir Arasonar af Reykjanesi. — þorkell. þorgils. — Ari hinn fróði, nat. 1067 † 1148 (9. Nov.). — þorgils, † 1170. — Ari hinn sterki, † (18 Jun.) 1188.

Bolli nat. 1008. ═══ þórdís.

Óleifr feilan. — þóra. — þurgrímr. † 963. — Snorri goði, n. 964 † 1031. — þórdís.

Ospakr. Herdis. — Guðrún, mar. þórarinn Brandsson[1]). — Brandr[2]). — Sighvatr prestr[3]).

Gilsbekkínga kyn.
sec. Landn., Laxd., Sturl.

Hrólfr Ketilsson kjölfara — Gunnlaugr. — þórir. — Hrómundr. — Gunnlaugr ormstúnga. — þuríðr dylla. — Illhugi svarti. — Hermundr ═══ Gunnhildr.

Ormr. Hreinn.

Herdis ═══ Ormr. Hreinn ═══ þorríðr.

Koðran[4]), uxor: Guðrun Sigmundard. — Hermundr († 1197)[5]). ═══ Úlfheiðr[6]).

Runólfr, Ketilis episcopi f., vide *). — Úlfheiðr[6]).

Ketill, áboti at Helgafelli, † 1230[8]). Reinn[9]). Koðran, † 1189. *STYRMIR* (hinn fróði, † 20. Febr. 1245)[10]). þórvör ═══ Skeggi.

Víðdæla ætt.
sec. Landn. p. 142., Fornm. 2, 240, Sturl. hist.

Bárðr í Ál. — Skíði gamli. — Atli.

Eylifr örn. — Koðran. *). Sölmundr.

Koðran — Ormr. þorvaldr víðförli.

Sölmundr. — Guðmundr. — Vígabarði.

Ormr. — Gunnhildr.

þorkell vingnir. — Arnmóðr skjálgi. — Galti. — þorgeirr frá Ásgeirsá.

þorríðr. Styrmir (vide *Bandamannasaga*).

Hreinn ═══ þorríðr — Styrmir[7]). — Hreinn áboti í Hítardal, † (26 Maii) 1171.

Styrmir — Hallr. — Kolfinna, mar. þorgils Oddason († 1150).

Skógverjar.
sec. Landn. p. 215.

Herjólfr hornabrjótr. — Ólafr. þórólfr hornabrjótr. — þrasi — . . . . — . . . . — . . . .[11]). — . . . . — Geirmundr. — þorbjörn. — Brandr í Skógum. — Skeggi.

þórvör ═══ Skeggi. — Bolli í Skógum. Styrmir. — Skeggi. — Hildr ═══ Njáll í Skógum Sigmundarson. — Skeggi. — Eyjólfr. — Brandr, † 1331.

Annotationes: [1]) An hic Thorarin filius fuerit Brandi Prioris, polyhistoris dicti, familiarum Breidfjordensium scriptoris (Landn. ed. Havn. 1829. p. 84), definire non audeo. [2]) Citavi hunc lucum in Scr. hist. Isl. Vol. 4. p. 112. [3]) Hujus Sigvati fratrem puto fuisse Thorarinem illum Brandi filium sacerdotem, quem nominat Libellus daticus templi Reykholtensis (ad ann. 1224), vide Hist. eccl. Isl. Tom. 4. p. 137. [4]) Agnoscit hanc partem familiæ Styrmerianæ Landnama (p. 106. var. l. 4), ordine recensens: *Ósvífr, Guðrún, Bolli, Herdis, Koðran.* [5]) De Hermundo Kodranis filio accurate egit F. Magnusenius in *Grönl. hist. Mindesmærker*, Vol. 2 p. 674—5. [6]) Appellatur *Hallfriðr* in hist. Sturl. Lib. 2. p. 100, minus recte, ut puto; nam hæc Ulveida nomen gerit amitæ Ketilis episcopi, vide Schedas Arii c. 11., et Scr. hist. Isl. Vol. 3. Tab. Gen. 7. [7]) *Styrmir Hreinsson* inter viros summæ auctoritatis memoratur in Landn. p. 256, circa annum 1118; in hist. Sturl. Lib. 1. p. 37—8. 46., ad annum 1121. [8]) Hunc Ketilem abbatem significari puto in Sturl. Lib. 5. p. 129, et corrigendum esse locum hist. Sturl. Lib. 2. p. 99. lin. 5., ita ut pro *Karli* reponatur *Katli.* Ceterum hunc fuisse puto Ketilem Hermundi filium, qui, ut rerum æstimator, adfuit Reykholti anno 1224, vide Lib. Dat. templi Reykholtensis in Hist. eccl. Isl. Tom 1. p. 206. [9]) Hujus Reinis Hermundi filii gnatam fuisse puto Gudrunam, Snorrii Sturlæi concubinam, vide hist. Sturl. Lib. 2. p. 50. et Lib. 3. p. 226. [10]) nomen Styrmeris a familia Vididalensium in familiam Gilsbakkianorum, ab hac in familiam Skogensium transiit; nam, ut Thorrida Thorgeiris filia, sic Thorvara Hermundi filia nomen fratris filio suo imponit, Bollii nomen a familia Breidfjordensium arcessens. [11]) Circa hoc tempus Skogis habitavit Auda Thordi filia, a familia Thrasii Prisci oriunda, quæ Thorleivo Rödfeldi filio nupsit, vide *Fornm.* 3, 99. Familia Skogensium, qualem Landnama exhibet, ad minimum tribus gradibus laborat. De tempore, quo reguli Oplandici, Olavus ac Thorolvus, vixerint, adi Bredsdorfium in *Nordisk Tidskr. f. Oldkyndighed* Vol. 2. p. 361.

*) Snorrii Sturlæi cum Styrmere cognatio, sec. hist. Sturlæorum Lib. 2, p. 49, Fornm. 1, 255, Schedas Arii et hist. Laxdalensium:

Eylifr örn (vide supra). — Atli rammi. — þorlaug, mar. Guðmundr ríki († 1024). — Eyjólfr hinn halti — Gudmundr. þorsteinn.

Gudmundr. — þórdís. — Vigdís. — Hvammsturla. — Snorri Sturluson, † 23. Sept. 1241.

þorsteinn. — Ketill biskup, nat. 1075. † 7. Jul. 1145. — Runólfr. — Úlfheiðr. — Styrmir fróði, † 20. Febr. 1245.

Snorri goði († 1031). — Halldór. þórdís.

Halldór. — þorkatla. — þórdís. — þórðr Gilsson. — Hvammsturla († 1183). — Snorri Sturluson.

þórdís. — Herdís. — Koðran. — Hermundr, † 1197. — Styrmir fróði.

‚ Nota æqualitatis [═] conjugium significat.